IO. LAMI DE ERUDITIONE APOSTOLORUM LIBER SINGULARIS IN QUO MULTA, QUÆ...

Giovanni Lami, Giuseppe Zocchi, Francesco Allegrini



DE ERVDITIONE
APOSTOLORVM
LIBER SINGVLARIS.



Jos. Zocchi inv. et del. Franc. Allegrini sc.

IO. LAMI
DE ERUDITIONE APOSTOLORUM
LIBER SINGULARIS

IN QUO MULTA, QUAE AD PRIMITIVORUM CHRISTIANORUM

Literas, Doctrinas, Scripta, Placita, Studia, Conditionem, Censum, Mores, & Ritus, attinent, exponuntur & illustrantur;

CRITICE SACRA IUVATUR ET PROMOVETUR

Prima Beati Pauli Apostoli ad Corinthios Epistola passim edisseritur;

PLURA PROFERUNTUR INEDITA

APTEQUE DISSERTATIONES QUAEDAM INTERSERUNTUR


Ut, De Re Vestiaria Christiani hominis primitivi; De Artibus, opificiis, & ministeriis, veterum Christianorum; De Nobilitate, dignitatibus, muneribus, & honoribus, primitivorum Christianorum; De Doctrina & eruditione eorumdem; De Scriptione ipsorum; De Codicibus MSS. Novi Foederis, qui in Bibliothecis Florentinis adservantur &c.

EDITIO ALTERA

INSTRUCTIOR ET EMENDATIOR.

AD

NEREUM CORSINIUM
S. R. E. DIAC. CARDINALEM AMPLISSIMUM.





FLORENTIAE ANNO MDCCLXVI.
EX TYPOGRAPHIO PETRI CAIETANI VIVIANI.

CENSORIBUS PERMITTENTIBUS.

Et Dixit Dominus: Ecce ego addam, ut admirationem faciam Populo huic miraculo grandi & stupendo; peribit enim sapientia a Sapientibus eius, & intellectus Prudentium eius abscondetur. Esaiae Cap. XXIX. De hoc miraculo agitur in hoc Volumine Cap. XVIII. *pag.* 920.



Κατηγορῶμεν Ἀποστόλων ὡς ἀμαθῶν· ἡ γὰρ κατηγορία αὕτη, ἐγκώμιον. *Accusemus Apostolos, ut indoctos; haec enim accusatio, encomium.* Ioannes Chrysostomus Hom. III. in Epist. I. ad Corinth. Cap. I.



Illud vero, quod post verba Doctorum verbis vestris subiunxistis: *Ita igitur hoc uno modo Apostoli, & Evangelistae, & totius Divinae Scripturae Interpretes, cum Catholicis eius Expositoribus, ab imperitiae calumnia rationabiliter defendi queunt. Nihil enim omnino contra regulam Grammaticae dixerunt, quod non ita aut ratio aliqua, aut causa mysterii, dici exigeret.* Ab illis verbis vestris multum Ecclesiastici Doctores dissonant. Exiguitati nostrae videtur, quod neque vos neque nos de hac re aliquid sentire aut dicere debemus, nisi ea, quae Orthodoxos Magistros sensisse aut dixisse legimus. *Et ex intervallo:* Haec qua intentione dixeritis, nullus eorum, qui otiosa loqui timent, intelliget; nisi forte hoc etiam nobis crimen superadditis, quasi rusticitatis reprehendamus Spiritum Sanctum. Quod si ita est, idest, tali intentione ista dicitis, quid ad haec respondere possumus, nisi: Ipse occultorum cognitor, cordium testis, scrutator reatum, omnipotens Deus videat, & audiat? *S. Agobardus Lugdunensis Lib. adv. Fredegisum.*



EMINENTISS. ET REVERENDISS. PRINCIPI D. D.


NEREO CORSINIO

S. R. E. DIACONO CARDINALI

&c. &c. &c.

PETRVS CAIETANVS VIVIANIVS

OFFERT, DEDICAT, CONSECRAT.



Pus multa industria elaboratum, multis insultibus adpetitum, nova virtute instructum & confirmatum, in aciem iterum descendit quodammo-

nuo, duce Te, PRINCEPS EMINENTISSIME. Quum primum illud auctor in vulgus prodidit, nil ei auspicatius futurum fuisse existimavit, quam Tuo clarissimo Nomine frontem illius ornate & splendide decorare. Nec spem res frustrata est: siquidem, vix in lucem editum fuit, magno favore & plausu a gravibus omnibus literatisque viris exceptum est, non tam novi argumenti illecebra & merito, quam quod probe nossent, CORSINIAM Domum Musarum esse refugium; nec ab ea quicquam nisi plane doctum, perfectum, optimum, recte sapienterque probari. Tui igitur incliti Nominis celebritas libro fortunae suae minus fidenti, & metuenti omnia, animos addidit, virtutem adflavit, & audaciam quamdam laudabilem ingenuit, quo ipse etiam celebris & famigeratus evadere niteretur, victorque per ora virum feliciter volitare. Suis quidem progressibus obstantes Vitilitigatores maleferiatos offendit, Criticos improbos nodum in scirpo quaerentes invenit, rupices quosdam atque opicos insubide & clamose vociferantes passus est; sed amplissimi & laudatissimi NEREI CORSINI Nominis lux praeclarissima tenebriones aperte arguit, caligantes acute praestrinxit, calumniarum nebulas extemplo & mirabiliter dissipavit. Eamdem

dem editioni meae fortunam auguror, CARDINALIS AMPLISSIME, quando meis precibus benigne & perhumaniter adnuens, Tuum Nomen libro iterum praefigi, ornamentum maximum, praesidium certissimum, immortalem gloriam, permittere dignatus es. Prima editio, licet exemplarium plurimorum, non tam distracta fuit ac vendita, quam direpta subito, ut ita dicam, & certatim populata, ab cuiuscumque eruditionis cultoribus, a cuiusque regionis incolis, a cuiuscumque ordinis & conditionis hominibus. Ipse, quum compertum haberem, illius editionis exemplaria nulla amplius venalia prostare ac superesse, & a multis ardenter desiderari, & solicite anxieque, perquiri; iterum librum excudere & formis publicare animum induxi meum, ut honori officinae meae bene consulerem, & rem domesticam, qua potis Typographus, providenter ampliarem. Et eo lubentius alteram hanc editionem facere adgressus sum, quod auctor ipse eam exornaturum amplius, aucturum, & locupletaturum, se receperit: in quo certe fidem liberavit, cum multa apta & opportuna textu primigenio interuerit; alias Dissertationes eruditas & primitivorum Christianorum mores et instituta illustrantes addiderit; Adnotationes luculentissimas in infima paginae ora sub-

ſcripſerit, quibus lucem & perſpicuitatem pluribus locis adſperſit, adverſariorum criminationes non tam revicit & repulit, quam penitus deſtruxit & abolevit; & Lectores ineditarum rerum, arcanarumque notitiarum traditione copioſe inſtruxit & erudivit. Nec hiſce omnibus contentus, Adpendicem quamdam tamquam auxiliares copias calci operis adtexuit, in qua multa reſtituit ac ſubplevit: cui plurimus aeque ac locupletiſſimus Index ſuccedit, res omnes memoria dignas, ſecundum elementorum ordinem, veluti obviam Lectori recta & diſtincte venire compellens. Non igitur tam altera, quam alia, editio haec dici poteſt, utpote quae prioris ſeſquialtera, mole voluminis, ſaltem eſt: adeoque gratior atque utilior omnibus futura merito videatur, ut ditior, inſtructior, ornatior; quibus ſplendidiſſimum Tuum Nomen praefulſerit, atque tot ac tantas Eccleſiaſticae Hiſtoriae opes, & veneranda monumenta, praenuncii ſideris inſtar, manifeſte & luculenter indicaverit. Tuo igitur patrocinio, Tuae munificentiae, Tuo in literas amori ac proclivitati, opus iudicia multitudinis non ſemper aequa ſubiturum fidenter committo; nam ſi Tu probes, & aliquatenus commendes, cuiuſcumque alius cenſurae & iudicii ſecurus, obtrectatores uni-

ver-

verſos flocci faciam; &, ſin minus, maturam a poſteritate laudem exſpectem: quandoquidem

Tandem poſt cineres gloria vera venit.

A Tui, Gentiſque Tuae praeſtantiſſimae, praeconiis retexendis & celebrandis conſulto abſtineo, utpote quae notiora ſunt, quam mea in praeſens oratione indigeant: & quorum, ſi recenſere vellem, copia eſſet numero maior; ſi quaedam tantum ſeligere & exponere, grandiora ſemper ſilentio praeterire periclitarer; ſi vero efferre et extollere, infans & incautus profecto deprimerem, & ingenii culpa detererem. Qualecumque ergo obſequii mei, & erga Te venerationis maximae, monumentum ſereno vultu excipe, & aequi bonique conſule; & Typographi ignorantiae ac ruſticitati ignoſce, qui ſermone inculto & humili Principem Ampliſſimum adloqui congredique auſus ſum. Deus Opt. Max. ſoſpitem & incolumem bono publico, Eccleſiae decori, ſanae & vere Chriſtianae doctrinae praeſidio, EMINENTIAM TUAM diu ſervet, &, ſi fas eſt expetere, aeternet. Dabam Florentiae Kal. Ianuarii, anno PVB. S. MDCCLXVI.



Epistola priori Editioni praefixa.

EMINENTISS. ET REVERENDISS. PRINCIPI
D. D.
NEREO CORSINIO
S. R. E. DIACONO CARDINALI
&c. &c. &c.


IO. LAMIVS DEDICAT CONSECRATQVE.



Quo nam potius, PRINCEPS AMPLISSIME, *praesidium & tutelam meus hic Libellus quaesiverit, quam ab* EMINENTIA TVA, *quae Christi Ecclesiam, & sacrum Apostolicae Cathedrae imperium, admirandis consiliis regit, & incredibili prudentia moderatur? Nihil prope aliud in eo praedicatur, & luculenter exponitur, quam ratio ac via plane admirabilis, qua Deus, quum superbam mortalium sapientiam reprobavisset, virtutem suam in aliena imbecillitate exserens & ostentans, homines ab errore & superstitione revocavit, atque huius eiusdem Ecclesiae fundamenta firmissima iecit. Non in Tuum sinum convolabit*, TVAMQVE EMINENTIAM *suo argumento Volumen demerebitur, quod Ecclesiae, Tuae quodammodo curae, ac solicitudini, dum infirmae grandaevi Patrui* CLEMENTIS XII. PONTIFICIS MAXIMI *aetati opitularis, non sine Numine commissae, exordia, studia prima, mores, ac ritus, edisserit? Quam alacrem fiduciam, & laudabilem securitatem, Tuo pectori non ingeneret ea cognitio, qua percipis, a despectis initiis, humilibus praeconibus, rudibus imperitisque magistris, per*

maximas eam difficultates, & impedimenta, in tantam, & tam magnificam, amplitudinem divinitus esse provectam; ut temporibus etiam difficillimis, & in mediis procellarum periculis, PETRI Navem, non littora tam oraſque legentem, ſed immenſi pelagi profunda ſecantem, facile TE, coeleſtibus oraculis confirmatum, & conſueta ſapientia uſum, in portum tutiſſimum deducturum eſſe confidas? Itaque refugium in TE, aequo rerum aeſtimatore, indagatore Eccleſiaſticae vetuſtatis ſolertiſſimo, & litterarum fautore munifico, reperiat opuſculum, quod in meae a me pietatis & religionis defenſionem elucubratum, lividis & indoctis hominibus adhuc me calumniis adpetendi anſam praebere poſſe videretur, niſi tanti Patroni nobilitate, virtute, meritis, dignitate, deterrerentur. Quod ſi minus Libellus ipſe; tantae certe Apoſtolorum laudes, tanta primitivae Eccleſiae praeconia, & Chriſtianae antiquitatis monumenta, tantaque divinae ſapientiae ac poteſtatis admiratio, quanta in eo exſtant atque eminent, Tuum iure optimo amorem, benevolentiam, patrociniumque, mereantur. Quid enim aliud in eo fuſe lateque celebratur, & in clariſſimam lucem continenter educitur, dum Chriſti Apoſtolos, ac Diſcipulos, pioſque illos primi aevi Chriſtianos, non callidae eloquentiae, & profanae eruditionis, & mortalis doctrinae, opibus divites; ſed coeleſtis omnino & arcanae ſapientiae, virtutiſque divinae, theſauris inſtructos adfatim, & locupletatos, fuiſſe, non tam adfirmate pronunciat, quam dilucide perſpicueque demonſtrat? Excipe igitur ſereno vultu munuſculum, quod EMINENTIAE TVAE *offerre & conſecrare auſus ſum, neque tam ad eius tenuitatem reſpi-*

ſpice, quam voluntatem meam, & obſequium, ergaque Te *venerationem, aequi bonique conſule: nullam enim fortaſſis maiorem ac ſinceriorem inveneris, & eius, qui ardentioribus votis* Eminentiae Tuae *& vitam diuturnam, & ſummam felicitatem, ab immortali Deo adſidue precetur atque expetat. Vale. Dabam Florentiae Kal. Iulus A. R. S. MDCCXXXVIII.*



PRAE.



PRAEFATIO
AVCTORIS.





Roverbium illud *δευτέραι φροντίδες σοφώτεραι* adeo verum est, ut haec altera mei operis editio illud abunde robusteque confirmet. Vix Typographus de ea perficienda se cogitasse mihi significavit, laudavi propositum; & opus retractare, melius instruere, novis *μελήμασι* locupletare, ornare amplius, &, cuius mea magis intererat, a censuris & criminationibus hominum iniuria sugillantium pro virili portione vindicare. Haec omnia Deo propitio praestiti, dum alia multa peragebam; non enim huic unice incumbebam: sed me, studiumque meum, aliae eruditae Commentationes alio distrahebant, & nocturnae diurnaeque operae partem sibi violenter adserebant. Eiusmodi erant Ephemerides Literariae, quas Florentiae publicare, & singulis hebdomadis eruditae multitudini distribuere, primus omnium adgressus sum: Historiae Ecclesiasticae Flo-

Florentinae ingentia volumina, quae partim formis iam exscripta sunt, partim prelum adhuc exercent, nulla licet in vulgus hactenus prodierint: Catalogi Codicum MSS. Bibliothecae Ricardianae absolutio atque editio: operum omnium *Ioannis Meursii* amplissima Collectio, duodecim magnis voluminibus comprehensa, meo studio & labore perfecta: Praelectionum quarumdam ad Tuscas antiquitates illustrandas typographica impressio subscepta, quae brevi ad umbilicum deducta erit: ut alia omittam, quae me huc usque non tam occupatum, quam obrutum, magnopere detinuére. Hinc evenit, quod serius, quam par erat, nova operis *De Eruditione Apostolorum* editio in publicum prodit: sed tot ac tanta priori editioni addidi, & adeo tomi moles excrevit, ut quam celerrime elucubrata & expedita dici mereatur; licet plurium annorum tractus, dum concipitur, scribitur, maturatur, excurrerit. Imo Dei immortalis providentia factum crediderim, ut haec editio lente ac tarde processerit, & per manus hominum circumferenda sero paruerit, ut in felicia & beata tempora incideret, quibus Etruriae Regnum Princeps clemens, munificus, doctus, paternarum virtutum aemulus, quasi praesens Divus, sapienter regit, & suaviter moderatur. Nam in tanta iusti imperii tranquillitate, in adeo effusa exsultantium populorum laetitia, in tam amabili optimi Principis praesentia, quas liber hic timere & exspectare possit fortunae adversantis iniurias? quas Critices amarulentae & furibundae censuras iniquas? Dies serenos, & liquidum coelum, sudumque aerem, turbatura, piceam tetramque caliginem Erinnys infesta, tanto Principe coercente & vetante, nunquam adflaverit.

Mul-

Multa heic subpleturus addere possem, quae in ipsa Adpendice omissa fuere, licet essent ad manus; ne operis moles nimis excresceret. Recensere etiam quosdam esset, qui, postquam hanc editionem posteriorem adgressus sum, nonnulla ex iis, quibus de ago, erudite & novissime tractaverunt; quae quidem lucubrationes meas, vel iuvare, vel illustrare, vel locupletare, potuisse videantur. Honoris gratia unum aut alterum nominaverim: primusque esto eruditissimus Coenobita Dominicanus *Pius Castus Innocens Ansaldius*, in Regio Taurinensi Atheneo Sacrae Theologiae Professor, libro edito anno MDCCLXV. Augustae Taurinorum, cui titulus: *Multitudo maxima eorum, qui prioribus Ecclesiae saeculis Christianam Religionem professi sunt, adversus Davidem Clarksonum, aliosque, qui illos exiguo fuisse numero constituunt, ostensa & vindicata.* Hoc opus egregium, in Capita XVI. dispertitum, quatuor Capita continet, quae multum meis Commentationibus contulissent, licet eorum plurima non omiserim. Ea, quae *Cap. V. Digressione altera* copiose & abunde adstruxi, Caput unum opportune confirmasset; illud enim Caput, scilicet VII. ita inscribitur: *Ex artibus & moribus primorum Fidelium maxima eorum copia confirmatur*. Quid de Capite X. dicam, in quo agitur *De innumeris primorum temporum Christianis extra Vrbes & per agros sparsis?* Sic certe fere omnes ignobiles & obscuri generis; & ad *Caput III.* mei operis pertinerent. Et pro eodem *Capite* quaedam etiam ad rem subgerit Caput XII. cuius titulus est: *De pauperum classe cum reliquo veterum Fidelium numero collata*. Exhibet nobis Caput XV. linguae Graecae per Orientem omnem, & Occidentem, vulgatum communemque usum iam ab Apostolicis

tem-

temporibus, iis verbis *pag.* 326. *Verum ex opposito ii erant iam mores secundo Ecclesiae saeculo, ut Millius ipse animadverterit, Fidelibus, qui iam Romae agebant, advenis, Iudaeis, Aegyptiis, aliisque, familiariter notam fuisse linguam Graecam, ac plane dixerim vernaculam: quod idem de provincialibus, aliarumque quarumdam orbis partium, Christianis dicendum, censet, iuxta Iuvenalis illa:* Nunc totus Graias habet Orbis Athenas. *Sed & Hieronymus de Orientalibus sui aevi*, sermone Graeco, *inquiebat*, omnis loquitur Oriens; *proindeque nondum versi Codices Novi Foederis poterant adhuc ab immensa tum Orientis, tum Occidentis, multitudine hominum intelligi*. Hisce, quae late in Adpendice, & Dissertatione ei inserta, disceptavi, mirifice confirmantur. Sed amplius confirmabuntur, si vir eruditissimus *Dominicus Deodatius*, qui Neapoli degit, in vulgus prodiderit librum, quem hoc titulo elucubravit: *De Christo Hellenista Exercitatio, qua ostenditur, Graecam linguam Christi aetate propriam ac vernaculam Iudaeis fuisse; ipsumque adeo Christum Dominum, & Apostolos, Graece loquutos*. In eo inter alia clarissimus Auctor probare satagit, Christi aetate, nec Ebraicum, nec Syriacum, nec Latinum, sermonem amplius apud Iudaeos in usu fuisse; sed in Iudaea dialectum illam praevaluisse, quam Graecam Hellenisticam Eruditi adpellant; qualis illa est, qua usi sunt LXX. Interpretes, Historicus Maccabaeorum, Scriptores Novi Foederis. De hoc opere agitur in *Ephemeridibus Florentinis* anni MDCCLXV. *col.* 751. 761. Ipse miraculum impetratae a Christianis pluviae *Cap. VII. Digress. III. §. IX.* tamquam verum & veraciter descriptum cum viris doctissimis substineo ac

defendo: qua de re nuper etiam egit doctissimus Coenobita Augustinianus, & in Vindobonensi Academia Professor, *Augustinus Gervasius*, in opere cui titulus: *De Verbo Dei Incarnato libri tres in usum Academicae Iuventutis, praemissis Dissertationibus tribus ad idem argumentum pertinentibus. Vindobonae MDCCLXIV.* In prima siquidem Dissertatione *n. X.* Literas *M. Aurelii* de eo prodigio agentis laudat, & eiusmodi celebre factum sibi facile se persuadere ait, & locum *Tertulliani in Apologetico Cap. V.* tandem adfert; at deinde subdit: *Nonnihil tamen difficultatis mihi creat adverbium illud FORTE, quod addens Tertullianus rem non plane pro certa habuisse videtur.* Proclive tamen regerere est, adverbium illud FORTE apud *Tertullianum* non habere vim in dubium revocandi, sed rem iam omnibus perspectam & exploratam obiiciendi & exprobrandi: ἱρωνικῶς eo enim utitur, ut ex aliis eiusdem Scriptoris vehementis, & adversarios concidentis, locis elucet atque eminet. Ecce enim adversus *Hermogenem* scribens, adversario concedere videtur, Filium aequo animo laturum materiam praeponi sibi, quae ab *Hermogene* Patri adaequatur. *Ita & hoc nomine materiam Deo praeponit Hermogenes, praeponendo eam Filio. Filius enim Sermo, & Deus Sermo: &, Ego & Pater unum sumus. Nisi quod sustinebit aequo animo Filius eam praeponi sibi, quae Patri adaequatur.* En patentem ironiam. Idem *Cap. XXVI. Apologetici* ironice nationes deridet de procuratione & imperio Dei super Vniversitatem agens, quasi de eo dubitari possit: scribit enim: *Videte igitur, ne ille regna dispenset, cuius est & orbis qui regnatur, & homo ipse qui regnat: ne ille vices dominationum ipsis temporibus in saeculo ordinaverit,*

verit, qui ante omne tempus fuit, & saeculum corpus temporum fecit: ne ille civitates extollat, aut deprimat, sub quo fuit aliquando sine civitatibus genus humanum. Ecce aliam ironicam dubitationem. Libro item *Adversus Psychicos*, & ironice loquitur, & particula *Fortaſſe* abutitur. *Ipse mox*, inquit, *Dominus baptiſma suum, & in suo omnium, ieiuniis dedicavit; habens efficere panes ex lapidibus, etiam Iordanem vino FORTASSE manare &c.* Nunquid *Tertullianus* in dubium revocaſſet, an Chriſtus poſſet Iordanis aquam vino mutare, qui Sermo Patris Nili aquas mutaverat ſanguine, & praeſens tandem Canae-Galilaeae hydriarum limpham vertit in vinum? Poſt haec omnia animadvertendum eſt, *Tertullianum*, quando irridere ſuperſedet, & ironia abſtinet, res veras atque perſpectas, & fere omnibus notas, non dubitando narrare & proponere, ſed dilucide & adfirmate referre & enunciare. Hinc libro *Ad Scapulam*, in quo ἱστορικῶς agit, & res veridice ſimul & graviter ſerioque exponit atque obiicit, quum beneficia ab Chriſtianis in Ethnicos conlata recenſeret, pluviae precibus Chriſtianorum a Deo impetratae miraculum non dubitanter, ſed intrepide & adſeveranter, adfirmavit; & *Scapulae* quidem, qui rem minus notam ac manifeſtariam, tamquam putidam fabellam, deridere & elevare potuiſſet. *Tertulliani* verba ſunt: *Marcus quoque Aurelius in Germanica expeditione Chriſtianorum Militum orationibus ad Deum factis imbres in ſita illa impetravit*. Locus hic *Tertulliani* tam apertus, atque perſpicuus, & vere decretorius, intelligentiam alterius loci *Cap. V. Apologetici* indubitatam ſubgerit & oſtendit iuxta ea, quae praemiſi: quare non aliter, atque ego ipſe, illum intellexere & expo-

ſuere *Apollinaris*, *Euſebius Caeſarienſis*, *Gregorius Nyſſenus*, *Paullus Oroſius*, qui ſcribit, ſua adhuc aetate Epiſtolae *Marci Aurelii* de hoc prodigio exemplaria ſuperfuiſſe, & fuiſſe per manus hominum circumlata. Colophonem adhuc addere poſſem huic Praefationi demonſtrando, non adeo ſemper quosdam meo huic operi infenſos fuiſſe, & infeſtos, quin reſipiſcere aliquando potuerint; & quod amarulente hoſtiliterque conciderant, mitiores tandem & aequiores non omnino contemnerent. Nam Digreſſio illa, quae inſcribitur pag. 118. *De Re Veſtiaria hominis Chriſtiani primitivi*, adriſit tandem V. Cl. *Franciſco Antonio Zaccherio*, & inter egregias Diſſertationes, quibus editionem Latinam operis Domini *De Fleuri*, cuius titulus eſt: *De Diſciplina Populi Dei*, adornavit, locum illi pariter adtribuit.




INDEX
CAPITVM, DIGRESSIONVM, ET DISSERTATIONVM
QVAE HOC OPERE CONTINENTVR.




ren-

tum

rum moribus. *pag.* 62. De vocibus *Servator*, & *Salvator*. pag. 101. De Lamina aurea Ioannis, & Iacobi, Apostolorum. pag. 120. De Tunica Christi inconsutili. pag. 132. De Zona. pag. 151. De vocis *Rhythmus* usu. pag. 601. De Sacerdote Canonico. pag. 755. De Oeconomia Incarnationis, aliisque. pag. 955. De flagellatione S. Hieronymi secundum quietem. pag. 985. *Quid autem dixerim de Dissertatione De linguis, quibus scriptum Novum Testamentum est, cuius Tmemata seu Paragraphi* LVIII. *in quos divisa est, totidem Dissertationes dici posse videantur; & praecipue ubi agitur de linguae Graecae usu in Orbe Romano, Ierosolymis & Iudaea praesertim: de usu pariter Latinae linguae ob speciales causas; non tamen passivo in Orbe Romano, & Ierosolymis in primis; praeterea de lingua Latina Christi; nullum Iudaeum Latine unquam scripsisse, seu Christianum Palaestinum; de Afrorum, Hispanorum, & Celtarum, Gallorumque, lingua tempore Apostolorum; an Paulli Interpretes & Amanuenses Graeci fuerint; Epistola ad Romanos Iudaeis an Gentilibus scripta fuerit; Graecae litterae quantum Romae invaluissent; qua lingua tempore Apostolorum Corinthii uterentur &c.*



DE



DE ERVDITIONE APOSTOLORVM LIBER SINGVLARIS.



Quid operi occasionem dederit, & utrum haeretici Scriptores ab orthodoxo homine legendi, & adlegandi, umquam sint; totiusque operis distributio.

CAPVT I.



Empus iam, ubi concitati adversariorum meorum spiritus mora ipsa paullulum quieverunt, sedatoque turbulentarum cogitationum tumultu tranquilliores animi oblatam veritatem omnino non respuunt, ea disputandi, quae mores meos, & adversus Deum pietatem ac religionem, castamque doctrinam, a calumniis manifestissimis vendicent, & lividos obtrectatores vecordiae, & malignitatis, & ignorantiae, luculentissime arguant. Quum enim paucis abhinc annis, coelestium litterarum oraculis edoctus, & Sanctorum Patrum documentis instructus, historicos

[illegible] quod ad [illegible] Divinae Trinitatis [illegible] Commentarium [illegible]

Libros hosce scripsi, quem [illegible] Lutetiae Parisiorum retractavi atque perfeci; tandemque Florentiam anno MDCCXXXII. [illegible] ei iuris feci, ita inscriptos: *Io. Lamii publici [illegible] Historiae Professoris & Rector* [illegible] *tatee aditio* [illegible] *MDCCXXXIII* [illegible] *dente abud Tars* [illegible] *nomore, quia* [illegible] *impetu ferre ac* [illegible] *forte* [illegible] *vir* [illegible] MDCCXXXVIII. *Ersi ad eas, quas ad te, Vir Cel. superiori aestate dedi, litteras* [illegible] *bendi. Amica* [illegible] *ve, & vel hoc unum efficit* [illegible] *de recta* [illegible] *et sancta Trinitate,* [illegible] *dictionis & lectionis* [illegible] *rem, vel* [illegible] *cisti, qui* [illegible] *quem virum* [illegible] *doctissimum* [illegible] *[illegible] hypothesin de* Λόγῳ *Joannes* [illegible] *vera modo dicuntur.* Quae quidem Epistola etiam infecius [illegible]. Hic idem vir [illegible] *Philosophiae Part. II.* [illegible] *Cap. VI. Sect.*

[illegible] *ita de hoc opere loquitur: Quem* [illegible] *causa nominamus, Jo. Lamius, vir celeberrimus, qui nuaimam eruditissime in hoc* [illegible] *signis viri, armis domesticis contra Jo. Clericum pugnavit,* [illegible] *bilitatem tantum, ut ita loqui liceat,* [illegible] *demonstraret. Tomo vero III.* [illegible] *celeberrimum addimus, qui erudito opere* [illegible] *stituto calamum in Clericum strinxit. Sed* [illegible] Mense [illegible] pag. [illegible] *sterium divinae Trinitatis* [illegible] *Studium* [illegible] *Spartam illa* [illegible] *argumenta,* [illegible]

in vulgus prodidi, a doctioribus plerisque, & qui nullo partium studio agebantur, laudem & adprobationem meruerunt; sed alii Panico timore attoniti, & veluti surgentis arboris umbram messibus suis in effoeto jam solo languentibus ridicule atque inconsulte metuerent, indignarenturque ea, quae

Imberbes didicere, senes perdenda fateri;

commentationes illas maledictis proscindere, & me auctorem, laesae pietatis, & religionis, reum agere, Censoresque doctissimos ac prudentissimos, qui opus evulgandum existimaverant, insectari conviciis, & praevaricationis insimulare. Ipse quidem haec omnia tacitus audiebam, utpote qui lubentius alienam improbitatem feram, quam meam innocentiam tuear; (1) & huiusmodi Fanaticorum insaniam non sine miseratione quadam irridebam, mirabarque vehementer canes illos, fere universos, ad meos Commentarios censura vexandos, illotis pedibus, ut aiunt, atque inconsiderate, & temere, adgredi. Nam mei iudices se constituebant, Leguleii formularumque concentores; Poetae veri steriles, & somniorum archi-

 chi-

bus fidem, apud Sanctissimos Judaeorum Patriarchas, obtinuisse demonstrat. Ab hoc principio ad recentiores procedit aetates, [illegible] *. . . . . . Qui* (Lamius) *& in eo laudandus est quod in hoc sacro investigando* [illegible] Vir eruditissimus [illegible] *Scipio Maffeius* Veronensis in [illegible] *VI Observationum litterariarum*, litteris mandavit, in hoc opere [illegible] λόγος *a Platone usurpata* [illegible] *ab Apostolis, & ab D. Joanne Evangelista,* [illegible] *Sapientia, Verbum, Sermo, Ratio,* [illegible] *Christi divinitatem* [illegible] *Personae, Spiritus Sancti* [illegible] *Judaeos* [illegible]

[illegible] Haec vir [illegible] ingenii, & doctrinae multiplicis.

(1) *Thrasimachus* ille, qui falso nomine latens, hoc meum opus [illegible] maledicentia impugnavit, edito suo Libello, pag. 119. [illegible] XIV [illegible] *Virgilius L.* [illegible]

Plus fere [illegible]
Quid [illegible]

ubi [illegible] est.

chitecti; Theologi etiam plures, sed qui *Busembaum* aliquem, aut *Escobarium*, *Dianamque*, evolvere, & tertio quoque verbo crepare, consueverint (3); & illos maiorum gentium Scriptores, *Iustinum*, *Clementem*, *Origenem*, *Tertullianum*, *Cyprianum*, *Hieronymum*, *Basilium*, *Gregorium*, *Augustinum*, *Chrysostomum*, & id genus Patres eminentissimos, ne a limine quidem salutaverint. Huius igitur furfuris (4) vitilitigatores, qui magis aleam, fritillum, & venereum, noverant, lusoriasque tractabant paginas, quam Ecclesiasticas litteras, & divina eloquia, didicerant; denique

Ambubaiarum collegia, pharmacopolae,
Mendici, mimi, balatrones,

de meis scriptis, quae numquam legerant; de Sanctorum Patrum doctrina & opinionibus, quas numquam perceperant; de meis moribus, pietate, religione, quam intelligere nolebant, insolenter, inique, procaciter, iudicium ferre minime verebantur (5). Tunc *Hieronymi* ad Paullinum scribentis verba

(3) *Antonius Alemannus Presbyterus* in libello, quem contra me scripsit, & *Tractatum peregrinarum externarumque quaestionum* inscripsit, pag. 27. 28. me etiam notat, quasi doctrinam *Hermannum Busembaum*, *Antoninum Dianam*, *Antoninum Escobarium*; quod ex meis verbis argui non potest. Nam Theologos illos Morales, quos vulgo *Casuistas* vocant, in eum finem tantum nominavi, ut abusum plerorumque Clericorum totam Theologicam scientiam intra angustos huiusmodi Scriptorum fines contrahentium improbarem, stimulosque adderem, ut ad melioris notae Theologos, antiquos scilicet Ecclesiae Patres, evolvendos studium converterent. Numquam vero dixi, recentiores Theologos non esse consulendos; & fas per me sit, & D. *Thomam* praecipue, ac *Ioannem Dunsium*, ceterosque Scholasticos, legere. [illegible] hoc censere vetor.

(4) *Thrasymachus* pag. 112. hanc phrasim criminatur, quod minime apud probatos Scriptores antiquos occurrat. *Auctor* pag. XIV. respondit, id factum esse *κατὰ τὴν ἀναλογίαν*, quam *Persius huius farinae* dixerit.

Si tu quem nostrae fueris paullo ante farinae

Hanc analogiam, quam noscimus olim *Aristarchus*, *A. Gellio* auctore, in Declamationibus defendit, & *Varro* non omnino improbavit, in causa fuit, cur recentiores quidam Scriptores, sed eruditi & elegantes, illam phrasim *huius furfuris*, & *eiusdem furfuris*, cuderent. Ceterum si minus id placet, lege: *Huius igitur farinae &c.* & *Persium* auctorem habebis.

(5) *Thrasymachus* pag. 109. cuncta delenda ait, quae hic ab, *Ut parce qui loquuntur &c.* usque ad, *iudicium ferre minime verebantur*, verbis [illegible] habentur; eaque tamquam conviciorum maledictorumque plena addito supercilio sugillat; & ut invidiam mihi faciat, ubi *Loquitur formularumque contortarum* nomine, *Iosephum Aurelianum* a me intelligi proclamat. Eandem querelam praemiserat pag. 6. & *Salvatorium* quendam *Avenarium* copulaverat, quem a me tamquam aleam & fritillum & venereum probe noscentem, lusoriasque tractantem paginas, subindicatum fuisse volebat. Ut suum dictum firmet, Schediasma quoddam Roberti excusum allegat, quod, ut Ephemeridibus Venetis anno MDCCXXXVIII. librum hunc meum elevantibus & censura vexantibus responderetur, ab anonymo nescio quo scriptum fuerat. Titulus eius ita habet: *Parafrasi de* [illegible] *alle Novelle Letterarie di Venezia del dì* 18. *Otto-*

verba cum & opportune [illegible]. *Quod [illegible] est Pro[illegible] Medici*, [illegible] *[illegible]*. [illegible] est.

[illegible]

Acrenius, Iurisprudentiam in Athenaeo Pl[illegible]

[illegible]

[illegible] eruditione polleret, ostenderet, quum [illegible] peritissi laudibus immodicis [illegible] in Graecanicis litteris eruditionem [illegible] Graecorum esset, [illegible] diphthongum pro simplici & brevi vocali posuit, [illegible].

Quoque [illegible] perdidit arte [illegible].

[illegible]

Prima [illegible] est [illegible].

[illegible]

declaravit. Sed illud in primis [illegible] dum videtur, quod in [illegible] de *Passione Christi* Praelectionibus, anno MDCCXXXVIII, [illegible]

[illegible]

XLI. & seqq. verbis quaedam ne [illegible] *Thymelconis* Menippea proferre, quibus *Arenaei* doctrina & eruditio [illegible] & sincere [illegible]; non autem mores, ut quidam [illegible] [illegible] infulto criminati sunt, [illegible] tantum & [illegible], quae de *Pabia*, & *Prisilla* habentur, dicta sunt; nihilque aliud indicetur, nisi, quod ille potius contemnenda [illegible] da sunt [illegible] atque amplectatur. At [illegible] *[illegible]* iudicio minime [illegible] *[illegible]*, viri clarissimi & eruditissimi *Jac. Bruckeri* [illegible] litteras [illegible], quas ad me dederat, mire ad rem facientes, ut [illegible] Prioree die 23. Iunii anno 1738. datae sunt,

[illegible]

„ [illegible] recte transmissum, atque humanissimas
„ litteras hoc Augustae Vindelicorum, ubi per
„ [illegible]
„ [illegible]
„ sepi longe gratissimum. Et cur non fuisset?
„ [illegible] mihi accidit liber, qui tanta polition
„ ris & humanioris eruditionis copia & [illegible]
„ [illegible]
„ [illegible] Servatoris loquitur gentili & huma[illegible]
„ [illegible]
„ [illegible]
„ [illegible]
„ [illegible] accepisse retulit. Scilicet [illegible]
„ [illegible] illi homines, qui D. Ioannis [illegible]
„ [illegible] [illegible], quam
„ [illegible] quam [illegible], [illegible] secretior [illegible] sa-
„ pientia, [illegible] gentilis eruditionis non [illegible]
„ quamque male actum sit cum sacris litteris
„ ex quo meretricio quasi gentilis Philosophiae
„ colore pingi coeperunt, quod quam grave
„ [illegible] insinuavit, vel una
„ Originis loquitur historia. Verum hi homi-
„ [illegible]
„ [illegible] crepant, de se [illegible]
„ [illegible] esse credunt, si [illegible]
„ [illegible] Apostolos [illegible]; quos in [illegible]
„ [illegible] [illegible]
„ [illegible]
„ [illegible]
„ [illegible]
„ [illegible]
„ [illegible]
„ [illegible]
„ [illegible]
„ [illegible]
„ [illegible]
„ I. V. act. ult. [illegible], [illegible]
„ [illegible] [illegible]; immo & ad [illegible] D.
„ Paulum pertinere, quidquid aliis videatur
„ [illegible]

est, quam sibi passim omnes vindicant. Scribimus indocti doctique poemata passim. Hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc sophista verbosus, hanc universi praesumunt, lacerant, docent, antequam discant . . . . quidquid dixerint hoc legem Dei putant; nec scire dignantur quid Prophetae, quid Apostoli, senserint; sed ad sensum suum incongrua aptant testimonia, &c.

Quum vero leviter, sed iniuria semper, alii alia in meis lucubrationibus criminarentur, apud omnes tamen totum censurae pondus atque momentum in eo subsidebat ac versabatur, quod *Ioannis* Apostoli & Evangelistae, pro cuius coelesti doctrina adserenda laborem illum operamque susceperam, RVSTICITATEM & IMPERITIAM, veritate duce, re ipsa exigente, *Ioannis* honori congruenter, mirabili Ecclesiae institutioni consentanee, verbis disertissimis praedicavissem. Hinc mihi prima mali labes; iam minus ego pius; iam ad Socinianorum castra deficiens; iam audax, & improbus, & in

[illegible] ... Posteriorem ... inter Graecos & Latinos primo saeculo ... [illegible] ... Et hoc modo ... Dissertationem aliam ... CCXLVIII ... [illegible] ... pag. LIX. ... [illegible] ... in Spinozae ... [illegible] ... Thesaurus ... [illegible]

... [illegible] ... pag. ... [illegible] ... Theologos ... [illegible] ... Casuistas ... [illegible]

in Sanctum Evangelistam contumeliosus. O viros doctos! O Censores acutos! O homines pietatis custodes, religionis amantes, ὀρθοδοξίας ζηλωτάς! Adeo deridiculi & exsibilandi eiusmodi homines sunt, ut sanctum aliquem, & virtutibus divinis insignem, esse non posse arbitreatur, nisi etiam profana eruditione, liberalibus disciplinis, humanioribus litteris, instruatur; idemque habent sanctum dicere, atque doctissimum. Splenem Democriti olim iteratis votis expetebam, ut satis vecordem hominem ridere possem, qui, quod *Rob. Bellarmini* eruditionem, Sancti *Bernardi* Abbatis Claravallensis litteraturae, praetulissem, meo adspectu correpta fuga illico se subtraxit,

Improvisum aspris veluti qui sentibus anguem
Pressit humi nitens, trepidusque repente refugit. (4)

Cer-

(4) Hunc locum vellicat *Antonius Maunoirus Parchinius*, qui nostras terras hoc est, Pridie KL. Julias anno MDCCXIX. [illegible] [illegible], & quod fecerit, in suo *Tractatu* [illegible] pag. [illegible] scribit. *Sed quid de absurdo illo dicendum, quo praeponitur D. Bernardi [illegible], & [illegible] eruditioni, detractum est!* . . . *Quae quam docte ac [illegible] a [illegible] gloriam suam sancti viri eruditionem & doctrinam [illegible]* &c. Ea, quod D. *Bernardi* scientiam multiplicem *Roberti Bellarmini* eruditionem praevalentem, mihi crimini vertit, & in Sanctissimi illius viri laudem convertit, [illegible] [illegible] [illegible], quam ego nunquam negaverim, sed tantum eius doctrinam, & *Bellarmini* eruditionem, comparaverim. Quae *Parchinius* declamat, probant tantum D. *Bernardum*, pro illa barbara, qua vixit, aetate, & doctum, & facundum, &, propter orthodoxam & salubrem scientiam, maxime commendatum, fuisse; at non evincunt eius eruditionem & eloquentiam, si comparetur ad eruditionem *Bellarmini* consideretur, maiorem hac excellentioremque fuisse. Utriusque opera legisse sufficit, ut de hoc constet evidenter; sufficit utriusque studiorum historiam evolvere; sufficit tot [illegible] doctorum virorum de utriusque litteratura [illegible] [illegible] perpendere. Et revera, quum injuria eiusmodi censura me [illegible], res per se ipsa loquatur, quum in *Bernardi* scriptis sane doctrina quidem eluceat, sed varia & copiosa eruditio non eluceat, qualis in *Bellarmini* Commentariis [illegible] [illegible]. Omnes fatentur D. *Bernardum* plus divina meditando didicisse, quam legendo & libros [illegible], [illegible] comprehendisse; quare [illegible] *Philippus Labbeus* in *Supplemento ad Bellarminum De Scriptoribus Ecclesiasticis*, Theodidactum appellat. *Jo. Jacobus Hoffmannus* vero verissime de eo scripsit: *Nullos habuit praeceptores praeter quercus & fagos. Hinc proverbium*, Neque enim Bernardus vidit omnia. *Nec mirum, quum vixerit in fatalia illa tempora, quibus litteras omnibus fere locis spissa nox [illegible]*. Vir [illegible] [illegible] aevo, qui vel in tanta [illegible] [illegible] [illegible], [illegible] [illegible] deploravit, uti loquitur *Marianus* in *Causa Regia Cap. III. Sect. VII.* [illegible] ipsum fatetur etiam Annalium Cisterciensium Scriptor *Angelus Manrique* ad annum *MCV. Cap. II. n. 6.* [illegible], quum de *Bernardo* adhuc puero [illegible] [illegible] [illegible]: *Hinc videas, quod [illegible] [illegible] solet, Theologiam infusam a Deo fuisse sortitum, quamque ipse etiam dicere solebat, se inter fagos & quercus didicisse, ad incrementa potius referendam, quam ad initia, atque ad superiorem rerum contemplationem, [illegible], quam de scholis haberetur. Alias [illegible] Theologiae [illegible] fuit, [illegible] [illegible] qualitates illius temporis, sed eminens tamen, atque in sacra Scriptura versatur una mediocritate.* Ea quidem [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]

[illegible]

Certe, si hujusmodi ἀντιδογματικῶν pietati & religioni obpugnantium Christianorum dogmatum veritatem adversus impios, & haereticos, vocari deberent, vererer ne vera, & cum ipsam, exhibitura esset illa tabula, quam Amstelodami vidi, & in qua Romana bilanx depicta erat, in cujus altera lance prae nimio pondere subsidente liber inerat a Sectariis conscriptus; in altera vero sublime, tamquam pappo, evolante, Catholicorum volumina, & Ecclesiarum instrumenta, sursum ferebantur

[illegible] quae prius Franciscus [illegible] scripserat. *Solebat dicere Bernardus, omnes se [illegible] scivisse litteras, quarum nescio an aliud [illegible] fuerit, in silvis, & in [illegible] hominum disciplinae, [illegible] se nullos umquam [illegible] quercus & fagos.* [illegible] *de Mss. Occident. Cap. XI.* [illegible] *Bernardus) non ab homine* [illegible] controversatores aemulatus, [illegible] superiori loco de Christo [illegible] loquebatur. *Post tempus aliquod* [illegible] *Virgilium* [illegible] *carminibus illius verbis usus* [illegible] *de Spiritu Sancto* [illegible]

[illegible] *Philosophiae*, [illegible] *humaniores litteras & Scholasticam* [illegible] *ab Rossesi, imbiberat, & nulla insignibus ordine, plures ad populum concionaturus* [illegible] *Montem Vistam* [illegible] tempore Ebraicam [illegible] quam edidit [illegible] sit, & Academiam [illegible] linguas Ebraicis, Graecisque, sermonis [illegible] quatuor votorum [illegible] anno 1576, controversias in Romano Gymnasio explanavit [illegible] undecim in eo controversiarum munere consumsit. Anno vero 1586. libros conscribere coepit, & prelo tradere &c. Quicumque [illegible] litteratura, dubitabit ne umquam Bellarminum [illegible] eruditione, & litteris, [illegible] MDCCII. [illegible]

bantur; nec ad aequum libramen insilientes in eam Monachi Clericique ullo conatu deducere poterant. Et profecto, quae spes reliqua foret ex istis, qui Historiam Ecclesiasticam prorsus ignorant? qui antiquorum Patrum scripta ac traditiones ne primoribus quidem labris delibaverunt? qui coelestes ipsas litteras numquam evolvisse, tam manifeste & incredibiliter, censura adeo putida futilique, praesetulerunt?

Profecto *hos ego possem*, ut cum *Hieronymo* Marcellae scribente loquar, *meo iure contemnere* (*asino quippe lyra superflue canit*) sed tamen eis respondere lubet, ne tam hebetis cordis, & tam crassae rusticitatis, fuisse videar, ut aliquid, quod religioni iniuriosum, Christiano homini indecorum, proposito meo, qui divinam *Ioannis* Evangelistae scientiam laudibus ferebam, & a Socinianorum calumniis vindicabam, contrarium esset, litteris mandare potuerim. Itaque licet tota haec disputatio in eo versari debeat, quod ad meum de *Ioannis* eruditione iudicium attinet, quaedam quoque alia in antecessum attingam oportet, quae nonnullis aliis stultis & temerariis meorum obtrectatorum criminationibus faciant satis, easque dissolvant. Et quidem a nescio quibus etiam obiectum fuit, quod heterodoxorum interdum Scriptorum auctoritate functus sim; quod *Io. Clericum* ipsum, quem impugnabam, aliquando laudaverim. At quidni id facerem? Si Scriptorum haereticorum testimoniis interdum abusus sum, apte id, & percommode, fieri intellexi, quum adversus haereticos scriberem. Hanc artem ab Ecclesiae Patribus edoctus fueram, qui quum Ethnicos impugnarent & expugnarent, nonnisi Ethnicorum Sapientum rationibus, auctoritate, sententiis, testimoniis, isthuc ipsum exsequuti sunt, ut opera *Iustini*, *Tatiani*, *Theophili*, *Clementis Alexandrini*, *Origenis*, *Tertulliani*, *Eusebii*, *Lactantii*, *Arnobii*, *Athanasii*, *Chrysostomi*, *Gregorii Nazianzeni*, *Augustini*, *Orosii*, aliorumque id genus Ecclesiasticorum Scriptorum, evolventibus patet. Et plane absurdum & ridiculum est, iis auctoribus suam opinionem adversus inimicos stabilire, quos ipsi non recipiunt, immo contemnunt: profectum enim nullum inde sperare licet. Illis praeluserat *Paullus*, qui in A-

reopago concionem habens, Graecum Poetam, & Atticam inscriptionem, adlegat, atque inde sua dicta confirmat, ut *Actorum Cap. XVII.* legere est; quique, si apocryphis libris, quibus *Clemens VII. στρωμ.* utitur, credere dignum est, ad Sibyllae & Hystaspis oracula provocabat. Hanc viam Ethnicos revincendi ineundam verbis luculentissimis docent *Tatianus Orat. contra Graecos*, *Cyrillus Ierosolymitanus Catechesi τῶν φωτιζ. XIIX.* & eodem tendunt, quae sub initium *Libri VII. στρωματέων Clemens* habet Alexandrinus. Et certe in Cypriano, quem alias, ut meretur, maximi facit, id notat, & virgula censoria castigat, *Lactantius Lib. V. Divin. Instit. Cap. IV.* quod adversus Gentiles disputans, Scripturae Sacrae testimoniis utatur; id quod & *Hieronymus* Epistola ad Magnum Oratorem observabat.

Insuper non statim ex eo, quod Scriptor aliquis alicubi erraverit, aut haereticus sit, omnino reiiciendus est; sed tantum cum delectu, & debita venia, legendus. Ad rem praeclariter (7) laudatus *Hieronymus* Epistola LXV: *Lactantius in Li-*

(7) *Theofronadus* pag. [illegible] hunc [illegible] [illegible] [illegible] [illegible], & obsoletam, damnat, quam ab *Quadrigario* [illegible], pro *Nonio*, usurpata fuerat; qui quidem [illegible], multo ante Lactantii [illegible] vixit. Item pag. [illegible] [illegible], [illegible] [illegible] quod plura, & non plane Scriptorem; [illegible] quod non [illegible], pro [illegible], [illegible]. Non [illegible] egregie [illegible] [illegible] pag. IV. [illegible], quod *Theofronadus* [illegible] pag. [illegible] [illegible] *Favorinum* apud *A. Gellium* Libro I. [illegible] *Noctium Atticarum* Cap. X. quod [illegible]. *Quibus verbis compellaverit Favorinus Philosophus adolescentem casse nimis, & vetuste loquentem*; adolescenti dixisse; *Tu autem, proinde quasi cum matre Evandri nunc loquare, sermone abhinc multis annis iam desito uteris.* Atque ita ab me [illegible] quaedam verba usurpanti perpetuam fieri contendit, moneatque, ut illud *Caesaris* ab eodem *Gellio* relatum servem: *Habe semper in memoria, atque in pectore, ut tamquam scopulum, sic fugias inauditum atque insolens verbum.* Illis itaque respondet *Nemesius*, *Gellium* Libro I. [illegible] Cap. X. [illegible] tantum [illegible] [illegible], *profana & [illegible]* [illegible] in quotidiano communi sermone; at non improbare quaedam vocabula paulo antiquiora quidem, sed tamen non ignota, nec insolentia, quae non in familiari [illegible], sed apte ac convenienter in orationis opere usurpantur; quaeque tamen [illegible] [illegible], quae dicuntur, obscuritatem obtendant. Immo *Quinctilianus*, magnus eloquentiae praeceptor, *Libro I. Cap. VI.* antiquorum etiam verborum usum commendat, utpote quae orationi maiestatem & amplitudinem adiiciant. En eius verba: *Verba a vetustate repetita non solum magnos adsertores habent, sed etiam adferunt orationi maiestatem aliquam, non sine delectatione; nam & auctoritatem antiquitatis habent, & quia intermissa sunt, gratiam novitati similem parant. Sed opus est modo, ut neque crebra sint haec, neque manifesta, quia nihil est odiosius adfectatione, nec utique ab ultimis & iam oblitteratis repetita temporibus.* Non aliud docere contendens est *Caesar*, dum [illegible] atque insolens verbum fugere monet. Itaque vetera vocabula, iuxta *Quinctilianum*, usurpanda sunt, modo adeo insolentia, inaudita, atque ignota, non sint, ut orationem obscuram atque intellectu perdifficilem reddant; quod etiam idem Rhetor observat *Lib. VIII. Cap. III.* continens

sit,

Libris suis, & maxime in Epistolas ad Demetrianum, Spiritus Sancti omnino urges [illegible], & [illegible] ludaico [illegible], cum

[illegible], quae Gellius [illegible], non [illegible] citatum, sed etiam Libro XI. Cap. VII [illegible] Fabius, [illegible] in toto hoc opere, & quidem [illegible] [illegible]

Versus, quos olim Fauni vatesque canebant,

[illegible] nulla [illegible]; quum nullibi [illegible] de Sallustio ille cecinit:

Et verba antiqui multum furate Catonis
Crispe Iugurthinae conditor historiae.

[illegible] Virgilium [illegible] Lib. XI. Cap. II. [illegible] Hieronymo [illegible] Latinitatem [illegible] Quintilianus, [illegible] Lib. VIII. Cap. II. [illegible] [illegible] Cicero [illegible] CV. [illegible] Christianam [illegible]

[illegible] Ciceroni scripsit, [illegible] dici possit? Est [illegible] Auctor [illegible] A. Gellius, [illegible] Lib. IV. Cap. XIII. [illegible] Thrasymacho, Quadrigarius [illegible] [illegible] Quadrigarius, Valerius Antias, [illegible] Nigidius, M. Varro, Plautus, T. Lucretius [illegible] scripserunt [illegible] post Ciceronem [illegible] Ciceronem [illegible] Cicero [illegible] Quod si [illegible] Latinitatis auctorem [illegible] Cicero, non tamen [illegible] Aboriginibus, & Carmenta, colloquentem [illegible] Maximum Lib. VI. Capit. II. [illegible] Valla [illegible] Ad, ut ad Gellium revertar, [illegible] hoc ipsum verbum [illegible], Scriptor [illegible] elegantissimus Sebast. Castalio [illegible] est; & Castalio Latinitas in Scriptura Ecclesiastica [illegible] [illegible]

vel ad Patrem referri, vel ad Filium; & sanctificationem utriusque personae sub eius nomine demonstrari. Quis mihi interdicere potest, ne legam Institutionum eius libros, quibus contra gentes scripsit fortissime, quia superior sententia detestanda est? Apollinarius contra Porphyrium egregia scripsit volumina. Probo laborem viri, licet fatuum in plerisque dogma contemnam. Ex Epistola ad Tranquillinum: *Ego Origenem propter eruditionem sic interdum legendum arbitror, quomodo Tertullianum, Novatum, Arnobium, Apollinarium, & nonnullos Ecclesiasticos Scriptores Graecos pariter & Latinos, ut bona eorum eligamus, vitemusque contraria, iuxta Apostolum dicentem: Omnia probate, quod bonum est tenete.* In Epistola vero ad Minerium & Alexandrum ita scribit: *Siquis autem contrariae factionis immurmurat, quod eorum explanationes legam, quorum dogmatibus non adquiesco: sciat me illud Apostoli libenter audire: Omnia probate, quod bonum est tenete. Et Salvatoris verba dicentis: Estote probati nummularii: ut siquis nummus adulter est, & figuram Caesaris non habet, nec signatus est moneta publica, reprobetur: qui autem Christi faciem claro praefert lumine, in cordis nostri marsupium recondatur. Etenim si Dialecticam scire voluero, aut Philosophorum dogmata, &, ut ad nostra redeam, scientiam Scripturarum, nequaquam simplices Ecclesiae viros interrogare debeo, quorum alia gratia est, & unusquisque in suo sensu abundat: praesertim quum in domo magna patrisfamiliae vasorum diversitas multa dicatur; sed eos, qui artem didicere ab artifice, & in lege Domini meditantur die ac nocte. Ego & in adolescentia & in extrema aetate profiteor, & Origenem, & Eusebium Caesariensem, viros esse doctissimos, sed errasse in dogmatum veritate. Quod e contrario de Theodoro, Acacio, Apollinario, possumus dicere, & tamen omnes*

omnes

eorumque sententiarum castitatem & perspicuitatem [illegible], quorum gravitas [illegible] eorum Ecclesiasticorum Scriptorum [illegible] verborum negligentes, multum tamen de sententiis solliciti semper ideo laudabiliores. Epistola quoque XXX ad Franciscum [illegible], & Philippum [illegible], haec habet: *Sensus Ecclesiae [illegible], & verae sapientiae sectatores, maiorem sententiarum pondus, quam verborum fucum, esse sequuntur. Illos vero contra, qui sapientiam profitentur, praeter elaboratam, pompam verborum, praeter [illegible], &, ut ita dicam, [illegible] verba, totum esse sonum, tinnitum, strepitum, quod dicunt: nec verum, nec [illegible], [illegible] Christianos, vel, ut [illegible], Philosophos, sed [illegible] quidem habere. Quorum qui nihil [illegible], nihil sanctum, nihil grave, nihil vivide, [illegible] proferunt, quod non doceat, nisi [illegible] aut [illegible], nec [illegible] ad [illegible] animi, nihil afferat.*

Recte igitur, ac divinis suis consiliis congruenter, Iesus Christus Apostolos, & Discipulos, adeo humiles & abiectos elegit, qui quum Deus esset, & regia secundum conditionem humanam Davidis stirpe progenitus, servi formam & peccatoris similitudinem sumserat; & bene ac sapienter *Clemens*, Epistola ad Corinthios, tantam Iesu humilitatem diserte praedicavit. Τὸ σκῆπτρον, inquit, τῆς μεγαλωσύνης τοῦ Θεοῦ ὁ Κύριος ἡμῶν Χριστὸς Ἰησοῦς, οὐκ ἦλθεν ἐν κόμπῳ ἀλαζονείας, οὐδ᾽ ὑπερηφανίας, καίπερ δυνάμενος, ἀλλὰ ταπεινοφρονῶν. *Sceptrum magnificentiae Dei Dominus noster Iesus Christus, non venit in iactantia superbiae, & adrogantiae, quamvis potuerit, sed in humilitate*. Quare Discipulus eiusdem Servatoris nostri *Thaddaeus*, quum *Abgaro* Edessae Regulo, apud *Eusebium Lib. I. Histor. Eccles. Cap. XIII.* omnia de Christo se perindie nunciaturum polliceretur, dicturum se recipit καὶ περὶ τῆς σμικρότητος καὶ εὐτελείας, καὶ περὶ τῆς ταπεινώσεως τοῦ φαινομένου ἔξωθεν ἀνθρώπου, καὶ πῶς ἐταπείνωσεν ἑαυτὸν, καὶ ἀπέθανε, καὶ ἐσμίκρυνεν αὐτοῦ τὴν θεότητα: *& de tenuitate & vilitate & abiectione, qua tamquam homo exterius adparebat, & quo pacto semetipse depresserit, mortemque subierit, & divinitatem suam ipse minuerit.*

Pre-



etiam eruditum Lectorem dimitto. Si igitur de arctiori, & consuetiori amicitia & familiaritate agi, iam constat, exemplo ab *Dethardingo* adducto nihil ad rem facere. *Cornelius* Centurio missis nunciis *Petrum* Apostolum advocat, ut ab eo eius liberalitate fruatur, quod quidem *Petrus* [illegible] est: ubi hic amicitia intrinseca familiaritas addita, fida & arcta consuetudo fuerit [illegible] *Dethardingus*, & somniat toto profecto de pectore somnum. *Actorum Capite XVII.* narrat *Lucas*, Thessalonicae non paucas mulieres nobiles *Paulo & Silae* evangelium praedicantibus credidisse, illisque adhaesisse, ut de coetu Christianorum essent. Quid hic cum amicitia, familiaritate, consuetudine, hospitio? Igitur [illegible] λόγος. Horum exemplorum igitur oblitus non erit, sed inveniam esse τὸ πρὸς [illegible]. Sic etiam *Dethardingus* ἔπος πρὸς [illegible]-ger.

Primitivos Christianos humili admodum genere, & conditione, ut plurimum fuisse. (63)

CAPUT III.



SED etsi de Apostolorum humilitate, & obscuro genere, testimonia adeo certa & luculenta non subpeterent; tamen id, quod adserimus, ignobilis ac vilis primitivorum Christianorum conditio, exiguae opes, genus pariter obscurum, facile evincerent atque demonstrarent. (64) Ignobiles enim rusticique coelestis sapientiae praecones atque magistri superbos divitum nobiliumque animos, gratiae, quae humilibus datur, resistentes, non facile persuadebant; sed turba simplex ac vilis admirabilem Apostolorum doctrinam faciliter amplexa est, dicente Deo per Prophetam: *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, & trementem sermones meos?* Et sapientia ipsa Christus luculente praedixerat, apud *Matthaeum XIX. Marcum X. Lucam XVIII.* illis gravissimis verbis: *Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in regnum coelorum: Et iterum dico vobis: Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum coelorum.* Egregie de more *Cyprianus Lib. de lapsis: Decepit multos patrimonii sui amor caecus: nec ad recedendum parati aut expediti esse potuerunt, quos facultates suae, velut compedes, ligaverant . . . . Sequi autem Christum quomodo possunt, qui patrimonii vinculo detinentur? Aut quomodo coelum petunt, & ad sublimia & alta conscendunt, qui terrenis cupiditatibus degravantur?* Egregie item apud *Minucium* Octavius ait, *divites facultatibus suis illigatos, magis aurum suspicere consuesse, quam coelum; nostrates pauperes & commentos esse prudentiam, & tradidisse ceteris disciplinam.* Egregie pariter *Lactantius Lib. VII. Div. Instit. Cap. I. Ea sit*

(63) Multa, quae [illegible] Capite hoc a [illegible], in [illegible] opinione [illegible].

(64) [illegible] est, quod [illegible] ipsa [illegible] & paupertatem primitivorum Christianorum [illegible], & in [illegible] contrarium, ut per hanc [illegible] & [illegible] Apostolorum [illegible]. At [illegible] hujus Capitis [illegible] ut de Apostolorum [illegible] & obscuro genere [illegible].

ut pauperes, & humiles, etiam Deo credant faciliùs, quod sint expeditiores, quam divites, qui sunt impedimentis plurimis implicati; immo catenis, & compedibus serviunt ad nutum dominae cupiditatis, quae illos inextricabilibus vinculis irretiunt: nec possunt in coelum adspicere, quoniam mens eorum in terram prona, humique defixa est. Similia habet *Hieronymus in Ionam Cap. III.* Similia quoque veteres Interpretes ad locum D. Pauli, quem ex *Epistola I. ad Corinthios* Capite antecedente descripsimus; quem quidem locum, etsi de Apostolis potissimum, cum longe doctissimis viris, intelleximus, (65) tamen & reliquos primitivos Christianos respicere, res manifestior est, quam ut dubitare quis possit. De his quoque accipi potest, quod *Ioannes Chrysostomus Homil. VIII. in Cap. II. Act. Apostol.* de Petro agens scriptum

(65) *Dethardingus* l. IX. [illegible]

[illegible]

ptum reliquit: *Quis enim non obstupesceret, quis non admiraretur hominem, moribus simplicem, vel quis non se iungeret ei, qui subdolus non est? Et quorum aliorum est salus, & quorum magna bona? Nonne pastoribus initio Evangelium praedicatum est? Nonne Ioseph simplex quidem homo erat, & ita, ut nec per adulterii subspicionem perterreretur, quo peccato perpetrando consentiret? Nonne AGRESTES fuci expertes elegit?* Ergo non multi nobiles, iuxta *Paullum*, non multi potentes, non multi divites, sed ignobiles, ut plurimum, & contemtibiles, & nauci homines, Christi mysteriis, Apostolis Evangelium adnunciantibus, primum initiati sunt. (66) Praeclariter ad hunc locum *Nicetas* Heracleensis, cuius Commentarii (67) in Epistolas omnes D. Paulli in Bibliotheca Laurentiana MSS. adservantur: *οἱ δυνατοὶ καὶ οἱ εὐγενεῖς τύφου πεπληρωμένοι· οἱ μὲν διὰ τὸν πλοῦτον· οἱ δὲ διὰ τὸ γένος· ὑπεξέλκουσιν ἑαυτοὺς τῆς θεογνωσίας, καὶ οὐκ αἱροῦνται τῶν παρόντων καταφρονεῖν· ἡ πανταχῆ τὰ ἀποβόλιμα, καὶ τὰ εὐτελῆ προσελάβετο. Potentes & nobiles superbia pleni; illi quidem ob divitias; hi, ob genus; Dei cognitione se subtrahunt, nec praesentia contemnere eligunt; & omnino abiecta & vilia adsumta fuerunt.* *Pelagius* etiam, doctus quidem sed haereticus, (68) haec ad eumdem locum commentatur: *Videte enim vocationem vestram, fratres. Exemplum accepit ex his, qui crediderant, ut ostendat, quia non prodest gloriatio carnalis ad fidem, sed magis obest; dum superbia sapientiae, & nobilitatis inflati, homines Dei sapientiae subiacere noluerunt.* *Gregorius* vero Turonensis *Lib. I. Historiarum Cap. XXXI.* de Biturigum civitate agens scribit: *Senatores vero, vel reliqui meliores loci, fanaticis erant tunc cultibus obligati: qui vero crediderant, ex pauperibus erant, iuxta illud Domini, quod Iudaeis exprobrat dicens, Quia meretrices & publicani praecedunt vos in regno Dei.* Si qui vero vel dignita-

to

(66) Horum commentariorum particulam edidi in *Deliciis Eruditorum*.

(67) Ludibrium debet Eruditis *Thrasymachus*, dum pertendit, à me scribendum fuisse; *Haeretico quidem, sed docto*. Prius hoc memoranda fuit, posterius praeterea, deploranti hominis infelicitatem.

(68) Nugari item videtur *Pritius* Cap. III. pag. 58. dum *Deibordiaeo* concludit, & contendere non desinit, *Pauli* locum ex *Epistola I. ad Corinthios* impatiens productum, non Apostolos respicere, contra quem perspicue demonstravimus; sed vocationem tamen & conversionem eorum qui primi crediderunt. Haec autem obiectio responsione in ipsa omnino est, quam disertissimis auctoritatibus *Ioannis Chrysostomi*, *Theodoreti*, *Oecumenii*, *Ambrosii*, aliorumque interpretum doctissimorum contraria fit. Adi superius Cap. II. huius operis pag. 59. & praecedentem *dissertationem*.

re eminebant, vel honoribus inhiabant, non omnino sincere Christianae legi inhaesisse, indicare videtur *Ignatius Martyr Epistola ad Trallianos* illis verbis: οἱ καιροὶ παρεμπλέκουσιν Ἰησοῦν Χριστὸν, κατ' ἀξίαν πιστευόμενοι, ὥσπερ θανάσιμον φάρμακον διδόντες μετ' οἰνομέλιτος, ὅπερ ὁ ἀγνοῶν ἡδέως λαμβάνει ἐν ἡδονῇ κακῇ τὸ ἀποθανεῖν. Φυλάττεσθε οὖν τοὺς τοιούτους. *Temporarii Iesum Christum amplexantur, ratione dignitatis, quam obtinent, credentes: velut mortiferum pharmacum cum mulso dantes, quod qui ignorat lubenter cum voluptate noxia mortem accipit. A talibus igitur vos custodite.* Quamquam verius fortassis haec verba intelligenda de iis videantur, qui dignitatum inter Christianos adipiscendarum gratia, fidem nostram amplexabantur. Pereruditus etiam *Lib. Fromondus* ad illum πολυτρύλλητον *Paulli* locum observat, *plerosque Christianos Corinthi fuisse mechanicos & plebeios*; totumque tam apte latequae edisserit, ut persuadeat, homines, quos primum Deus vocavit, *homines nihili & tam abiectos fuisse, ut inter homines esse non viderentur*. Equidem, si sacram Ecclesiae historiam percurrere lubet, & quinam ac quales Christianis ritibus primo saeculo inhaeserint, curiosius inquirere, eos ut plurimum viles, humiles, despectos, pauperesque, homines fuisse comperiemus, sive genus, sive ministeria, sive sexum & aetatem, sive mores, sive opes, sive habitum, vestesque, respiciamus.

Itaque etsi statim ab acceptis Spiritus Sancti charismatis, Iudaeorum multos Petrus Apostolus ad Christi sapientiam traduxerit, principes tamen omnes viros, & sacerdotes, & magistratus, & Pharisaeorum Sadducaeorumque haereses, illi aliisque Apostolis adversatos fuisse, eosque captos in carceres coniecisse, *Lucas* in *Actis cap. IV. & V.*, *& sequentibus*, diserte testatur. (65) Hinc *Hieronymus Prooemio Libri III. fuerunt* Com-

(64) Obiicit *Porbiellus* pag. 99. sui libelli, hoc cum omnis a me excogitatum fuisse, quod velim ex illis principibus viris, Sacerdotibus, Magistratibus, & Pharisaeis Christi fidem & dogma complexos fuisse. Nam ibidem *Lucas* quidem Actorum Capite VI. 11. clarissime testatur, Gamalielem praecipuum doctorem, & inter Pharisaeos excellentem, universaeque plebi valde honorabilem, adhortatum in Concilio, & apologeticam pro Apostolis orationem habuisse. At facile haec omnia [illegible]. Ipse addidero quosdam & illustres ex primitivis Christianis recensendos Capiti alii hujus operis reservaverim: inter quos etiam *Gamalielem*, de quo loquutus sum: *Constat quoque Christianam professionem inter Iudaeos professum, & Pharisaeum esse, & legis doctor, populoque* [illegible]. Illo Capite mentio Gam-

Commentariorum in Epistolam ad Galatas litteris mandavit: *Ecclesia Christi non de Academia & Lyceo, sed de VILI PLEBECULA congregata est.* Hinc & Caecilius apud Minutium Felicem in Octavio adversus Christianos ita disserat: *Homines deploratae, inlicitae, ac desperatae, factionis grassari in Deos non ingemiscendum est? Qui de VLTIMA FAECE collectis imperitioribus, & mulieribus credulis sexus sui facilitate labentibus, PLEBEM profanae conjurationis instituunt.* Et mox suae declamationi jam modum imponens ita Octavium Christianum hominem irridet: *At quid ad haec audet Octavius homo Plautinae prosapiae, ut pistorum praecipuus, ita postremus Philosophorum?* Ad quae verba consulantur *Nic. Rigaltius* in *Observationibus*, & *Joseph Binghamus Lib. I. Origin. Eccl. Cap. I. § XII. Tom. I.* & nuperus Scriptor eruditissimus *Thom. Mar. Mamachius Tom. I. Originum & Antiquitatum Christianarum Libro I. Cap. II. § XV.* Haec omnia, quod ad humilem Christianorum conditionem attinet, non inficiatur Octavius, sed magis probat; quamquam & eam aliquando voluntariam esse subindicat: *Nec de VLTIMA statim,* inquit, *PLEBE consistimus, si honores vestros & purpuras recusamus.* Haud prope aliter, quam *Tertullianus* in *Apologetico Cap. XXXVIII.* dixerat: *At enim nobis, omni gloriae & dignitatis ardore frigentibus, nulla est necessitas coetus; nec ulla magis res aliena, quam publica.* Sed & secundi saeculi *Auctor*, qui Dialogum *Philopatris* inscriptum Christianos irrisurus composuit, Christianos, vel tamquam homunciones, vel tamquam rupicones, vel tamquam emarcidos vetulos, passim traducit. Homunculum quoque Asclepiadem Christianum vocat quidam in *Actis S. Pionii*; & *Celsus* apud *Origenem Lib. III.* Christianos plerosque, ait, ἀγεννεῖς & ἀνδράποδα, IGNOBILES, & MANCIPIA, fuisse. En *Celsi* verba: *Μόνους τοὺς ἠλιθίους καὶ ἀγεννεῖς καὶ ἀναισθήτους καὶ ἀνδράποδα καὶ γύναια καὶ παιδάρια, πείθειν ἐθέλουσιν, ἢ δύνανται. Solos stolidos, & ignobiles, & hebetes, & mancipia, & mulieres, & pueros, persuadere* vo-

[illegible]

volunt, & possunt; quod Christianis objectum deinde video etiam ab *Iuliano Apostata* apud *Gregorium Nazianzenum Orat. II. Tryphon* autem ludens dicit *Iustino*, cum Christianus ἀνθρώποις ἀκολουθῆσαι οὐδενὸς ἀξίοις; *hominibus adhaerescere nullius pretii.* Apud *Prudentium* autem ita Praeses Romanum Martyrem adloquitur:

> *Te ventilator urbis, & VVLGI LEVIS*
> *Procella, mentes inquietas mobiles, &c.* (70)

Li-

[illegible]

[illegible]

Libanius vero, in *Oratione pro Templis*, Christianos vocat eos, qui relictis forcipibus, malleis, & incudibus, de coelo, deque iis, quae coelum incolunt, differere sustinent: ἐπειδὴ γάρ μοι τις τῶν τὰς μὲν πυράγρας, καὶ σφύρας, καὶ ἄκμονας, ἀφέντων, περὶ δὲ οὐρανοῦ ἐχόντων ἀξιούντων διαλέγεσθαι κ. τ. λ. Hinc insolentius in Christianorum conditionem invehitur *Eunapius* in *Aedesio*, eosque, tamquam mancipia, traducit insequentibus verbis: Τοὺς δὲ μοναχοὺς τούτους καὶ εἰς τὸν Κάνωβον καθίδρυσαν ἀντὶ τῶν νοητῶν θεῶν εἰς ἀνδραπόδων θεραπείας. καὶ οὐδὲ χρηστῶν καταδήσαντες τὸ ἀνθρώπινον. ὀστέα γὰρ καὶ κεφαλὰς τῶν ἐπὶ πολλοῖς ἁμαρτήμασιν ἑαλωκότων συναλίζοντες, οὓς τὸ πολιτικὸν ἐκόλαζε δικαστήριον, θεούς τε ἀπεδείκνυσαν, καὶ προσεκαλινδοῦντο ** ἢ κρείττους ἀπελάμβανον εἶναι μολυνόμενοι πρὸς τοῖς τάφοις. μάρτυρες γοῦν ἐκαλοῦντο καὶ διάκονοί τινες, καὶ πρέσβεις τῶν αἰτήσεων παρὰ τῶν θεῶν, ἀνδράποδα δεδουλευκότα κακῶς, καὶ μάστιξι καταδεδαπανημένα, καὶ τὰς τῆς μοχθηρίας ὠτειλὰς ἐν τοῖς εἰδώλοις φέροντα. ἀλλ᾽ ὅμως ἡ γῆ φέρει τούτους τοὺς θεούς. *Illi ipsi Monachos Canobi quoque collocarunt, ut pro Diis, qui animo cernuntur, servos, & quidem flagitiosos, divinis honoribus percolerent, humanum mentibus ad cultum ceremoniasque obligatis: ossa namque condita & salsa eorum capita, qui ob scelerum multitudinem a iudicibus extremo supplicio fuerant adfecti, pro divis ostentabant; iis genua submittebant, eos in deorum numero recipiebant; ad illorum sepulcra pulvere sordibusque conspurcati: ii his nimirum Martyres, Diaconi alii, & legati arbitrique precum petitionumque apud Deos nominabantur; quum fuerint servitia infida, & flagris pessime subacta, & quae cicatrices, scelerum ac nequitiae vestigia, corporibus circumferrent: eiusmodi tamen Deos fert tellus.* Sed ne solis Ethnicorum saepe calumniatorum testimoniis abuti videamur, *Tertullianus* quoque *Apologetico Cap. III.* obscurum Christianorum genus perspicue indicat, ubi scribit: *Alii, quos retro ante hoc nomen, VAGOS, VILES, improbos, noverant, ex ipso denotant quo laudant, caecitate alia in suffragium impingunt, &c. Theodo-*

rum Athenis [illegible] Christianorum [illegible] [illegible] quando Christiana lex [illegible] agerat, & nullos plane [illegible] habebat; quid dicendum erit de primis in[illegible], saeculi Christiani hominibus, quando eorum numerus minor erat atque conditio? Consulatur *Mamachius* pag. LXIII. & *seq.*

retus quoque *Serm. VIII.* fatetur, Christianos plerosque non divites aut doctos fuisse, sed χαλκοτύπους, οἰκέτας, &c. *fabros aerarios*, SERVOS, &c.

Et hic quidem *Theodoreti* locus plenior adferendus; nam alia ministeria, & artes, Christianorum distincte docet, dum ait, fuisse χαλκοτύπους, οἰκέτας, καὶ προσαίτας, καὶ γεωργοὺς, καὶ ὑλοτόμους. FABROS FERRARIOS, *servos, & mendicos*, & AGRICOLAS, & LIGNATORES: (71) et demonstrat etiam *Binghamus Tom. I. Origin. Ecclesf. Lib. I. cap. II. §. XII.* & Caecilius apud *Minutium Felicem* homines *artium sordidarum* Christianos adpellat. *Iuvenalis* quoque *Satira IV.* Christianos *Cerdonum* nomine traducit, eos viles artifices, & qui labore suo victum quaererent, ita innuens: ait enim Domitiano tot clarissimorum & nobilissimorum virorum caedes impune fuisse, & tunc demum morte sua luisse poenas, quum in cerdones, abiectaeque sortis homines, hoc est, Christianos, saevire coepisset. Caesus est enim anno XCVI. quum praecedenti Christianos persequi adgressus esset. Versus Poetae sunt:

Atque utinam his potius nugis tota illa dedisset
Tempora saevitiae, claras quibus abstulit urbi,
Illustresque, animas impune, & vindice nullo:
Sed periit postquam CERDONIBVS esse timendus
Coeperat: hoc nocuit Lamiarum caede madenti.

Id forte *Iuvenalis* observat, quod Christiani in violenta Domitiani morte divinam ultionem adgnoscerent ac praedicarent. (72) Et quidem opifices, & despectos homines, plerosque

(71) Obstrepit huic *Thrasimachus* pag. 58. perperamque *Theodoreti* locum, id, quod intendo, non probare; sed dum haec vult, mentem [illegible] praeferre. Ille enim hoc loco scribit, non quinque solum, decemve, aut quindecim, centumve, aut ducentos, homines aquis salutaribus recreasse Deum cum se, paucos scilicet quosdam nobiles, divites, potentes, sapientes, eruditos; sed gentes universas Graecos, Barbaros; doctos, indoctos; sutores, textores, fabros ferrarios, ceteros manuales artifices, servos, mendicos, agricolas, lignatores, &c. hoc est innumeram multitudinem, quae numero centum aut ducentos superat, tanto enim nobiles & divites ac eruditos excedit. His igitur verbis *Theodoretus* id, quod adfirmo, confirmat, turbam scilicet vilem & abiectam Christianorum multo maiorem fuisse, quam divitum & potentium multitudinem. Consule *Neumannum* pag. LXIV.

(72) *Thrasimachus* pag. 87. prope furore correptus [illegible] inferret, quod de Christianis hunc *Iuvenalis* locum intelligere, & explicare potuerim: neque alium unquam Poetae illius interpretem a me inventum esse, qui talem sensum [illegible]

quo Christianorum extitisse exemplis etiam insignibus demonstrari potest. Ecce Aquilam Ponticum, & Priscillam uxorem eius, σκηνοποιοὺς fuisse; Ioppensem autem Simonem, coriarium, memoriae prodidit *Lucas* in *Actis*. *Lydia*, quae ex Civitate Thyatira erat, & Philippis morabatur, purpuras vendebat, ut apud eumdem *Lucam Cap. XVI. Actor.* videre est, (31) ubi & servus carceris custos cum tota familia Christianus effectus dicitur, sicut & servus Christianus *Onesimus* fuit, de quo *Paullus* in *Epistola ad Philemonem*. Iudae autem Apostoli nepotes paternum rus exercendo vitam tolerasse, tradit Caesariensis *Eusebius Lib. III. Histor. Eccles. cap. XX. Iosephus* autem *Assemanus*, Maronita, Praesul eruditissimus, *Tom. III. Bibliothecae Oriental. Par. II.* prodit, Aghaeum quemdam, Thaddaei discipulum, & sericarum vestium opificem, in Perside, Assyria, Media, Armenia, alibique, Evangelium adnuntiavisse. Ast primitivos Christianos negotiis vulgaribus, & artibus, generatim addictos fuisse, ostendit etiam *Tertullianus Apologetici Cap. XLII. Sed alio quoque*, inquit, *iniuriarum titulo postulamur, &*

[illegible]

[illegible]

infructuosi in negotiis dicimur. Quo pacto, homines vobiscum degentes, eiusdem victus, habitus, instructus, eiusdem ad vitam necessitatis? . . . . Itaque non sine foro, non sine macello, non sine balneis, tabernis, officinis, stabulis, nundinis vestris, ceterisque commerciis, cohabitamus in hoc seculo. Navigamus & nos vobiscum, & militamus, & rusticamur, & mercamur; proinde miscemus artes, opera nostra publicamus usui vestro. Quomodo infructuosi videamur negotiis vestris, cum quibus & de quibus vivimus, non scio. Porro de artibus & opificiis veterum Christianorum, capite peculiari, agemus forsan inferius.

Sed & feminas atque infantes, puerosque, praecipue Christianum dogma coluisse, multa sunt quae persuadeant. Nil de feminis Christum consectantibus, nil de viduis dixerim, quae primitivorum Christianorum mensis ministrabant, & quarum *Lucas Actor. cap. VI.* meminit. Nil de aliis viduis, quae Petrum circumsteterunt, ut mortuam Dorcadem in vitam revocaret, rogantes, quas idem divinus auctor *Cap. IX.* laudati operis describit. Nil de viduis huiusmodi, de quibus non pauca habet Apostolus *Epist. I. ad Timoth. cap. V. & Epist. ad Tit. cap.* II. & tam multa disponuntur *Lib. III. Constitut. Apost.* Nil de mulieribus, quae ad *Paullum* audiendum Philippis convenerant, de quibus laudatus *Lucas* agit eiusdem operis *Cap. XI.* aut de Graecis illis, quas capite insequenti commemorat. Nil de iis denique, quae eidem Apostolo Christianam sapientiam praedicanti Thessalonicae adhaeserunt, ut eorumdem *Actorum Cap. XVII.* memoriae proditum est. Sed quid aliunde de feminis ad Christianos ritus convolantibus intelligi potest, heic a me producendum. Et primum ecce *Caecilii* apud *Minutium Felicem* iterum verba: *Homines deploratae, inlicitae, ac desperatae, factionis grassari in Deos non ingemiscendum est? Qui de ultima faece collectis imperitioribus, &* MVLIERIBVS *credulis sexus sui facilitate labentibus, plebem profanae coniurationis instituunt.* Id *Octavius* non inficiatur, sed tantum respondere haec contentus est: *At quoniam meus frater erupit, aegre se ferre, stomachari, indignari, dolere, illiteratos, pauperes, imperitos, de rebus coelestibus disputare: sciat omnes homines sine delectu* AETATIS, SEXVS, *dignitatis, rationis & sensus capaces, & habiles, procrea-*

treatos, &c. Celsus autem apud *Origenem Lib. III.* Christianos criminans ait, evidenter elucere, ὅτι μόνους τοὺς ἠλιθίους, καὶ ἀγεννεῖς, καὶ ἀναισθήτους, καὶ ἀνδράποδα, καὶ ΓΥΝΑΙΑ καὶ ΠΑΙΔΑΡΙΑ πείθειν ἐθέλουσιν καὶ δύνανται. *Solos fatuos, ignavos, stolidos, mancipia,* MVLIERCVLAS, PVEROS, *captare ac pellicere velle ac posse. Iulianus* vero Augustus ὁ παραβάτης apud *Gregorium Nazianzenum Orat. II.* Christianos ridet, quod cum decrepita aetate mulierculis Ecclesias frequentarent. Aniles item fabulas consulta Christianorum vocat Ethnicus *Caecilius* apud *Minucium Felicem* laudatum. Anile dogma adpellat Praeses apud *Prudentium* in *Agone Fructuosi*, & ita, Martyrem adloquens,

Tu qui doctor, ait, seris novellum
Commenti genus, ut LEVES PVELLAE
Lucos destituant, Iovem relinquant;
Damnes si sapias ANILE DOGMA.

Non aliter ac iste Praeses, vetustior Dialogi *Philopatridos* auctor, Christianorum placita, non nisi mulierum & anicularum somnia & deliramenta nuncupando, elevat atque contemnit. Sed nec *Theodoretus* ipse *Serm. VIII.* mulieres γυναῖκας bonam esse coetus Christiani partem negat; nec doctus *Tatianus* Assyrius Theodoreto multo antiquior, qui huiusmodi Ethnicorum criminationes egregie retundit atque confutat, non negans quidem, feminas Christianae sapientiae mysteriis initiari, & divinos sermones edisserere; sed ita nihil fieri docens, quod a Graecis factum non fuerit. Quum enim varias & multas Graecas feminas, doctrina & eruditione conspicuas, recensuisset, subdit: ταύτας δὲ εἰπεῖν προὐθυμήθην, ἵνα μηδὲ παρ' ἡμῖν ξένον τι πράττεσθαι νομίζητε, καὶ συγκρίναντες τὰ ὑπ' ὄψιν ἐπιτηδεύματα, μὴ χλευάζητε τὰς παρ' ἡμῖν φιλοσοφούσας. καὶ ἡ μὲν Σάπφω γύναιον πορνικὸν ἐρωτομανὲς καὶ τὴν ἑαυτῆς ἀσέλγειαν ᾄδει. πᾶσαι δὲ αἱ παρ' ἡμῖν σωφρονοῦσι καὶ περὶ τὰς ἠλακάτας αἱ παρθένοι τὰ κατὰ θεὸν λαλοῦσιν ἐκφωνήματα, ὡς παρ' ὑμῖν παιδὸς σπουδαιότερον. τίνα χάριν αἰδέσθητε, μαθηταὶ μὲν ὑμεῖς τῶν γυναικῶν ἀπεχόμενοι, τὰς δὲ σὺν ἡμῖν πολιτευομένας σὺν τῇ μετ' αὐτῶν πανηγύρει χλευάζοντες. *Has omnes enumerare volui, ut apud nos etiam nihil novum fieri existimetis, & mulierum vestrarum*

stu-

studia conferentes, eas etiam, quae nobiscum philosophantur, non irrideatis. Vestra est meretricia muliercula Sappho, quae insano amore capta suam ipsa lasciviam canat: nostrae vero omnes pudicae sunt, & inter suas lanificia virgines, divinos sermones edisserunt, multo honestiore, quam vestra puella, studio. Quare igitur erubescite, quod quum ipsi mulierculorum discipuli sitis, eas, quae nobis conjunctae sunt, subsannatis. Lactantius vero *Firmianus lib. V. cap. XX.* irrisores illos omnes ita repellit: *Doceant isti hoc modo, si quae illis fiducia veritatis est, loquantur, hiscant, audeant, inquam, disputare nobiscum aliquid ejusmodi: jam profecto ab* ANICULIS, *quas contemnunt, & a* PUERIS *nostratibus, error illorum ac stultitia irridebitur.* Itaque jam usurpari potest, quod ait *Polychronius* in *Canticum Canticorum*: τὸ νηπιῶδες τοῦ Θεοῦ δίδαγμα ἰσχυρὸν καὶ στερεώτερον τῶν κοσμικῶν σοφισμάτων. *Infantilis Dei doctrina robusta & fortissima mundi sophismata praestat.* Et hic opportune observandum est, primis Christiani nominis temporibus, Christianas quasdam feminas fuisse prophetidas, ut Philippi quidem Evangelistae virgines filiae, cujus rei *Lucas* in Actis *cap. XXI. vers. 9.* testis est locupletissimus. *Eusebius* quidem Caesariensis *lib. III. cap. XXXI.* & *Nicephorus lib. III. cap. XX.* etiam Philippi Apostoli filias prophetiae munere illustres fuisse tradiderunt; sed forte unius Philippi filias cum alterius confuderunt, in quo tamen cum *Tillemontio* adsensum sustineo. Feminarum prophetantium meminit etiam *Paulus I. ad Corinth. cap. XI.* illis verbis: πᾶσα δὲ γυνὴ προσευχομένη ἢ προφητεύουσα ἀκατακαλύπτῳ τῇ κεφαλῇ καταισχύνει τὴν κεφαλὴν ἑαυτῆς. *Omnis autem mulier orans aut prophetans non velato capite deturpat caput suum.* Hinc fiduciam sumsit Montanus, ut suarum mulierculorum prophetias & visiones jactaret: & saeculo III. ineunte Perpetuae Felicitatisque Martyrum visiones celebres erant, & creditae; ut ex earum *Actis* apud *Ruinartium*, & *Augustino Serm. CCLXXX. & CCLXXXII.* constat. Quidquid tamen mulieres de divinis litteris meditarentur, aut dissererent, domi id eas fecisse exploratae fidei est (34); non enim in Ecclesiis eis loqui fas erat,

(34) Theodoretus [illegible]

[illegible]

erat, *Paullo* Apostolo eadem Epistola *Cap. XIV.* id prohibente: *Αἱ γυναῖκες ὑμῶν ἐν ταῖς ἐκκλησίαις σιγάτωσαν. οὐ γὰρ ἐπιτέτραπται αὐταῖς λαλεῖν, ἀλλ' ὑποτάσσεσθαι, καθὼς καὶ ὁ νόμος λέγει. Εἰ δέ τι μαθεῖν θέλουσιν ἐν οἴκῳ τοὺς ἰδίους ἄνδρας ἐπερωτάτωσαν. αἰσχρὸν γάρ ἐστι γυναιξὶν ἐν ἐκκλησίᾳ λαλεῖν. Mulieres in Ecclesia taceant, non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut & lex dicit. Siquid autem volunt discere, domi viros suos interrogent. Turpe est enim mulieri loqui in Ecclesia.* Sed quomodo intelligendus venit *Cl. Guilielmus* ad verba Paulli superius prolata ita scribens? *Nondum interdictum erat mulieribus publice tum orare, tum praedicare & vaticinari, ut argumento sunt multorum illius temporis acta!* Quaenam sunt illa Acta illius temporis, illius scilicet, quod Epistolae I. ad Corinthios scriptionem praecesserit? id vero quod *Paullus* Epistola *ad Corinthios* de feminis praecipit, confirmat etiam, *I. ad Timoth.* Apostoli insuper feminas quasdam patrio more circumducebant, ut docet idem *Paullus* Apostolus Epist. *I. ad Cor. IX. 5.* quae eis deservirent; & primis Ecclesiae temporibus Diaconissae quaedam in multos Christianorum usus constitutae erant, quibus de agitur *Lib. III. Constit. Apost. cap. XV.* & ad quem locum consulendus eruditissimus *I. B. Cotelerius*; ut de viduarum ministerio nihil dicam, quum superius de eo tacere mihi proposuerim; & quae innuunt etiam *Lucianus De Peregrino*, & *Libanius Orat.* XVI. in *Tisamenum*, & *Oratione de Vinctis*.

Saepe etiam, qui illis exordiis Christianum dogma amplectebantur, nec vitae integri, nec puri sceleris erant. *Caecilius*, ut vidimus, *Homines deploratae*, INLICITAE, *& desperatae factionis*; item *Plebem* PROFANAE *coniurationis*, Christianos adpellat. Sed crimina huiusmodi, & flagitia, quae passim Christianis Ethnici Scriptores, & divinae sapientiae impugnatores, adfingunt, ut *Tacitus*, *Suetonius*, *Celsus*, aliique, Viri iam longe doctissimi suis Apologiis, omni scientia, & eruditione, referto, *Quadratus*, *Aristides*, *Iustinus*, *Tatianus*, *Tertullianus*, *Minu-*

...sto fides tenet. Explorata autem fides est, quam [illegible] ... Lib. III. ... V.

[illegible] ...

S. Cyprianus De Lapsis, [illegible] ... pag. 37 ... [illegible] ... est, [illegible].

Minutius Felix, *Origenes*, *Eusebius*, aliique diluerunt, & vitam innocentissimam, moresque castissimos, Christi sectatoribus adseruere; quorum quidem dicta huc transferre supervacaneum esset, quum antiquorum Christianorum probitas & sanctitudo perspectissima sit; & nos heic non de Christianis agamus, sed de his, qui Christianorum mysteriis initiabantur, idololatriam ejurantes. Horum igitur plerosque dicimus improbos, & flagitiosos, fuisse, ac deinde Christianos effectos vitia ac scelera castis moribus & innocentia mutavisse. Nam & Zacchaeus foenerator & injustus, & mulier peccatrix, vocati fuerunt a Christo, cujus illud effatum est: *Non veni vocare justos, sed peccatores*: ut de Apostolis, de quibus superius disserui (75), nihil dicam. Nec enim ad solos Apostolos, sed ad alios etiam Christianos, pertinet illud *Pauli* ad *Titum Cap. III. Ver.* 3. *Eramus enim aliquando & nos insipientes, increduli, errantes, servientes desideriis & voluptatibus variis, in malitia & invidia agentes, odibiles, odientes invicem.* Quae quidem concinunt iis, quae clariora habentur in *Epistola I. ad Corinthios Cap. VI. Ver.* 9. *Nolite errare: Neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt. Et haec quidem fuistis: sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis, in nomine Domini nostri Jesu Christi, & in Spiritu Dei nostri.* Hunc *Pauli* locum nobis objecit etiam *Julianus* apud *Cyrillum Libro VII.* nec *Cyrillus* inficiatur, imo id fieri debuisse contendit illis verbis: Ἀνθ' ὅτου δὲ νῦν αἰτιᾶται Χριστὸν, εἰ σέσωκε τοὺς ἀπολωλότας, καὶ χεῖρα ὀρέγων αὐτοῖς τὸν σωτήριον, χαμαὶ κειμένους ἀνέστησε, καὶ ἀρρωστοῦντας ἰᾶται, καὶ τῶν ἐν καρδίᾳ παθῶν δωρεῖται τὴν ἄφεσιν. *Quaenam ergo incusandi Christi causa est, si servavit eos qui perierant, salutaremque manum eis porrigens humi jacentes erexit, & aegros sanavit, & internorum vitiorum remissionem largitur.* Ex anteacta autem vita calumniandi ansam arripiebant Ethnici, Christiani nominis osores. Hinc *Tertullianus Cap. III. Apologetici*: *Alii*, inquit, *quos retro ante hoc nomen vagos, viles*, IMPROBOS, *noverant, ex ipso denotant, quo laudant*,

(75) Vide supra pag. 70. 72. & seqq.

dunt, caecitate odii in suffragium impingunt, quod mulier, quod LASCIVA, *quod* FESTIVA, *quod iuvenis, quod Quinctus Lucius* AMASIVS, *facti sunt Christiani. Iustinus* quoque Martyr *Apologia I.* scribit vere, & ingenue fatetur: καὶ ἡμεῖς μετὰ τὸ τῷ λόγῳ πεισθῆναι, ἐκείνων μὲν ἀπέστημεν, θεῷ δὲ μόνῳ τῷ ἀγεννήτῳ διὰ τοῦ υἱοῦ ἑπόμεθα, οἱ πάλαι μὲν πορνείαις χαίροντες, νῦν δὲ σωφροσύνην μόνην ἀσπαζόμενοι. οἱ δὲ καὶ μαγικαῖς τέχναις χρώμενοι, ἀγαθῷ καὶ ἀγεννήτῳ θεῷ ἑαυτοὺς ἀνατεθεικότες. χρημάτων δὲ καὶ κτημάτων οἱ πόρους παντὸς μᾶλλον στέργοντες, νῦν καὶ ἃ ἔχομεν εἰς κοινὸν φέροντες, καὶ παντὶ δεομένῳ κοινωνοῦντες. οἱ μισάλληλοι δὲ καὶ ἀλληλοφόνοι, καὶ πρὸς τοὺς οὐχ ὁμοφύλους διὰ τὰ ἔθη ἑστίας κοινὰς μὴ ποιούμενοι, νῦν μετὰ τὴν ἐπιφάνειαν τοῦ Χριστοῦ ὁμοδίαιτοι γινόμενοι, καὶ ὑπὲρ τῶν ἐχθρῶν εὐχόμενοι κ. τ. λ. *Et nos postquam Verbo credidimus, ab istis quidem descivimus, ac solum ingenitum Deum per eius Filium sequimur: & qui olim stupris gaudebamus, nunc castimoniam unice amplectimur: qui magicis etiam artibus utebamur, bono & ingenito nos consecravimus Deo: qui pecuniarum & possessionum vias omnibus antiquiores habebamus, nunc etiam ea, quae possidemus, in commune conferimus, & cum indigentibus communicamus: qui mutuis odiis & caedibus pugnabamus, & cum iis, qui tribules nostri non essent, communem focum ob diversa instituta non habebamus, nunc postquam Christus apparuit, convictores sumus, & pro inimicis oramus.* Hinc impius *Iulianus* apud *Cyrillum* Alexandrinum *Lib. VI.* scripsit: Ὁ δὲ Ἰησοῦς ἀναπείσας τὸ χείριστον τῶν παρ' ὑμῖν κ. τ. λ. *Iesus autem vestrorum deterrimus quibusque persuasis &c.* Illustria exempla mutationis morum, & resipiscentiae illorum, qui Christianum dogma amplexati fuerant, exhibet *Tertullianus Lib. I. ad Nationes*; non tamen negans & inter Christianos quosdam vitiosos, & improbos fuisse, illis verbis: *Quod ergo dicetis, pessimas & probrosissimas avaritias, luxurias, improbitates: non negabimus quosdam: sufficit & hoc ad testimonium nominis nostri, si non omnes, si non plures.* Et quidem nemo, etsi scelerosus, & facinoribus admodum infamis, a Christianae religionis adytis repellendus erat, quae nihil aliud est, quam naturae humanae vitiis criminibusque pollutae lavacrum atque purgatio, & in pristinum innocentiae statum ac beatitatem restitu-

stitutio. Hinc Paullus Onesimum furacem servum & fugitivum non tam Christianum facit, quam sanctum, ut ex *Epistola eius ad Philemonem*, & *Cap. IV. Epistolae ad Colossenses* elucet. Idem Neronis exoletum, & concubinam, ad ritus Christianos, & ad meliorem frugem converterat, si *Ioanni Chrysostomo Homil. XLVI. in Acta Apostol.* fidem adhibemus. Ioannes Evangelista iuvenem latronum coryphaeum amanter insequitur, & paterne complectitur, & ex latrone in iustum & frugi hominem vertit atque reformat, ut ex Clemente Alexandrino habet *Eusebius* Caesariensis *Lib. III. Histor. Ecclesiast. Cap. XXIII.* Quid de muliere illa Romana impudica & adultera dicam, quae, Christianis sacris initiata, modestior facta, Christi martyr evasit, cuius praeconia apud *Iustinum* Martyrem in *Apologia II.* subspicere est? Sed & verba *Tertulliani* citato loco referamus: *Scio maritum, unum atque alium, anxium vero de uxoris suae moribus, qui ne mures quidem in cubiculum irrepentes sine gemitu suspicionis sustinebat, comperta caussa novae sedulitatis & inusitatae captivitatis, omnem uxori patientiam obtulisse, negasse zelotypum, maluisse lupae quam Christianae maritum. Ipsi suam licuit in perversum demutare naturam, mulieri non permisit in melius reformari. Pater filium, de quo queri desierat, exheredavit. Dominus servum, quem praeterea necessarium senserat, in ergastulum dedit: simul quis intellexerit Christianum, MAVULT NOCENTEM.* Paullo serius est Afrae, Dignae, Eunomiae, Eutropiae, atque Hilariae, exemplum, quae Ethnicae meretrices fuerunt, & Christianae deinde Martyres: nam anno CCCIV. passae sunt, ut ex earum *Actis* apud *Ruinartium* liquet. Et quidem grande fuit legis Christianae miraculum, ut ad eius castigatam severamque disciplinam discincti dissolutique homines, & quos voluptatum flagitiorumque ac scelerum amor irretiverat, facillime convolarent. Praeclarae *Origenes Libro γ. contra Celsum*: Εἰ δὲ εὑρισκομένους τινὰς ἀκολάστους συγκαταθεμένους τῷ, μᾶλλον κρείττονας ἐν ἀνθρώποις γεγονέναι ἰδεῖν· πόσῳ πλέον αἱ ψυχαὶ περὶ τοῦ Ἰησοῦ θερμῶν ἀνεφάνησαν συνεξετάζων πολλῶν προσερχομένων αὐτοῦ τῷ λόγῳ ἀρχομένοις βίους μοχθηροτέρους, καὶ ἀσωτοτέρους, ἐν ὅσοις μὲν ἀσελγείας, ὅσοις δὲ ἀδικίας ἢ πλεονεξίας, ὅλως πάνυ ἐν, πρὶν, ὥς φησι

Κἀν-

Κέλσος καὶ οἱ τὰ αὐτὰ αὐτῷ νομίζοντες, ἀναπείθουσι, καὶ παραλέξωμεν λόγον λυμαινόμενον, ὡς ἐκεῖνοι λέγουσι, τὸν τῶν ἀνθρώπων βίον· ἐξ οὗ δὲ παρειλήφασι τὸν λόγον, τίνα τρόπον γεγόνασιν ἐπιεικέστεροι καὶ σεμνότεροι, καὶ εὐσταθέστεροι, ὥς τινας αὐτῶν διὰ τὸν ἔρωτα τῆς ὑπερβαλλούσης καθαρότητος, καὶ διὰ τὸ καθαρώτερον θρησκεύειν τὸ Θεῖον, μηδὲ τῶν συγκεχωρημένων ὑπὸ τοῦ νόμου ἅπτεσθαι ἀφροδισίων. *Quod si quis haec prudenter recogitans concesserit, nihil boni sine Deo hominibus accidere, quanto fidentius id de Iesu adfirmabit, quum eorum qui Christi doctrinae adhaeserunt, pristinos cum novis mores comparabit, animadvertetque quantis spurcitiis, quantis iniustitiis, quantis cupiditatibus, deditos illi ante fuerunt, quam decepti, ut Celsus suique similes loquerentur, fuissent, hominesque amplexi essent doctrinam, quae illorum iudicio est humanae vitae pernicies; quanto autem, ex quo illi doctrinae se dociles praebuere, aequiores, graviores, constantioresque reddit, ut eorum quidem cum eximiae puritatis amore, tum ut castius ad cultum divinum accedant, venereis voluptatibus etiam lege permissis abstineant.*

Ex hisce omnibus, quae huc usque disseruimus, recta defluit ac consequitur, (76) primitivos Christianos etiam pauperes & tenuis fortunae fuisse. (77) Et quidem quid aliud in-

di-

(76) Invehitur autem [illegible] fuisse, quod considerarum eorum, quae [illegible] in hoc capite disputavi, dicere, primitivos Christianos pauperes & tenuis fortunae fuisse. [illegible] primigenios Christianos [illegible] & fortes, & [illegible], magna ex parte fuisse, [illegible] pauperioris conditionis homines [illegible] in Anglia plerumque [illegible]; non video, cur ex hisce omnibus colligere non possim, eos pauperes & tenuis fortunae fuisse. At quid in hac lite [illegible] Christianos illos [illegible]

& opum [illegible] inferri non posse, inferri [illegible] Nam & [illegible] (77) Vir doctissimus Thomas [illegible], Lib. I. [illegible] Cap. II. §. VIII. recte [illegible], primitivos Christianos, [illegible] & in philosophiam, bonae vitae [illegible]; & Minucium Felicem [illegible], apud quem Caecilius [illegible] Christianos [illegible] sunt Tertulliani, Origenis, Arnobii, aliorumque testimonia, ex quibus nostros Christianis ab ethnicis [illegible] fuisse [illegible]tur.

dicabimus, ubi eos obscuros, viles, opifices, despectorumque hominum colluviem, fuisse intellexerimus? *Lucas* in *Actis*, si quando ad fidem conversorum bona fortunasque commemorat, agrum aliquem nominat: itaque, quum dixisset, quotquot possessores agrorum aut domorum erant, vendentes attulisse pretia eorum, quae vendiderant, illico narrat ab Iosepho Barnabe, & ab Anania, agrum fuisse distractum. Eos igitur admodum locupletes non fuisse, intelligere est. Intelligere quoque ex eo est, quod Christiani, qui Ierosolymis erant, stipe & collationibus aliarum provinciarum indigebant. Quare *Paullus* Apostolus *I. ad Corinthios cap. XVI. & II. cap. VIII. & IX.* eos hortatur ut copiosam pecuniam conferant, Sanctis Ierosolymitanis deferendam. Idem Ecclesiis Galatiae iniunxisse se, laudato *Cap. XVI.* ait; *Capite* autem *VIII.* posterioris Epistolae laetatur, quod Macedones in eumdem usum plurima contulissent; & eodem tempore discimus, Macedones Christianos pauperrimos fuisse; de iis enim ita inquit: καὶ ἡ κατὰ βάθους πτωχεία αὐτῶν ἐπερίσσευσεν εἰς τὸν πλοῦτον τῆς ἁπλότητος αὐτῶν. *Et altissima paupertas eorum abundavit in divitias simplicitatis eorum.* Quod quidem mihi verba vetustissimi auctoris Epistolae ad Diognetum de Christianis agentis in mentem revocat. πτωχεύουσι, inquit, καὶ πλουτίζουσι πολλούς· πάντων ὑστεροῦνται, καὶ ἐν πᾶσι περισσεύουσι. *Mendici sunt, & multos ditant; rebus omnibus indigent, & omnia illis redundant.* Epistolae quoque *ad Romanos Cap. XV.* idem *Paullus* eleemosynam memorat, quam Macedones & Achivi contulerant in pauperes Sanctorum εἰς πτωχοὺς τῶν ἁγίων, qui erant Ierosolymis. Et Iacobus quidem, & Cephas, & Ioannes, Paullo & Barnabae iniunxerant, ut pauperum Ierosolymitanorum memores essent; id quod ipse *Paullus Epistola ad Galat. Cap. II.* diserte scribit. Sed & *Lucas* in *Actis Cap. XI.* 28. narrat, quum fames principatu *Claudii* orbem terrarum prope universum adfligeret, fratres Antiochiae degentes stipem virium collatam Christianis in Iudaea commorantibus per *Paullum* & *Barnabam* misisse; & haec ex eo in suam Historiam transtulit *Eusebius Lib. II. Cap. VIII. & XII.* (71). Hinc non mirum, si & ipsi

(71) [illegible]

[illegible]

fuerunt, manuumque labore sibi victum quaeritabant. Nam *Hegesippus* Apostolicorum temporum Scriptor apud *Eusebium Lib. III. Cap. XX.* memoriae prodidit, nepotes *Iudae* illius, qui secundum carnem frater *Christi* vocabatur, quum a *Domitiano* Caesare interrogati fuissent, utrum ex stirpe *Davidis* essent oriundi, & quantas possessiones, quantumque pecuniae, haberent, respondisse, se vere de genere *Davidis* esse, novem vero tantummodo denariorum millia sibi ambobus subpetere, quorum dimidia pars singulis competeret: eas vero facultates nequaquam se in argento habere, sed in aestimatione agrorum, novem scilicet ac triginta soli iugerum: ex quorum fructibus & tributa persolverent, & sibi ipsis non sine proprio labore victum

Quum itaque *salvo*, & *servo*, indiscriminatim [illegible] Latine dicere [illegible] quam *Salvatorem*, quod idem Latinum non est? Quamquam & vox *Salvator* apud Latinos in usu esse coepit; inscriptio enim apud *Gruterum pag. XIX.* [illegible] occurrit, ita habens:

IOVI CVSTODI QVIRINO SALVATORI
. PRO SALVTE CAESARIS NERVAE
TRAIANI AVG · COL · SARMIZ.

[illegible] *Salvator* pro *Servator*, [illegible] *Servatori*, [illegible] *Conservatori* [illegible] apud [illegible] *Gruterum pag. XVIII.* XIV. [illegible] *Herodianus*, apud *Photium* [illegible] *Cap. XVII.* [illegible] *Manutius* [illegible] *Servare* [illegible] *Tiro* [illegible] *M. Tullius* [illegible]

[illegible] *Servare* [illegible] *Gruterum pag. XIX.* [illegible] *Conservator* [illegible] *Manutius* [illegible] *Iesum Christum Servatorem* [illegible] *Salvator* [illegible]

ctum compararent; simulque manus ostendere coepisse, duritiam cutis, impressumque alte manibus callum, ex laboris adsiduitate, in testimonium operis sui proferentes (10). Addit que ille, *Domitianum*, qui sibi a venturo Messia metuebat, nihil adversus illos asperius decrevisse, ἀλλὰ καὶ ὡς εὐτελῶν καταφρονήσαντα, *sed vilitatem hominum aspernatum*, liberos abire iussisse (11). Pauperes incultosque Christianos primitivos describit etiam Auctor *Philopatridis*, nam eorum nonnullos memorans ait: ἀνθρώπισκος δέ τις, ὄνομα Χαρίκενος, σεσημμένον γερόντιον, κ. λ. τ. *Ceterum homuncio quidam nomine Charicenus, vetulus emarcidus*, &c. ἕτερος δὲ τοὔνομα Χλευόχαρμος, τριβώνιον ἔχων πολύσαθρον, ἀνυπόδητός τε καὶ ἀσκεπής, μινύριζε τοῖς ὀδοῦσιν ἐπικροτῶν, ὡς ὑπέδειξέ μοι τις κακοείμων, ἐξ ὀρέων παραγενόμενος, κεκαρμένος τὴν κόμην, &c. *Alius autem quidam, cui nomen Chleuocharmus, pallium habens admodum putre, sine calceis, & tegmine capitis, incedens, interloquebatur, dentibus adplaudens: ut demonstravit mihi malevestitus quidam, qui ex montibus advenerat, detonsa coma, &c. Caecilius* quoque apud *Minucium Felicem* Christianos, qui *Sacerdotum honores & purpuras despiciunt, miseros & seminudos* adpellat. *Octavius* autem obiicienti *Caecilio* concedit, Christianos fuisse pauperes, atque *divites facultatibus suis implicitos magis aurum suspicere consuesse, quam coelum. Nostrates pauperes, & commentos esse prudentiam, & tradidisse ceteris disciplinam.* Inopiam pariter Christianorum insinuare videtur *Lactantius lib. V. cap. XXII.* dum ita scribit: *Nam in primis haec caussa est, cur existimetur religio Dei vim non habere, quod su-*

du-

(10) Conf. [illegible] pag. 61. & 90.
(11) [illegible] pag. 91. exemplum etiam horum [illegible], ut primitivos Christianos plerosque, opifices & despectos homines fuisse, demonstrarent. *Thesaurus* [illegible] II pag. 18. [illegible] LXIV. [illegible]

[illegible] Christianos [illegible]

ducuntur homines spe terrenarum, & praesentium bonorum, quae ad curam mentis nullo modo pertinent, quibus quia CARERE IVSTOS *vident, ac adfluere iniustos, & Dei cultum inanem arbitrantur,* IN QVO INESSE ILLA NON CERNVNT, *& Deorum ritus existimant veros, quoniam cultores eorum, & divitiis, & honoribus, & regnis, fruuntur. Theodoretus* quoque Christianos *ἀποραίους*, hoc est, *mendicos*, ut vidimus, fuisse ait; & sunt qui existiment primigenios Christianos *Ebionitas* a despicientibus Iudaeis adpellatos fuisse, quasi *Pauperes. Ebion* enim Ebraice, Latine *Pauper* est. *Origenes lib. II. contra Celsum: Ἐβίων γὰρ ὁ πτωχὸς παρὰ Ἰουδαίοις καλεῖται· καὶ Ἐβιωναῖοι χρηματίζουσιν οἱ ἀπ' Ἰουδαίων τὸν Ἰησοῦν ὡς Χριστὸν παραδεξάμενοι. Etenim Ebion* pauper *apud Iudaeos vocatur: & Ebionaei adpellantur, qui ex Iudaeis Iesum, tanquam Christum, receperunt. Rich. Simonius Par. I. Hist. Crit. N. T. Cap. VIII.* de Ebionitis agens: *Il y a plus d'apparence que les Juifs les appellerent ainsi par mepris, parce que en ces premiers temps du Christianisme il n'y avoit presque que des pauvres qui l'embrassassent.* Hanc sententiam non improbat *Mich. Lequienus Dissert. VII. Damascenica*; & adridere videtur quoque *Nic. Nourrio Adpar. ad Biblioth. Max. Patrum Diss. I. in Saecul. I. Cap. VI.* Dici etiam posset, primitivos illos Christianos ultro hoc nomen ex ipsa re sibi vendicasse, quod mirabiliter consonat ei, quod *Epiphanius Haeres. XXX. n. XVII.* observat de Ebionitis scribens: *Αὐτοὶ δὲ δῆθεν σεμνύνονται, ἑαυτοὺς φάσκοντες πτωχοὺς, διὰ τὸ, φασὶν, ἐν χρόνοις τῶν ἀποστόλων πωλεῖν τὰ αὐτῶν ὑπάρχοντα, καὶ τιθέναι παρὰ τοὺς πόδας τῶν ἀποστόλων, καὶ εἰς πτωχείαν, καὶ ἀπόταξιν μεταλεληλυθέναι. καὶ διὰ τοῦτο καλεῖσθαι ὑπὸ πάντων φασὶ πτωχοί. Ipsi vero tanquam gloriantes se ipsos adfirmant pauperes, quod, inquiunt, temporibus Apostolorum omnem suam substantiam venderent, & ad Apostolorum pedes deponerent, & ad paupertatem humilitatemque transierint. Et propterea ab omnibus pauperes se vocari aiunt.* Verum hoc nomen deinceps ad sectam quamdam, Nazaraeorum propaginem, significandam traductum fuit, & Ebionitae inter haereticos recensentur. Diserte Caecilius apud *Minucium Felicem: Ecce pars vestrum & major & melior, egetis, algetis, opere, fame,*

la-

laboratis. *Tertullianus* quoque, *Lib. II. ad Vxorem*, raros fuisse divites in Ecclesia diserte indicat; atque hinc usuvenire illud absurdum, ait, ut feminae Christianae viros Ethnicos opulentos cupide sibi copulent. *Nam quanto dives aliqua est, & matronae nomine inflata, tanto capaciorem domum oneribus suis requirit, campum, in quo ambitio decurrat. Sordent talibus Ecclesiae.* DIFFICILE *in domo Dei* DIVES, *ac siquis est, difficile caelebs. Quid ergo faciant? Unde nisi a Diabolo maritum petant bonum exhibendae sellae, & mulabus, & cinerariis peregrinae proceritatis............Christianam fidelem fideli re minori nubere piget, locupletiorem futuram in viro paupere? Nam si pauperum sunt regna Caelorum &c.* Levem tamen primi Christiani suam virtute paupertatem efficiebant, eamque sibi laudi & gloriae vertebant. *Ceterum quod plerique pauperes dicimur*, ait apud *Minutium Felicem* Octavius, *non est infamia nostra, sed gloria: animus enim ut luxu solvitur, ita frugalitate firmatur. Et tamen quis potest pauper esse qui non eget? qui non incidet alieno? qui Deo dives est? Magis pauper ille est, qui cum multa habeat, plura desiderat. Dicam tandem quemadmodum sentio: nemo tam pauper potest esse, quam natus est. Aves sine patrimonio vivunt, & in diem pecua pascuntur; & haec nobis tamen nata sunt: quae omnia, si non concupiscimus, possidemus. Igitur, ut qui viam terit, eo felicior, quo levior, incedit. ita beatior in hoc itinere vivendi, qui paupertate se sublevat, non sub divitiarum onere suspirat. Et tamen facultates, si utiles putaremus, a Deo posceremus: utique indulgere posset aliquantum, cuius est totum. Sed nos contemnere malumus opes, quam continere.* (82)

Et iure quidem haec *Octavius*, seu *Minutius Felix*, effatur. Licet enim Christiani illi pauperes extiterint, tamen tanta erat inter eos mutua dilectio, tanta communis boni solicitudo, ut ipsi non tantum necessariis velut affluerent, sed aliis etiam erogarent; & eorum simplicitatis divitiae, ut cum Paullo loquar, tam in alios ejusdem Fidei consortes, quam in Ethnicos ipsos, redundarent. Nunc verborum Auctoris Epistolae ad Diognetum supra adlatorum reminiscendum, atque

O ob-

(82) Conferatur Oct. [illegible] S. *Ambrosius* in [illegible], & S. *Augustinus* in *Epist.* CXXII. paupertatem ignominiosam non esse docentes.

observandum propterea eos, qui alios ditant, & quum nihil habeant, omnibus abundant. Et quidem memoranda eleemosynarum Galatarum, Macedonum, & Corinthiorum, exempla superius tempestive protulimus; nunc beatam eorum vitae communionem, quam *Lucas in Actis* praedicat, etiam ex Scriptore Christianorum inimico, *Luciano* videlicet, adstruemus. Hic igitur *De morte Peregrini*, quum de Christianis agat, ita loquitur: *Καταφρονοῦσιν οὖν ἁπάντων ἐξίσης, καὶ κοινὰ ἡγοῦνται ἄνευ τινὸς ἀκριβοῦς πίστεως τὰ τοιαῦτα παραδεξάμενοι. Proinde apud illos omnia ex aequo habentur contemtui, existimanturque esse communia, quae citra fidem exacte exploratam in communem usum a quoquam deferente susceperunt.* Hinc profluebant Agapae illae, seu convivia, quibus inopes passim recreabantur, & quarum mentio apud *Iudam in Epistola*; quasque indicat *Paullus* Corinthios primum scribens *Cap. XI.* 21. & de quibus multa habentur apud *Baronium ad annum LVII. Cabassutium Notit. Concil. & Eccles. Bonarotium ad Vitra antiqua, Calvinum in Lexico* voce *Agape*, *Suicerum* in Ἀγάπη, *Binghamum Tom. VI. Origin. Eccles. Lib. XV. Cap. VII. §. VI. & seqq. Boldettum Observat. in Coemet. Lib. II. Cap. XIII.* Hinc illa caritas anxia & inquieta, qua Martyrum, viduarum, pupillorum, infirmorum, indigentiae & necessitatibus omnes in commune consulebant. Οἱ *εὐποροῦντες δὲ*, inquit *Iustinus Apologia II.*, *καὶ βουλόμενοι κατὰ προαίρεσιν ἕκαστος τὴν ἑαυτοῦ, ὃ βούλεται, δίδωσι. Καὶ τὸ συλλεγόμενον παρὰ τῷ προεστῶτι ἀποτίθεται· Καὶ αὐτὸς ἐπικουρεῖ ὀρφανοῖς τε καὶ χήραις, καὶ τοῖς διὰ νόσον, ἢ δι᾽ ἄλλην αἰτίαν λειπομένοις, καὶ τοῖς ἐν δεσμοῖς οὖσι, καὶ τοῖς παρεπιδήμοις οὖσι ξένοις, καὶ ἁπλῶς τοῖς ἐν χρείᾳ οὖσι κηδεμὼν γίνεται. Ceterum, qui copiosiores sunt, & volunt, pro arbitrio quisque suo, quod visum est, contribuunt; & quod ita colligitur, apud Praepositum deponitur: atque inde ille opitulatur pupillis, & viduis, & his, qui propter morbum, aut aliquam aliam caussam, egent, quique in vinculis sunt, & peregre advenientibus hospitibus: & ut simpliciter dicam indigentium is omnium curator est.* Egregie etiam de more *Tertullianus Apolog. Cap. XXXIX. Non de honoraria summa quasi redemtae religionis congregatur: modicam unusquisque stipem menstrua die, vel quum velit, & si modo pos-*

posse, apponit. Nam nemo compellitur, sed sponte confert. Haec quasi deposita pietatis sunt. Nam inde non epulis, nec potaculis, nec ingratis voratrinis, dispensatur; sed egenis alendis humandisque, & pueris ac pupillis re ac parentibus destitutis, aetateque domitis senibus, item naufragis, & si qui in metallis, & si qui in insulis, vel in custodiis, dumtaxat ex causa Dei sectae, alumni confessionis suae fiunt. Sed quod multo pluris faciundum, isthuc ipsum *Lucianus* ipse, ille divum & hominum irrisor, fateri coactus est, laudato libello *De morte Peregrini* his verbis usus: *Τότε δὴ καὶ συλληφθεὶς ἐπὶ τούτῳ, ἐπὶ τῷ εἶναι χριστιανὸν, ὁ Πρωτεὺς, ἐνέπεσεν εἰς τὸ δεσμωτήριον, ὅπερ καὶ αὐτὸ οὐ μικρὸν αὐτῷ ἀξίωμα περιεποίησε πρὸς τὸν ἑξῆς βίον, καὶ τὴν τερατείαν καὶ δοξοκοπίαν, ὧν ἐρῶν ἐτύγχανεν. ἐπεὶ δ' οὖν ἐδέδετο, οἱ χριστιανοὶ συμφορὰν ποιούμενοι τὸ πρᾶγμα, πάντα ἐκίνουν, ἐξαρπάσαι πειρώμενοι αὐτόν. εἶτ' ἐπεὶ τοῦτο ἦν ἀδύνατον, ἥγε ἄλλη θεραπεία πᾶσα οὐ παρέργως, ἀλλὰ σὺν σπουδῇ ἐγίγνετο. Καὶ ἕωθεν μὲν εὐθὺς ἦν ὁρᾶν παρὰ τῷ δεσμωτηρίῳ περιμένοντα γρᾴδια, χήρας τινὰς καὶ παιδία ὀρφανά. οἱ δὲ ἐν τέλει αὐτῶν καὶ συνεκάθευδον ἔνδον μετ' αὐτοῦ, διαφθείροντες τοὺς δεσμοφύλακας. εἶτα δεῖπνα ποικίλα εἰσεκομίζετο, καὶ λόγοι ἱεροὶ αὐτῶν ἐλέγοντο. Καὶ ὁ βέλτιστος Περεγρῖνος, (ἔτι γὰρ τοῦτο ἐκαλεῖτο) καινὸς Σωκράτης ὑπ' αὐτῶν ὠνομάζετο. Καὶ μὴν κἀκ τῶν ἐν Ἀσίᾳ πόλεών τινων ἧκόν τινες, τῶν χριστιανῶν, στελλόντων ἀπὸ τοῦ κοινοῦ, βοηθήσοντες καὶ ξυναγορεύσοντες, καὶ παραμυθησόμενοι τὸν ἄνδρα. ἀμήχανον δέ τι τὸ τάχος ἐπιδείκνυνται, ἐπειδάν τι τοιοῦτον γένηται δημόσιον, ἐν βραχεῖ γὰρ ἀφειδοῦσι πάντων. καὶ δὴ καὶ τῷ Περεγρίνῳ πολλὰ τότε ἧκε χρήματα παρ' αὐτῶν ἐπὶ προφάσει τῶν δεσμῶν, καὶ πρόσοδον οὐ μικρὰν ταύτην ἐποιήσατο. Tunc vero comprehensus etiam ob hoc ipsum* (quod esset Christianus) *Proteus in carcerem inlapsus est. Quae quidem res ipsi non mediocrem dignitatem cum ad insequentem vitam, tum ineptias & gloriam, quarum erat amantissimus, conciliavit. Itaque postquam in carcerem coniectus est, Christiani hanc rem graviter & indigne ferentes, nullam non impendebant operam, tentantes si quo modo illum furtim, possint eripere. Deinde animadvertentes, hunc conatum frustra esse, nihil tamen ex altero, quo captivus egebat, obsequio intermittebant; verum omnia cum magna fide & dili-*

O 2 gen-

gentia praestabant. Ac mane quidem illico videre erat iuxta carcerem praestolantes anus, viduas quasdam, & orbos puerulos. Illorum vero pars etiam, una intus cum illo somnum capiebant, corruptis pecunia custodibus. Exin omnis generis coenae inferebantur variae, ac sacri inter sese sermones dicebantur. Atqui optimus ille Peregrinus (adhuc enim hoc nominis obtinebat) novus quoque Socrates ab illis nominabatur. Quin etiam in Asia plerasque urbes fuisse constat, a quibus venerunt quidam laturi auxilium, Christianis mittentibus ex publico, neque non colloquuturi, & virum consolaturi. Incredibile vero est, quantum studium & celeritatem in hoc ostendant, siquid tale vulgo innotuerit. Illico enim nulli rei parcunt. Proinde Peregrino quoque multae tunc opes ab illis mittebantur, sub vinculorum praetextu, nec vulgarem rerum proventum lucrifaciebat. Vera partim ab *Luciano* dici vel ex similibus patet, quae apud *Tertullianum De Ieiuniis* habentur, licet & ipsum tum temporis Orthodoxorum inimicum: *Plane*, inquit, *vestrum est in carceribus popinas exhibere Martyribus incertis, ne consuetudinem quaerant, ne taedeat vitae, ne nova abstinentiae disciplina scandalizentur.* Hinc S. *Ignatius*, quum vinctus esset, se ab Ecclesiis Dei refocillatum carne & spiritu dicit, in Epistolis ad Trallianos & Philadelphenos. Haec Christianorum caritas eminet fortassis in illa Inscriptione apud *Scip. Maffeium* in *Museo Veronensi pag.* CCLXXIX. 3.

LAPPIE · PRISC. . . . . . .
QVAE · DIVISIT · CA. . . . .
ORFANIS · PERPETVA . . . . . .
ANNIS · XXX · FILIO . . . .
DEPOSITA

Inter eos, qui mensis ministrabant, & forte etiam miserorum, & Martyrum, *Ministratores* esse potuerunt, ut in eodem opere, *pag.* CCLXXXII. 1. & in *Thesauro Muratoriano pag.* MDCCCLXXIV. 5. ex insequenti Epigrammate elucet:

FL.

FL. SECVNDINO · BENEMERENTI
MINISTRATORI · (83) CHRESTIANO · IN · PACE
QVI · VIXIT · ANN. XXXVI. DP. IIII. NON. MAR

Sed plura de Christianorum erga Martyres, & pauperes, liberalitate solicita & beneficentia uberi videri possunt apud *Pontium* Diaconum in *Passione Sancti Cypriani*, & apud *Origenem Libro III. contra Celsum*. Illud autem, quod *Lucianus* ait, orbos puerulos iuxta Christiani hominis carcerem cum anubus & viduis praestolatos fuisse, illustrari posse videatur Inscriptione Romae recens eruta, quam edidi primus in Ephemeridibus litterariis Florentinis anno MDCCIL.

PRECTECTVS CES QVEI
IN PACE · VIXIT ANNIS VIIII.
MENSES VIIII DIES III
NVTRICATVS DEO CRISTO MARTVRIBVS. (84)

Por-

(83) Servi Ministratores qui fuerint, vide apud *Pignorium de Servis*; adi *Gruterum*, apud quem *Ministratores* in Inscriptionibus memorantur pag. *MCVI*. 4. & pag. *DCI*. 1. 3. Consule etiam *Hofmannum* in *Lexico* verbo *Minister*; & *Sam. Pitiscum* pariter in *Lexico*. Hi vero a mensae ministerio ita appellati fuerunt. *Seneca Epistola LXXXVIII*. *Transeo pistorum turbam, transeo Ministratorum, per quos signo dato, ad inferendam coenam discurritur*. *Petronius* Cap. *XXXI*. *Finem* [illegible] *Ministratoris gratia est*. Praeclare Vulgatus Interpres *Lucae Cap. XXII. vers. 26. & seqq.* apud quem *Christus* ita loquitur; *Qui maior est in vobis, fiat sicut minor; & qui praecessor est, sicut MINISTRATOR. Nam quis maior est, qui RECVMBIT, an qui MINISTRAT? Nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat*. Ministrator autem dictus est Graece διάκονος, quales erant ii, de quibus agit idem *Lucas Actor. Cap. VI.* ubi septem Diaconi, qui ministrarent mensis, constituuntur. [illegible] qui Ministrator in editione Evangelii [illegible].

Porro quaeso an non hic *Ministrator Christianus* Diaconus & Laicus indicatur? Additum autem *Christianus*, ut a profanis Ministratoribus distingueretur? An non & ipse ille *Myster Ministrator*, si tamen ita legendum est, apud V. Cl. *Gorium Part. I. Inscript. Etrur. pag. 62. num. LII*. Quomodo enim μύστης Ministrator apud Ethnicos? Verum [illegible]. Hanc vero Inscriptionem perantiquam esse arbitror, in qua *Chrestianus* pro *Christianus*, de quo male ab Ethnicis pronunciato nomine agunt *Iustinus Martyr Apolog. II. Tertullianus Apolog. Cap. III.* & *Lactantius Firmianus Lib. IV. Divin. Instit. Cap. VII.* & inter recentiores *Aurelius Vandale*, ubi de *Christo* tumultus auctore apud *Suetonium* agit; *Iosephus Binghamus Lib. I. Origin. Ecclesiast. Cap. I. §. II. Mamachius Lib. I. Origin. & Antiquitat. Christianor. Cap. I. §. II.*

(84) Huius Inscriptionis explicationem edidi in citatis *Ephemeridibus col. 227.* [illegible], de puero hic agi, qui Martyribus una cum viduis aliisque [illegible] Christianis inserviret, & ad hoc ipsum nutritus fuerit; & ut unam [illegible] confirmarem

Lu-

Porro palmarem calumniam esse non dubito, quod de Christianis furtim Peregrinum de carcere eripere tentantibus *Lucianus* dicit. Christiani enim mala pro Christo perpeti, non infortunium, sed felicitatem & gloriam, existimabant. Hinc ille moriendi amor & alacritas, qualem cognoscere est ex *Tertulliano ad Scapulam, Cap. V.* & *De Corona Cap. I. Eusebio Apparat. Lib. VIII. Histor. Eccles. Cap. III. Ioanne Chrysostomo Homil. XIX. in Gordium, Rufino lib. II. Histor. Eccles. cap. V.* Immo eo prorupit virtus Christianorum impetuosa, ut caussas moriendi sibi ipsi facerent, quod tamen a sapientioribus improbatum est, ut videre licet in Epistola Smyrnensium de D. Polycarpi Martyrio apud *Eusebium Lib. IV. Cap. XV.* apud *Clementem Alexandrinum Lib. IV. Stromat. Cyprianum Epist. LXXXIII. & apud eius passionis Acta, Augustinum Libro contra secundam Gaudentii Epistolam Cap. XXIII. Gregorium Nazianzenum Invect. I. in Iulianum, & Orat. De fratre suo Caesario, Origenem Comm. in Ioann. Tom. XXXI. & Lib. I. contra Celsum; Lactantium Lib. IV. Cap. VIII. Athanasium Apolog. ad Constantium, & De fuga sua; item Epistola ad omnes Orthodoxos. Sozomenum Lib. V. Cap. X.* Sed ipse *Lucianus* eodem libello id non dissimulat. καὶ καταφρονοῦσι, inquit, τοῦ θανάτου, καὶ ἑκόντες αὑτοὺς ἐπιδιδόασιν οἱ πολλοί. *Quamobrem & mortem magno contemnunt animo, & non pauci sua sponte semet occidendos offerunt.* Hinc forte Auctori *Philopatridos* Christiani κάτω νενευκότες, καὶ χαίροντες ἐπὶ τοῖς λυχνοῖς videntur. Sed ut ad propositum revertamur, tanta erat Christianorum veterum beneficentia, & er-

ga

[illegible]

ga egenos ac miseros quosque largitas & liberalitas, ut ipsos etiam Ethnicos iuvarent atque alerent. *Iulianus Apostata Epistola ad Arsacium*: Τρέφουσι, inquit, οἱ Γαλιλαῖοι πρὸς τοῖς ἑαυτῶν καὶ τοὺς ἡμετέρους. *Nutriunt Galilaei, praeter suos, etiam nostros*. Consulendus omnino *Sozomenus Lib. V. Cap. XVI*. At pauperes Christiani non his, quos diximus, tantum divites erant; verum etiam sacris, & ceremoniis, & divinae liturgiae, cui perficiendae aurea argenteaque vasa adhibebant, ut ex *Prudentio in Agone Laurentii* perspicuum est. Hoc autem animadversum velim, nullum Christianae religioni dedecus inde oriri, quod initio vilioribus, ut plurimum, infimaeque sortis hominibus, & egenis, persuasa fuerit; quum illud ipsam eam mirabiliorem efficiat, & diviniorem ostendat.(a) Illud *Ioannes Chrysostomus Homilia XXXVI. in Acta Apostolorum*, quasi ab Ethnicis obiectum, hisce disertissimis verbis diluebat, refellebatque: *Ego autem aliud dico, quod hoc maius est. Illos contemptiores videamus. Et ubi, inquit, hoc miraculum? Profecto miraculum est. Nam siquidem crederet quis de rebus vulgaribus, non esset miraculum: quando autem de resurrectione, de regno caelorum, de vita Philosophiae, popularibus loquitur quis & persuaserit, mirabilius erit, quam si sapientibus persuaderet. Quando enim non est periculum, & persuaserit, quis bene insipientiam in medium adferret: quando autem dixerit quis servo, sicut tu es, si credideris mihi, periclitabere, omnes hostes tui erunt, oportebit te mori, & innumera mala ferre: & deinde reperis animam illectus, utique non erit insipientiae: nam si haec dogmata voluptatem habuissent, merito quis hoc dixisset. Si autem id, quod non didicerunt Philosophi, servus discit, utique magnum est miraculum. Et si placet, Coriarium illum in medium adferamus, & videamus, quid illi narravit Petrus: vel sane illum tunc carceris custodem. Quid igitur illi dixit Paullus? Christus resurrexit, inquit. Est resurrectio mortuorum, est regnum, & persuasus facile credidit. Quid igitur, de vita nihil dixit? dixit utique, quod temperate vivendum, quod pecuniis imperandum, quod contem-*

(a) Est enim *Theodoretus* [illegible] & [illegible], [illegible] & [illegible] rerum [illegible] & [illegible] Christianos [illegible] quam hunc [illegible] Christianae Legis [illegible], & [illegible], [illegible] *Ioannes Chrysostomus* [illegible].

cavendo crudelitas, quod propria dando aliis: numquid & de his persuaderi erat parvae sapientiae, & non magnae animae? Esto autem quod illi dogmata per insipientiam receperint, vitam ita philosophicam agere, numquid insipientiae fuerit? Atque ita quanto insipientior est, cui persuadentur ea, quae neque Philosophi Philosophis persuadere potuerunt, tanto maius sit miraculum, maxime autem quando & mulieres ac servi persuadentur, & operibus ipsis declarant ea, quae Platones & omnes illi persuadere nequiverunt. Quapropter *Iustinus* Martyr *Apologia II.* quae prima dicenda esset, tamquam mirabilius & difficilius adducit, homines idiotas & operarios etiam, & non Philosophos & litteratos tantum, Christo credidisse. Χριστῷ δὲ τῷ καὶ ὑπὸ Σωκράτους ἀπὸ μέρους γνωσθέντι ...... οὐ φιλόσοφοι οὐδὲ φιλόλογοι μόνον ἐπείσθησαν, ἀλλὰ καὶ χειροτέχναι καὶ παντελῶς ἰδιῶται, καὶ δόξης καὶ φόβου καὶ θανάτου καταφρονήσαντες, ἐπειδὴ δύναμίς ἐστι τοῦ ἀῤῥήτου πατρὸς, καὶ οὐχὶ ἀνθρωπείου λόγου τὰ σκεύη. *Christo autem, quem Socrates aliqua ex parte cognovit . . . . non Philosophi soli & litterati homines credidere, sed operarii etiam & omnino imperiti, qui & gloriam & metum & mortem contempserunt: quandoquidem haec virtus inenarrabilis Patris efficit, non humanae rationis instrumenta.*

Sed humilitatem suam & pauperiem incessu ipso, & habitu corporis, vesteque, primitivi Christiani prae se ferebant. Itaque macie ob crebra ieiunia extenuati, pallida ora ac moesta ferebant, lumine terram figentes, & peccata sua, aliorumque, animo obversata dolentes. Hinc illa apud *Auctorem Philopatridis* eorum descriptio, in qua eos dicit ἄνδρας ἐπικεκυφότας καὶ κατωχριωμένους, *viros in faciem inclinatos & pallescentes*, & τὰ κάκιστα εὐχομένους καὶ χαίροντας τοῖς λυγροῖς, *quam pessima optantes, & tristibus gaudentes;* hinc etiam alibi eidem Christianus quidam *homuncio* ἀθρώπινος adpellatur. *Prudentius* autem *Hymno Cypriani*, illum, postquam Christi sapientiam amplexus fuisset, severum vultum, pristina hilaritate deposita, sumsisse ait:

Iamque figura alia est, quam quae fuit, oris & nitoris;
Exsuitur tenui vultus cute, transit in severum.

Quan-

Quantam autem Christianum oris severitas deceat, ostendit *Clemens Alexandrinus Lib. II. Paedag. Cap. V.* Huc faciunt, quae *Hieronymus* ad Marcellam scribit: *Quia clerici non sumus, nec cachinno ora dissolvimus, continentes vocamur & tristes.* Quod si Christus apud *Matthaeum Cap. VI. vers.* 16. 17. tristes sicut hypocritas fieri, & facies suas exterminare, damnat atque improbat: adfectatam moestitiam & tetricitatem, ut ieiunantes hominibus videantur, & inanem gloriolam captent, in illis condemnat: non mundicies inculcat, sed excludit hypocrisin. Egregia laus illa est Asellae apud *B. Hieronymum Epist. ad Marcellam. Nihil illius*, inquit, *severitate iucundius, nil suavitate tristius, nil tristitia suavius. Ita pallor in facie est, ut quum continentiam indicet, non redoleat ostentationem. Sermo silens, & silentium loquens. Nec citus, nec tardus incessus. Idem semper habitus; neglecta mundicies, & inculta vestis: cultus ipse sine cultu.* Quod si *Ioannes Chrysostomus Homil. XV. in Acta Apostol.* Barnabam facie amabilem fuisse dicit, *Homil. XXX.* maiestatem quamdam & dignitatem comitati illius admiscens ἀπὸ τῆς ὄψεως ἀξιοπρεπῆ eumdem existimat. Si *Pseudo-Craton* Bartholomaeum Apostolum semper hilarem, eodemque vultu, esse visum, memoriae prodidit: falsariorum Scriptorem non moror (86). Quid vero iam de Christianorum vestitu dicemus? Nonne eorum vestes cum *Hieronymo Epist. ad Lucinium*, ita ciliciola ad se missa adpellante, *insignia paupertatis*, & *quotidianae symbola poenitentiae*, nuncupabimus? Eos Ethnici, *Minucio Felice* auctore, *seminudos* vocabant, laceras vestes & tritas illis exprobrantes. (87) Auctor *Philopatridis* laudatus Christianum quemdam [illegible] *malevestitum* dicit; aliusque ei memoratur τριβώνιον ἔχων πολυτραθῆ, ἀνυπόδητός τε καὶ ἄσκεπος, *pallium habens admodum putre, sine calceis, & tegmine capitis, incedens.* Nec aliter amiciri Christianos decuit, quum Christum imitari deberent. Praeclare (88) *Tertullianus De Idololatria: Tu vero nullius servus, in quantum solius Christi, qui te etiam captivitate saeculi liberavit, ex forma dominica agere debebis. Ille Dominus in humilitate & ignobilitate incessit, domicilio incertus. Nam Filius, inquit, hominis non*

P ha-

(86) Vide superius pag. 61. ubi Dodwellus hanc [illegible] (87) Vide superius pag. [illegible]

(88) De hac adventu vide superius pag. [illegible] Annot. FAL.

[illegible] Regum suis. [illegible] & [illegible] pronunciaverat. (**) Et quidem

[illegible] *Epistolarum pag.* 109. [illegible] *Serrium*, qui palinodiam canere, contra scientiam & conscientiam [illegible], neque retractare, quae in *Examine* [illegible] *suo Historico-Critico*, &c. de [illegible] cum *Serrio* desipiente, postquam impuro [illegible] demonstraverat? Quid mihi cum *Serrio* [illegible] proclamaverat? Quid mihi cum [illegible] palmam oppono, praedico, iacto? At [illegible] *Lactantio*, qui etiam in [illegible] quae de forma Christi [illegible] confirmavit. Nam [illegible] subeunt [illegible]. Nil [illegible] de Christo ipse effatus sum, [illegible] enim Capite, ubi de incarnationis [illegible] ago, cum adpellari, non [illegible] cum fallo, tolitur. Quid est [illegible] deformis & foeda forma talis est, quae [illegible] petens cum gloria [illegible] *Christi* forma sit, *Serloso* [illegible] Sed ut *Tertullian* Capite

[illegible] similis tantum, sed etiam verum, [illegible] forma praedicam, quam [illegible] & eiusdem nationis [illegible] fuisse. Itaque si quod ad meridiem Iudaei vergunt magis, atque [illegible] plus e circulo, qui vergo [illegible] paulatimque fulsi; & efficit soli nature subpalidior, [illegible] tum Iudaeis in omnibus [illegible] eiusmodi quidem; peregrinum esse [illegible] mihi, & procul [illegible] esse eorum, casus esse, & ab [illegible] ut vultu quoque praestaret [illegible] quia in Germania, & non Christum Filiamum, ac tam, referent; ea aliae [illegible] habitu & conformatione [illegible] ipsa Galilaea [illegible]. Quidni enim [illegible] eius tempus, excepto [illegible] vixisse semel atque iterum, opinor, [illegible] non ut hospitem atque alienam [illegible] versum, atque ab eo, qui erat, [illegible]

dem [illegible] Christiani aliqui evaserunt, simpliciorem vestem sumebant, si antea pretiosa uti consueverant, id quod ex

P 2 co-

[illegible] Nam quum nati ad bellum [illegible] acre galeatam, & [illegible] ore, praeferre consue-verint; non est confitendum, quominus ex ea gente Christus oriundus, quae [illegible] esset doctae stolis, aciemque [illegible] spiraret, generosa [illegible]modo, & plane virili facie [illegible] eamdem patriae colorem & speciem, [illegible] vultus, expresserit. Quid igitur [illegible] Graeci, duo aliqui, aut [illegible] volunt, a quibus Christus depingitur & [illegible], capillo flavo, & [illegible], colore triticeo? Si enim Judaeos & Galilaeos ita formatos figuratosque universe dicunt; quomodo id, quod valde incertum est, ostendunt? Sin [illegible] intelligi placet; quomodo hoc, [illegible], adhibitis argumentis, adfirmant? Nobis quidem hic rectum non videtur aut iis adsentiri, qui ratione nihil probant, aut iis non dissentire, qui nulla anti-[illegible] dum probabile, Christum lutor esset ac [illegible] se. Id ut ostendam, si mihi constare [illegible] lum, neque factum secum reficiere contrario facto, videor debere eamdem [illegible] gere lectum, quo [illegible] omni parum deformi [illegible] praeberem; cum nuri momento argumen-[illegible] possim. An qui nobis Scriptores fabricam & extemporalem, [illegible] & caducam, & [illegible] ita graphice depictam reliquerunt, [illegible] fecerent illustriorem; non accusandi negligentiae fuerunt, si perpetuam & constantem per omnes vitae gradus pulcritudinem retinuerunt prorsus, ac ne minimo quidem verbo, qualis & quanta esset, attingendum putarunt? An [illegible] ti, discipuli, Christiani nostris illius [illegible] vixerit, qui hanc partem Christi laudum, quam voles levem & [illegible] tamen veram, tamen aliquam, [illegible] posteris nobis [illegible] mi quamque sunt [illegible] deamant, ac lovet? Simplices vero Scribas, minime autem Pharisaeos, aiunt

[illegible] & [illegible] quibus nihil [illegible], quos [illegible] tam, intemperanti sunt, & [illegible] & in agro colloquerentur, quod etiam in adulterio deprehensam, & hoc ipso patriis legibus damnatam capitis, absolutam iudicio suo, impunitamque [illegible] seret; aliam famosam & flagitiis urbe tota nobilem, non tantum ad se propius accedere non prohiberet, sed ne ab ungendis quidem pedibus suis, & tergendis, arceret, quod cum domino bono loco & genere forortibus una mulierum esset, familiariterque versaretur, ab iisque invitaretur hospitio, accipere-[illegible] versaretur. quod maxime cum [illegible] do sequerentur prorsus ab [illegible], mulierum praesertim, quae his externis [illegible] illecebris maxime capi solent; sive ex Galilaea in Iudaeam, ex oppidis in desertas solitudines iret, & cerebram ibidem commorationem [illegible] que celebraret. Sed ne longum [illegible] hoc, lector, intelligi modo volumus, si pulcritudine Christus tantum tribuisset vel praedixisset, quantum praecones [illegible] pulcritudinis praedicant; nec [illegible] non significaturos, nec amicos non [illegible] partem interpretaturos fuisse, neque non subspectum militis hanc formae praestantiam vel ipsos habituros, vel aliis redditures, neque non magnam ex eo invidiam Christo in plerisque conflaturos, &c. Quae omnia quum ille copiose ac facunde disseruisset, aliaque suae sententiae firmamenta produxisset, ad aliter sentientium obiectiones humana ratiocinatione confutat [illegible] vel quaecumque etiam ex melioribus litteris, [illegible] formam praestantiorem elegantioremque, [illegible] habere, ut Jesus Christus formosus [illegible] liter venustum & adspectu gloriosum di-[illegible] ram coloribus pinxit? At si [illegible] fuit Jesus, inventus merito a me dictus [illegible] ideo censura venandus sum, ut [illegible] & calumniose fecerunt Theosomachus primum, pagina 107, & 129, & deinde Gazetta Misigyphorum (sub quo no-


eodem *Tertulliano* intelligitur, dum Libro *De cultu Feminarum* objecta quaedam solvit ac diluit. *Sed enim, inquit, dicitur a quibusdam: ne blasphemetur nomen ejus in nobis, siquid de pristino habitu & cultu detrahamus. Non auferamus ergo nobis & vitia pristina, simus & moribus iisdem, si & superficie eadem: & tunc vere non blasphemabunt nationes. Grandis blasphemia, si quae dicatur, ex quo facta est Christiana, pauperius incedit.* Non vestis tamen formam immutabant omnes. Nam Iustinus Martyr ἤκμαζε ἐν φιλοσόφου σχήματι πρεσβεύων τὸν θεῖον λόγον, ut ait *Eusebius Lib. IV. Histor. Eccles. Cap. XI.* quod & Iustinus ipse *Dialogo cum Tryphone* confirmat. Aristides quoque *Philosophus Atheniensis, & sub pristino habitu discipulus Christi fuit*, ut *Hieronymus in Catalogo* scribit. Et minus forte subsistere aliorum videatur opinio, si qui censent eos, qui ab

[illegible]

[illegible]

ab Idololatria ad Christianos ritus transibant, pallium philosophicum, tamquam commune Christianorum indumentum, sumsisse, quo nomine *Dionys. Petavius* a *Cl. Salmasio* in *Respons. ad Ant. Cercoetium* vapulat (90) & traducitur, sed immerito.

De



(90) *Thrasymachus pag.* 115. censura sua perstringit hanc constructionem: *Petavius a Claudio Salmasio* . . . . . . *vapulat*, aliique, Grammaticam Portus Regalis allegans, *Vapulo* non esse neutrum passivum, nec passivorum constructionem recipere: idque ab omnibus rerum novarum amatoribus probandum esse. Interim respondeo, si res inter novos Grammaticos illius opinio recensenda est, jam recta & pura Latinitas tota vetustate roboratur: adeoque recte dictum scriptumve est, quod antiquius. Ast aliter respondet *Auctor Nemesius pag.* XVI. dum miratur, hujusmodi nobi visio verti contra omnem antiquitatis fidem & auctoritatem. *Negare non dubitat*, inquit, Vapulo *constitui passive cum* Ab *contra Prisciani sententiam, qui Libro VIII. ita scribit:* Quaedam vero ex his neutralibus passivam significationem habent, ut Vapulo a te. *Nec solum contra illius sententiam, sed contra etiam auctoritatem & exempla veterum Latinorum Scriptorum. Et Senecam in Apocolocyntosi.* Producit testes, qui illum viderant ab illo flagris, ferulis, colaphis, vapulantem. *Et Quintilianum Libro IX. Cap. II.* Testis in reum rogatus, an ab reo fustibus vapulasset.

De re vestiaria hominis Christiani primitivi.

CAPUT IV.

DIGRESSIO PRIMA. (91)

SED in habitum primitivorum Christianorum, adrepta hinc occasione, paullo curiosius inquiramus; de iis scilicet vestibus breviter disserentes, quae in novi Foederis libris memorantur, & a Christianis gestari solitas, vel inde, vel ex aliis antiquis Scriptoribus, intelligimus. Non quod communis eos alio-

rum

(91) In Tomo XXII. Par. II. *Bibliothecae Rationalis*, quae Amstelaedami vulgatur, ubi de hoc meo libro judicium profertur, haec de mea hac Digressione habentur: „ Occasione vestium, quas veteres Christi fideles gestabant, Lamius a via digressus, de iis satis distincte ac diligenter agit, „ quarum in Testamento Novo, & in Auctoribus Ecclesiasticis, mentio est. Haec „ Dissertatio vere docta atque erudita est „. In Diario autem Augustano, quod editionem Amstelaedamensem mentitur, Tomo III. *Artic.* VII. *pag.* 156. ubi de mea hac Digressione agitur, haec Auctor eruditus scribit: „ Prima Digressio [illegible] „ De re vestiaria „ hominis Christiani primitivi [illegible] [illegible] Salmasius [illegible] [illegible] Auctori nostro gratiam habere debemus, „ non solum quod omnia [illegible] „ conspicimus; sed etiam quod [illegible] „. Commode autem mihi accidit, dum haec scribo, [illegible] VII. Kl. Quinctiles anno MDCCL. [illegible] cum Digressionibus admodum probans [illegible] *Ha letto con piacere* [illegible]

[illegible] *Digressione* [illegible] eruditorum hominum [illegible] Numquam enim inutile & supervacaneum dici debet, quod cum rebus praecedentibus adfinitatem aliquam habet, [illegible] & considerandi, quae praemissa sunt, [illegible] quodque multam lectoris, eruditique, tam varia, de quibusdam, quae ad primitivos Christianos adtinent, disserendo. [illegible] *Theodoro* [illegible] MDCC. [illegible] Christiani [illegible] Quod vero ad *Auctorem* [illegible]

rum vestitu usos non existimemus, sed quod communem hunc habitum in homine Christiano contemplari nunc lubeat, dum iucundae varietatis lenocinia & illecebras in nostro hoc commentario adfectamus (92).

Iam sine pileo interdum, & galero, aliove capitis tegmine, processisse perspeximus; quod quidem ex antiquis etiam Christianorum picturis simulacrisque confirmatur, ut apud *Aringhum* in *Roma subterranea*, & *Bonarotium* in *Vitris illustratis*, & *Lambecium Lib. II. Commentarior. Cap. VIII.* & *Libro III.* & *Boldettum Lib. 1. Observat. in Coemet. cap. XXXIX.* videre est; atque id praecipue in usu apud Iudaeos fuisse, observat *Calmetius Dissert. De Re Vestiar. Ebraeorum*. Ceterum & si antiqua Ethnicorum hominum simulacra, imaginesque, spectemus, capite nudo fere semper intueri ea licet, ut Cimeliarchium Mediceum invisentibus, & antiquarios libros consulentibus, patet. Haec tamen vere de viris dicta sunt; de feminis aliter sentiendum. Nam *Plutarchus* in *Quaestionibus Romanis Cap. XI.* scribit: Συνηθέστερον δὲ καὶ ταῖς μὲν γυναιξὶν ἐγκεκαλυμμέναις, τοῖς δὲ ἀνδράσιν ἀκαλύπτοις, εἰς τὸ δημόσιον προϊέναι. *Usitatius est, mulieres tectis, mares nudis, capitibus in publicum progredi*. Sed non statim existimandum, nullo semper tegmine caput habuisse primos illos Christianos; nam Ioannem Apostolum auream laminam in fronte gestasse, auctor est *Polycrates* Ephesi Episcopus apud *Eusebium Lib. V. Hist. Eccles. Cap. XXIV.* & ex eo *Hieronymus De Vir. Illustr.*, & id quidem portavisse, tamquam Iesu Christi Pontificem; nam Pontifices Ebraeorum primi illi Episcopi imitabantur; quod loco citato *Eusebius* subindicat, adstruitque ad annum XXXIV. *Baronius*. *Epiphanius Haeres.* LXXVIIII. memoriae prodidit, simile insigne Sacerdotii Iacobum

eo libro, quem sic inscripsit: *Tractatus de Pileo ceterisque capitis tegminibus tam sacris quam profanis D. D. Petro de Marca* [illegible] *Consilio* [illegible] Lugduni MDCLIV. perpetua admodum dedit, quam a me etiam disputata fuisse quare meum opus novum ac prope illis latitans [illegible], contra falsam [illegible] *Thrasonicam* criminationem.

(92) Etsi tam diserte, quae mihi mens fuerit in hac Dissertatione concludenda, protestatus sim, tamen *Perbiatius Cap. IV. sui libelli* a pag. 71. usque ad 76 totus est, ut evincat communem fuisse Christianorum priscorum & Ethnicorum vestem; quod ipse concedo: verum id in causa esse non debuit, cur hanc Dissertationem omitterem, quae tam multa Historiae Ecclesiasticae primorum saeculorum illustrandi mihi occasionem praebet. Adeoque [illegible]. Vide praecedentem *Adnot*.

[illegible] Minorem Apostolum portexisse; seu Anonymus [illegible] Auctor Act. S. Marci, quem Marcum Evangelistam ex Aaro-

[illegible] fuit in Ephemeridibus literariis Florentinis anno MDCCIL. col. 279. demonstratumque, errare Porthilium, si putat auream laminam, quae capiti Joannis & Jacobi insignitum esse, ad vestium genus minime referri; nam doctorem Scriptorum [illegible] hoc loco agendum fuit, ubi de vestibus primitivorum Christianorum, quales certe Joannes & Jacobus fuere, disserebatur. Non me quidem praeterit, Jurisconsultos vestes ab ornamentis distinguere, ut in Pandectis Tit. De [illegible] Ulpianus in Lege praecedenti inter vestes Pileos & Fascias crinales enumerat. At haec [illegible] Hieronymus in Epistola ad Fabiolam, quae de Veste sacerdotum inscribitur, inquit: Et ne lectorem fastidio [illegible] discamus primum communes Sacerdotum [illegible] Pontificum propria, Has quatuor vestimentis .... tam Sacerdotes, quam Pontifices [illegible] Pontificum sunt. [illegible] vestes Pontificum proprias, & Rationale & Lamina Aurea, fuit, Rationale, [illegible] habebat mirae magnitudinis atque pretii, &c. Et tamen Rationale a D. Hieronymo vestimentum habetur, qui deinde prosequitur: Octava est Lamina Aurea ...... [illegible] super pileolum lineum, & commune [illegible] hyacinthina [illegible] &c. [illegible] quae, vel communia cum Sacerdotibus, vel quae specialia Pontificis, VESTIMENTA sunt. Lamina [illegible] de vestimentis scribere agendum foret. At non Hieronymus tantum Laminam Auream inter vestes recenset; Deus ipse Exodi Cap. XXVIII. vestes vocat, non Rationale tantum, aliaque, [illegible] vero, in quibus sanctificatus ministret mihi. Haec autem erunt vestimenta, &c. Mox dum haec vestimenta describit, vers. 36. [illegible] Facies & Laminam de auro [illegible] in qua sculpes opere caelatoris, Sanctum Domino, ligabisque eam vitta hyacinthina, & erit super tiaram, imminens fronti Pontificis. [illegible] malent in loqui proprietate peritiores, quam Deus fecerit? At si Deus Laminam Auream [illegible] aetate, si ut vestibus primitivorum [illegible] Joannis & Jacobi Laminam in vestimentorum censu deniceps? Si vero Porthilius unquam animadvertisset Aureae Laminae figuram structuramque, & Pontificali tiarae fuisse adnexam adstrictamque fuisse, ita ut alius pars esset; vidisset etiam non tam ornamentum, quam [illegible] Cap. VII. [illegible] tur. Clepit autem frontem & autes aurea [illegible] ordine fabrefacta; e qua infurgunt corymbi aurei, similitudine illos referentes, quae videmus in herba, cujus semina dicta pu-

Aaronis genere deduxisset, cum *pontificalis apicis petasum* gestavisse, litterarum monumentis consignavit. *Actorum Apostolicorum Cap. XIX.* Paulli sudaria memorantur, quae quidem *Theophylactus*, & *Oecumenius*, ad eum locum, auctores sunt, capiti imponi solita fuisse; & *Theophylacti* verba producemus inferius, ubi de semicinthiis agendum fuerit. Et quidem Lazari facies *sudario erat ligata*, ut scribit *Ioannes Cap. XI. 44.* Et *Cap. XX. v. 7.* ubi de linteaminibus, quibus Christus mortuus involutus fuerat, agitur: *Et sudarium, quod fuerat super caput eius.* καὶ τὸ σουδάριον, ὃ ἦν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς αὐτοῦ. *Gregorius Magnus* quoque *Lib. III. Epist. XXX.* scribit B. Paulli sudarium Romae cum reliquiis eius lipsanis extitisse. Hic obiter tantum observaverim Nonnum Panopolitanum, elegantem Ioannis Evangelistae paraphrasten, vocem σουδάριον Syram existimasse, quum Latinam linguam penitus ignoraret, & de eo quaedam scitu non indigna habere *Io. Iac. Chifletium Crisi histor. De Linteis sepulcral. Christi Cap. V. & seqq.* ut nihil de *Suicero* & *Calmetio* in suis Lexicis dicam. Sed apud laudatum *Aringhum* Sanctorum Martyrum Abdon & Sennen, Persarum, imagines tamquam Phrygio galero tectae conspiciuntur, quod etiam trium puerorum Ebraeorum in ignem in Perside coniectorum simulacra apud eundem ornata cernuntur: tali etiam capitis tegumento Magi Christum adorantes ibidem exhibentur. (oo) Sanctus Dydimus vero quum ad Theodoram Virginem

Q li-

sit quam Graeci vel barbaries [illegible] mum appellant .... *Atque inde [illegible]* [illegible] *Lamina Aurea, quae sacris characteribus [illegible]* nomen inscriptum habet. [illegible] Lamina Aurea dicitur, [illegible] [illegible] Quem [illegible] [illegible]

(pp) *Aringhus Lib. VI. Romae subterraneae Cap. XX.* [illegible]

[illegible] Basilicae S. Mariae Maioris arcu, [illegible] Sancti Stephani [illegible] in eadem Basilica [illegible] Commentariolis [illegible] videre est, &c.

liberandam lupanar ingrederetur, pileo caput contexerat, ut eius *Acta* apud *Ruinartium* testantur. Sanctus *Pachomius* tandem suis Monachis praescripsit ἐξ ἐρίου πίλημα τῇ κεφαλῇ περικεῖσθαι. ὡς δὲ τύπους κοκκίνους εἶναι πορφυροῖς τισιν ἀπορράμματι σήματι αὐτῷ τοῦ σταυροῦ σχῆμα ὑποτυποῦντα. *Capitis tegmen mitram laneam. quae mitra quibusdam purpureis distincta filis, puncta sua haberet crucis formam referentia*; si fides *Nicephoro Callisto Lib. IX. Histor. Eccles. Cap. XIV.* In veteribus quoque Christianorum picturis, & imaginibus, circulum quemdam seu discum caput & crines ambientem videre est; sed quum illi non aliquod frontis velamen indicet, sed praecipue honoris insigne & ornamentum, quo Deorum simulacra veteres Ethnici, & Imperatorum deinde statuas, decorarunt, ut apud *Bonarotium* opere superius laudato videre est; & quod quidem proprio vocabulo *Nimbus* adpellabatur; de eo nunc agere supersedemus. Quamquam non diffitendum, apud antiquos *Nimbum* fasciam frontalem fuisse, & feminarum ornamentum, ut ex Plauto & Arnobio ostendit *Io. Meursius Exercit. Critic. in Plaut. pag. 518. Edit. Florent.* (11) At quocumque operimento antiquissimi Christiani caput tegerent, certe necessitatem, non ornatum, respiciebant; quare nec sertis, nec floribus, Ethnicorum more, redimiti, aut aliter ornati, procedebant; quod *Q. Septimius Tertullianus* toto *De Corona Militis* Volumine insinuat, ubi & generalem consuetudinem adstruit his verbis: *Omnes ita observant a catechumenis usque ad confessores, & martyres, vel negatores.* Et diserte quoque docet *Clemens* Alexandrinus *Lib. II. Paedagog. Cap. VIII.* ubi etiam quatenus & quomodo Christiani homines unguentis & floribus uti debeant, sapienter ostendit. Quare *Acta Sancti Pionii* tradunt, beatum Martyrem impositas sibi a sacrilegis coronas manibus discerpsisse, ac projecisse: eos tamen qui baptizati fuerant, sertis ornari solitos fuisse, docet ex vetustis auctoribus *Io. Bapt. Casalius De Veter. Christian. Ritibus Par. II. Cap. V.* At non tantum nullo tegmine aut ornatu capitis, antiquae Christianorum imagines prostant ut plurimum; verum etiam attonsis brevibusque capillis; quod quidem non Christianorum peculiare, sed Ethnico-

(11) Vide superius pag. 13. [illegible] 73.

eorum etiam virorum commune fuisse, vetusta, quae supersunt, simulacra manifestissime comprobant; & consulendus est super hoc *Salmasius* ad *Tertullianum De Pallio*. Et quidem Apostolus *Paullus* Corinthiis scribens, virum detecto ac nudo capite orantem laudaverat, & quadam veluti naturae lege tonderi debere demonstrarat, ut eius quidem verba, quae producentur inferius, aperte significant. Hinc *Tertullianus Lib. De Velandis Virginibus* scribit: *Horum certe omnium contraria efficiunt, ut vir caput velet: scilicet quia non sit naturaliter consequutus ambitionem capillorum, quia radi sive tonderi non sit turpe illi.* Capitis tamen tonsura ea fuisse videtur, ut crines non ad cutem rasi ac resecti, sed decurtati tantum & attonsi essent, ut quidem vetusta simulacra prae se ferunt; & *Actorum Cap. XVIII. Lucas* tradit seu Paullum, seu Aquilam (nam ambigua lectio est) in Cenchris se totondisse, & quidem ex voto, more Nazaraeorum, quod forte ex morticino, ut *Caietanus* putat, pollutus fuisset: quamquam tunc capilli ex Nazaraeorum instituto crescere potuissent; de quo consulatur *Tillemontius* in *Paullo Art.* XXVI. Praeclariter *Hieronymus* in *Caput Ezechielis XLIV.* 20. *Perspicue*, inquit, *demonstratur, nec rasis capitibus, sicut sacerdotes cultoresque Isidis atque Serapidis, nos esse debere; nec rursum comam demittere, quod proprie luxuriosorum est, Barbarorumque, & militantium; sed ut honestus habitus sacerdotum facie demonstretur; nec calvitium novacula esse faciendum, nec ita ad pressum tondendum caput, ut rasorum similes esse videamur, sed in tantum capillos demittendos, ut operta sit cutis.* Ceterum Paullum Apostolum non brevibus tantum crinibus, sed etiam recalvastrum, fuisse, docet *Philopatridas Auctor* supra laudatus, sic enim illum describit: *ὅτε δέ μοι Γαλιλαῖος ἐνέτυχεν, ἀναφαλαντίας, ἐπίῤῥινος, ἐς τρίτον οὐρανὸν ἀεροβατήσας* *Quando autem me Galilaeus ille convenit, recalvaster, naso aquilino, qui in tertium usque caelum per aerem ingressus est.* Ex hoc ignoti illius Auctoris testimonio liquido exsistit, minus vere Apostolum, in vetusta quadam aerea pulcerrimaque Gazae Mediceae lucerna, quae navem, Petro gubernaculum in puppi moderante, Paullo vero in prora praedicante, mysticam refert, capillis etiam in fronte crispantibus re-

praesentari, licet brevibus illis, & per ambitum conciane attonsis; (96) minus etiam vere crinibus similibus in antiquis vitris apud *Bonarotium* exhiberi, nisi quod *Tab. X. & XVI.* etiam calvus depingitur. In eburnea quoque Tabula, quae tegminis vicem obibat in antiquo Codice Missali MS. qui Ecclesiae Florentinae usui destinatus erat, & saeculo VIII. seu IX. exaratus fuisse videtur, Petrus & Paullus Apostoli pari crinium canitie & censu instructi conspiciuntur, contra quam fieri oportuisset; quam quidem Tabulam quum ex Bibliotheca Barberiniana, ubi nunc codex ille Romae adservatur, delineatam, ab *Simone Ballerinio*, erudito & humanissimo illius Bibliothecae custode, obtinuissem, aere incidendam curavi, hunc ipsum commentarium ornaturam fortassis. Itaque Christiani ut plurimum antiquitus tonsi, quod luculentius eminet ex *Cap. XI. vers.* 14. *Epistolae I. ad Corinthios*, ubi *Paullus* ita scribit: *Nec ipsa natura docet vos, quod vir quidem si comam nutriat, ignominia est illi. Mulier vero si comam nutriat gloria est illi: quoniam capilli pro velamine ei dati sunt.* Et paullo ante dixerat: *Omnis mulier orans aut prophetans, non velato capite, deturpat caput suum: unum enim est ac si decalvetur. Nam si non velatur mulier, tondeatur. Si vero turpe est mulieri tonderi vel decalvari, velet caput suum.* (97) Hinc *Auctor. Cap. XXI.* quibusdam ut capita radant iniungitur: & hinc non mirum si *Prudentius Hymno in Cyprianum* indicat, Sanctum hunc Martyrem, statim ac Christianus effectus est, caput totondisse, promissamque decurtasse caesariem;

Defluo Caesaries compescitur ad breves capillos;

Hinc irrisor ille, Dialogi, qui *Philopatris* inscribitur, Auctor, Christianum quemdam describit κεκαρμένον τὴν κόμην, *attonsa coma*; & huc forte adludens alibi Christianos κεκαρμένους τὰς γνώμας καὶ διανοίᾳ, *detonsos mente & sententiis* adpellat. Auctor autem *Constitutionum Lib. I. Cap. III* τὴν τρίχα τῆς κόμης *comae capillum* ne quis nutriat iubet. Sed rem magis in propatulo col-

lo-

(96) Edita est ab *Poggiolo De D. Petri itinere* & Episcopatu Romano.

(97) Multa ad hunc *Pauli* locum disputat *Jacobus Revius* in Libello inscripto *Libertas Christiana circa usum capillitii defensa*, Editio Lugduni Batavorum anno MDCXLVII.

locat laudatus *Prudentius, Hymno in Hemitherium & Chelidonium*, ubi ait, ignorari an longa custodia detenti, vinclisque & catenis obligati, *longum capillum paverint*, hoc est, comam alias brevem, & crebro attonsam, quum aliter fieri non posset, aluerint.

Hoc tamen solum vetusta subtrahunt silentia,
Iugibus longum catenis an capillum paverint,
Quo viros dolore tortor, quave poena, ornaverit.

Nec obstat, quod idem *Prudentius, Agone Hippolyti*, Christianos crinitos vocet.

Carcereo crinita situ stare agmina contra
Iusserat, horrendis excrucianda modis.

Nam signanter crinita dixit, quod carceris custodia cohibiti manibusque sevinctis praepediti, se de more tondere non potuissent. Hinc *Hieronymus* ad Eustochium *De Custodia Virginitatis*, viros improbat, *quibus feminei contra Apostolum crines, hircorum barba, &c.* Quod si testes non adeo antiquos producere iubet, certe apud *P. Lambecium Lib. II. Comment. De Biblioth. Caesar. Cap. VII.* pictura quaedam Evangelistarum ex vetusto Codice exhibetur, in qua Lucas tonsura in coronae speciem efformata caesariem habet circumcisam, quali fere Franciscani & Dominicani Monachi utuntur. Sed licet illa omnia, quae hactenus disservimus, aut certa aut saltem probabilia videantur, nihilo tamen minus universas fere Iesu Christi imagines capillo oblongo, & in humeros defluente, cernere est, cum apud *Aringhum*, tum in numo aereo Christiano, quem eruditis commentariis Eques *Franc. Victorius* nuper illustravit. Apud *Bonarotium Tab. IX. Fig. I.* Christus cernitur coma quidem non admodum prolixa, sed duobus hinc inde cincinnis attorta, uti etiam occurrit in vitro apud *Aringhum* laudatum *Lib. VI. Cap. L.* Et Christum quidem crispos cincinnatosque capillos habuisse tradunt *Theodorus Lector*, *Damascenus*, *Theophanes*, & *Suidas in εἰκῶ*, ut apud *Cangium Disser. De inf.*

aevi

aere Numis n. XXVIII. videre est. Ceterum brevibus etiam attonsisque capillis Christus occurrit in vetustis imaginibus apud *Bonarotium* saepe memoratum. Sed & Iacobum Minorem Apostolum, *Hegesippus* apud *Eusebium & Hieronymum*; & Ioannem Evangelistam, numquam capillos totondisse, scribit *Epiphanius Haeres.* XXX. *Cap.* XXIV. Attamen dubium non est, quin Christianorum plerique capillos saltem circumciderent, ut vidimus; barbam vero nutrirent, de qua iam agendum. Et profecto veteres prope omnes Christianorum picturae Christum, & Apostolos, barbatos spectantium oculis obferunt; & quin tunc temporis in Oriente & in Graecia barbam alere in usu esset, non video cur ambigendum sit (a); licet apud Romanos serius id inductum fuerit, Hadriani Caesaris aetate videlicet, ut ex antiquis Numismatis constat. *Tertullianus* autem *De cultu feminarum*, dum viros barbam acrius caedentes, & intervellentes, formamque excolentes, damnat, contrarium usum probare maxime videtur. *Siquidem & viris propter feminas, inquit, & feminis propter viros, vitio naturae ingenita est placendi voluntas. Propriasque praestigias formae & hic sexus sibi agnoscit, barbam acrius caedere, intervellere, circumdare capillum, disponere, etiam colorare canitiem, primam quamque subducere totius corporis lanuginem, pigmento quoque muliebri distinguere, cetera pulveris cuiusdam asperitudine levigare, tum speculum omni occasione consulere, anxie inspicere; quum tamen, cognito Deo, adempta placendi voluntate, per luxuriae nocentiam, omnia illa ut otiosa, ut hostilia pudicitiae, recusentur.* *Auctor Constitutionum Lib.* I. *Cap.* III. χρὴ δὲ οὐδὲ γενείου τρίχα διαφθείρειν, καὶ τὴν μορφὴν τοῦ ἀνθρώπου παρὰ φύσιν ἐξαλλάττειν. *Oportet praeterea non barbae pilum corrumpere, nec formam hominis contra naturam mutare.* Sed ut quae barbae apud antiquos Christianos cura esset, & capillorum etiam, nam utraque adiunxit, distinctius intelligatur, verba eruditissimi *Clementis* huc transcribenda sunt ex *Lib.* III. *Paedag. Cap.* XI. quae ita habent: Τριχῶν δὲ πέρι. ταύτῃ δοκεῖ· ψιλὴ μὲν ἡ τῶν ἀνδρῶν κεφαλή. πλὴν εἰ μὴ οὔλας ἔχοι τὰς τρίχας· λάσιον

δὲ

(a) De barba, vide superius pag. 25. Adn. XI. & pag. 71. Adnot. LIX.

ἢ τὸ γένειον· αἱ δὲ συνεστραμμέναι τῶν τριχῶν, ἀπὸ τῆς κεφαλῆς μὴ καταβαινέτωσαν ἄγαν, εἰς πλοκάμους καταλειβόμεναι γυναικείους· ἀπόχρη γὰρ τὸ οὖλον τοῖς ἀνδράσιν. Εἰ δέ τις καὶ κείροιτό τι τοῦ γενείου, οὐ μόνον παντελῶς ψιλωτέον αὐτό· αἰσχρὸν γὰρ τὸ θέαμα· καὶ κατήγορος ἡ τοῦ γενείου ἐν χρῷ κουρά, παρατίλσει καὶ λειάνσει γειτνιῶσα . . . . ἐπεὶ δὲ οὐχ ὡραϊσμοῦ χάριν ἡ κουρὰ παραληπτέα διὰ περίστασιν δέ· τὰς μὲν τῆς κεφαλῆς τρίχας, ὡς μὴ αὐξηθεῖσαι ταῖς ὄψεσιν ἐμποδίζουσαι καταβαίνωσι· καὶ ἴσως τὰς ἐπὶ τῷ μυστακίῳ μολυνομένας κατὰ τὴν τροφὴν περικαρτέον. οὐ ξυρῷ. ἀγεννὲς γάρ· ἀλλὰ ταῖς δυεῖν μαχαίραις ταῖς κουρικαῖς. Τὰς δὲ τοῦ γενείου, μηδέν τι παρενοχλούσας, οὐκ ἐνοχλητέον· σεμνότητα μὲν τῷ προσώπῳ, καὶ κατάπληξιν γεννητικὴν ἐμποιούσας. *De pilis autem ita videtur. Virorum quidem caput ut sit detonsum, nisi forte pilos crispos habeat. barba autem hirsuta. Intorti autem capilli ne a capite nimium demittantur, in comam muliebrem dilabentes, viris enim barba sufficit. Quod si quis etiam barbam nonnihil tondeat, ea tamen non est omnino denudanda, est enim turpe spectaculum: barbaeque ad cutem usque tonsura, non videtur multum abesse a vulsione & levore . . . . Quoniam autem non decoris gratia tonsura, sed propter alias accipitur circumstantias, pili quidem capitis, ne succrescant, & descendentes visum impediant, & forte qui in superiori labri parte inter comedendum polluuntur, tondendi sunt non novacula est enim illiberale, sed duabus tonsorum forficibus. Barbae autem pili, qui nihil molestiae adferunt, non sunt vexandi, ut qui vultui gravitatem adferant, & quemdam paternum terrorem incutiant.* Hactenus ille *S. Cyprianus Libro De Lapsis: Corrupta,* inquit, *barba in viris, in feminis forma fucata, adulterati post Dei manus oculi, capilli mendacio colorati*; haec in Christianis quibusdam fuisse indicans, & damnans simul atque improbans. Iam vero aliquid de capitis muliebris cultu dicendum. Non enim de viris tantum agere nobis propositum est, sed quatenus praefixa brevitas patitur de muliebribus etiam indumentis quaedam obiter disserere.

Feminas obnupto capite processisse, saltem dum orarent, aut prophetarent, ex Apostoli praecepto ad Corinthios pri-

mum

mum scribentis colligere est. Nam *Cap. IX.* ita infit: *Omnis autem mulier orans, aut prophetans, non velato capite, deturpat caput suum; unum enim est ac si decalvetur. Nam si non velatur mulier, tondeatur. Si vero turpe est mulieri tonderi, aut decalvari, velet caput suum . . . . Ideo debet mulier potestatem habere supra caput propter Angelos.* Et quidem Christianas olim feminas intonsas fuisse, elucet etiam ex *Clemente* Alexandrino, qui dum capitis cultum mulieribus praescribit, comam eas aluisse perspicue indicat, *Lib. III. Paedag. cap. XI.* Ταῖς γυναιξὶ δὲ ἀπόχρη μαλάττειν τὰς τρίχας, καὶ ἀναδεῖσθαι τὴν κόμην, ἁπλῶς περόνῃ τινὶ λιτῇ παρὰ τὸν αὐχένα, ἀφελεῖ θεραπείᾳ συναύξουσας εἰς κάλλος γνήσιον τὰς σώφρονας κόμας. Καὶ γὰρ αἱ περιπλοκαὶ τῶν τριχῶν αἱ ἑταιρικαὶ καὶ αἱ τῶν σειρῶν ἀναδέσεις πρὸς τῷ εἰδεχθεῖς αὐτὰς δεικνύναι, κόπτουσαι τὰς τρίχας, ἀποτίλλουσι ταῖς πανούργοις ἐμπλοκαῖς . . . . Ἀλλοτρίων καὶ αἱ προσθέσεις τριχῶν, πάνυ ἐκβλητέαι· ἀθεμίας τε ἐπισκευάζεσθαι τῇ κεφαλῇ τὰς κόμας, ἀθεώτατον, νεκροῖς ἐπιδιδύσκουσας πλοκάμοις τὸ κρανίον. *Mulieribus autem crines mollire sufficit, & comam aliqua fibula circum adligare frugaliter, simplici cultura pudicas comas in verum & germanam pulcritudinem alentibus. Meretricii enim pilorum plexus, & catenarum nexus, cum eos deformes reddant, tum etiam pilos discerpunt, artificiosis insertis vinculis evellentes . . . . Alienorum autem capillorum adpositiones omnino reiiciendae sunt, & externas comas capiti adhibere, est maxime impium, quae mortuis pilis cranium induunt.* Idem ex *Tertulliano De cultu feminarum* intelligitur: *Quid enim*, inquit, *tanta ornandi capitis operositas salutem subministrat? Quid crinibus vestris quiescere non licet, modo substrictis, modo relaxatis, modo suscitatis, modo elisis? Aliae gestiunt in cincinnis coercere, aliae ut vagi & volucres elabantur non bona simplicitate. Adfigitis praeterea nescio quas enormitates sutilium atque textilium capillamentorum, nunc in galeri modum quasi vaginam capitis, & operculum verticis, nunc in cervicem retro suggestum.* Lubenter haec *Clementis*, & *Tertulliani*, loca protuli, nam praeter propositum, & illud ostendunt, quam ornatus capitis vanitas iam inter Christianas feminas serperet. Locum autem

Cle-

Clementis *Acta SS. Perpetuae & Felicitatis* inlustrant, ubi Perpetuam dispersos capillos infibulasse, testantur. *Acta* quoque *SS. Saturnini, Dativi, & Sociorum*, memoriae prodiderunt, *Victoriam*, sacram Deo virginem, consecrati Deo dicatique capitis in perpetua virginitate sacratissimum crinem inconcusso pudore servavisse. Late vero hunc feminarum, etiam sacrarum, capillos nutriendi servandique, morem adstruunt *Optatus* Milevitanus *Lib. VI. Ambrosius ad Virginem lapsam Cap. VIII. Concilium Gangrense Can. XVII. Sozomenus Lib. V. Cap. XIII. Gregorius Turonensis Lib. X. Histor. Cap. XV.* quamquam alia erat virginum sacrarum consuetudo in Aegypto & Syria, ut refert *Hieronymus Epist. ad Sabinianum*, indicatque *Palladius in Lausiaca*. Illud vero ipsum, ad quod *Clemens & Tertullianus* hortantur, ex *Paullo* Apostolo didicerant, qui *Epistola ad Timoth. I. cap. II. vers. 9.* feminas cum pudore & modestia ornari iubet, μὴ ἐν πλέγμασιν, hoc est, *crinium cincinnis*, quod male Simonis a Cassia Interpres *Aegidius, Parrucca*, Italice vertit, ut *Ant. Mar. Salvinius* vir eruditissimus observabat; qui quidem ornatus dicitur *Petro Epistola I. Cap. III. v. 3.* ὁ ἔξωθεν ἐμπλοκῆς τριχῶν κόσμος, & ab eo pariter feminis prohibetur. Ceterum alere comas feminas apud omnes aeque gentes in usu fuit, ut ex antiqua Historia, & veterum simulacris, & insequentibus *Apuleii Lib. II. Metamorphos.* disertissimis verbis, intelligere est. *At vero (quod nefas est dicere, ne quid sit ullum huius rei tam dirum exemplum) si cuiuslibet eximiae pulcerrimaeque feminae caput capillo spoliaveris, & faciem nativa specie nudaveris, licet de caelo deiecta, mari edita, fluctibus educata: licet, inquam, Venus ipsa fuerit, licet omni Gratiarum choro stipata, & toto Cupidinum populo comitata, & balteo suo cincta, cinnama fragrans, & balsama rorans, si calva processerit, placere non poterit nec Vulcano quidem suo, &c.* Sed Iudaeis feminis praecipue capillos pascere moris fuit: quare legimus in Evangelio, mulierem, quum Christi pedes lacrimis lavisset, abstersisse capillis, *Luca* referente *Cap. VII. vers. 38.* atque idem fecisse *Mariam*, nisi una atque eadem mulier est, auctore *Ioanne Cap. XII. vers. 3.* & faciunt, quae ex *Epistola I. Paulli ad Corinthios* superius prolata fuere. Caput quidem

dem Christianas feminas velavisse, iam ex adlatis Apostoli verbis percipiatur, sed dum orarent aut prophetarent; verum usu, & Patrum expositione, ut apud *Chrysostomum* ad hunc locum videre est, factum esse videtur, ut virgines & mulieres Christianae velatae semper inciderent. Hinc illud *Tertulliani De cultu feminarum: Deus vos velari iubet: credo ne quarundam capita videantur. Clemens* autem Alexandrinus *Lib. III. Paedag. Cap. XI.* iubet: πλεῖον τῶτο ἐχέτω ἡ γυνὴ κεκαλύφθω καὶ πάντα πλὴν εἰ μὴ οἴκοι τύχοι. *Hoc amplius habeat mulier: semper tecta sit, nisi quum domi fuerit.* Virgines vero etiam velandas ex eodem Apostoli loco laudatus *Tertullianus* comprobat, & ex Corinthiorum ipsorum consuetudine, *Libro De Virginibus velandis. Hodie denique*, inquit, *virgines suas Corinthii velant.* Et generale etiam antiquumque Ecclesiarum Apostolicarum institutum adducit: *Sed eas ego Ecclesias proposui, quas & ipsi Apostoli, vel Apostolici viri, condiderunt, & puto autem quasdam. Habent igitur & illae eandem consuetudinis auctoritatem, tempora & antecessores opponunt magis quam istae.* Quatenus autem velarentur, indicat idem *Tertullianus*, dum laudato statim libro abusum quarundam carpit, & infra: *Mitris & lanis quaedam non velant caput, sed colligant, a fronte quidem protectae; qua proprie autem caput est, nudae. Aliae modice linteolis, credo ne caput premant, nec ad aures usque demissis, cerebro tenus operiuntur. Misereor si tam infirmo auditu sunt, ut per tegmen audire non possint. Sciant quod totum caput mulier est. Limites & fines eius eo usque porriguntur, unde incipit vestis. Quantum resoluti crines occupare possunt, tanta est velaminis regio, ut cervices quoque ambiantur.* Iam haec omnia etiam ex antiquis Christianorum imaginibus confirmantur, inter quas feminae, aut sparsis promissisque crinibus, aut colligatis, & velamine tectae, vario tamen modo, frequenter occurrunt, & inter orandum praecipue, ut apud *Arringhum* videre est *pag.* 475. 531. 537. 549. quamquam mulier capite nudo, sed crinibus diffusis, orans offenditur *pag.* 461. Quaedam vero de virginibus, & sponsis observanda; & eas quidem non velo saepe, sed mitra, aut mitella, tantum caput ornavisse, dicendum est ex *Tertulliano De Velandis Virgin.* & ex antiquis pictoris

apud

apud *Bonarotium Tab.* XVIII. *fig.* II. *& Tab.* XXI. *fig.* I. & *Boldettum Lib.* I. *Cap.* XXXIX. *Tab.* III. *num.* 3. Christianas item sponsas primis illis temporibus *Flammeum* non usurpasse, utpote vestem Ethnicorum superstitione profanam, ex antiqua nuptiarum pictura apud laudatum *Bonarotium Tab.* XXI. *fig.* III. intelligere datur: quod tamen velum adhibere in nuptiis contrahendis, insequentibus temporibus, in usu fuit, ut ex *Ambrosio Exhort. ad Virgin. Cap.* VI. *& Epist.* XIX. ex *Epistola Siricii ad Ecclesiam Mediolanensem adversus errores Iovinianі*, ex *Epistola Nicolai I. ad Consultationes Bulgarorum Cap.* III. ex *Isidoro De Divin. Offic. Cap.* XIX. percipimus. In memorata tamen *figura* III. *Tab.* XXI. sponsa vestibus pretiosis ornata est, ut quidem communis consuetudo ferebat, quod tamen minus probat D. *Paullinus* in *Iuliani Epithalamio*. Non tamen inaures sponsa habet, non monilia, ut *pag.* 154. *Bonarotius* observat, quamquam exploratae fidei sit (99) Christianas feminas interdum ea gestavisse, dum hunc luxum improbant Patres, *Clemens Lib.* III. *Paedag. Cap.* XI. *Tertullianus De Cultu feminarum*, *Cyprianus De Habitu virginum*. Adscrititia quoque capillamenta usurpabant, ut ex laudatis Patribus eminet, & ornamenta quoque alia, quorum abusum, quum nec illi, nec ipse probem, feminae primitivae Christianae facile abiudicaverim. Sed quacumque modestia olim incederent feminae Christianae, tamen dubitandum non videtur, secundo, & tertio saeculo, luxum, & superfluum (100) capitis ornatum, vestiumque pretiosarum usum, apud eas invaluisse, si expendantur ea, quae declamat *Tertullianus De Habitu muliebri*, *& De Cultu feminarum*, *& De Virginibus velandis*: atque insuper *Clemens* Alexandrinus *Lib.* III. *Paedagogi*: & S. Agnes pretiosis vestibus induta exhibetur apud *Boldettum Lib.* I. *Cap.* XXXIX. *Tab.* III. *num.* 3.

(99) Consule de hac phrasi superius pag. 94. 95.

(100) *Thesaurus* [illegible] *pag.* 114. *superfluum* hic a me usurpari non potuisse, contendit, si [illegible] Latinitate uti volebam. Sed *Ne*[illegible] *pag.* XXI ita respondit: *Superfluum*, *si licet transfere*, *pro excedente & redundante*, *ab antiquis Latinis usurpabatur*. *Audiamus Papinianum in L. Defuncta* [illegible] *D. Ad S. C. Trebellianum*. Fructus superfluos, inquit, restituere non videtur rogatus. *Plinius quoque Lib. XIV eodem sensu pampinorum* superfluitatem *usurpat*. Superfluentes *eadem prorsus significatione adhibet Cicero De Claris Oratoribus*, *ut Senecam*, *Martianum Capellam*, *Symmachum*, *S. Augustinum*, *silentio praetermittam*. *Quid de vetusto Librorum Maccabaeorum Interprete dicam*, *apud quem lectum est*: Superfluum videretur & vanum [illegible] pro mortalibus?

Iam de aliis vestibus verba faciamus. Christum pallio, & tunica, indutum fuisse, ex Evangelistarum commentariis elucet: nam *Ioannis Cap.* XIX. *vers.* XXIII. ita scribitur: *οἱ οὖν στρατιῶται ὅτε ἐσταύρωσαν τὸν Ἰησοῦν ἔλαβον τὰ ἱμάτια αὐτοῦ καὶ ἐποίησαν τέσσαρα μέρη, ἑκάστῳ στρατιώτῃ μέρος, καὶ τὸν χιτῶνα. Igitur milites, quum crucifixissent Iesum, acceperunt vestimenta eius, & fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem, & tunicam.* Vbi observat *Salmasius*, τὰ ἱμάτια posuisse Ioannem pro τὸ ἱμάτιον, ex Graece loquentium usu, & ἱμάτιον heic pallium significare; quod confirmari potest ex iis, quae adducit eruditus *Suicerus* in suo *Rerum Ecclesiasticarum Thesauro* voce ἱμάτιον. Quare *Eusebius Lib.* VII. *Histor. Eccles. Cap.* XVIII. Servatoris statuam, quae Paneade prostabat, *διπλοΐδα* indutam fuisse, ait, hoc est, pallium duplicatum, quale cernitur apud *Bonarotium Ad Vitra Tab.* V. *Fig.* III., ut explicat etiam laudatus *Salmasius*, dum sub *Fr. Franci* nomine ab *Dionys. Petavii* obiectionibus sese tueri conatur. Igitur duas Christi vestes considerabimus, tunicam, & pallium. Christi tunica, est interior vestis, ut ex *Theophylacto ad Matthaeum Cap.* V. intelligere est, ubi ait: *Χιτὼν κυρίως ὁ παρ' ἡμῖν λεγόμενος ὑποκάμισον. Tunica proprie dicitur, quam subuculam vel indusium vocamus.* Erat autem *inconsutilis* ἄρραφος, auctore *Ioanne* loco laudato: *ἦν δὲ ὁ χιτὼν ἄρραφος ἐκ τῶν ἄνωθεν ὑφαντὸς δι' ὅλου. Erat vero tunica inconsutilis desuper contexta per totum.* Hoc est, quum duo praecipue essent tunicarum genera, unum earum, quae σχιστοὶ dicebantur, &, quum apertae essent, fibulis, aut corrigiis, coniungebantur; alterum earum, quae nullis eiusmodi vinculis connecterentur, ut nostrae subuculae sunt, quum vel textoris, vel sartoris ope, iam undique clausae & connexae sint; huius secundi generis erat Christi tunica. Ἄρραφος autem, idest, *inconsutilis* dicta est, non quod suturas nullas haberet, sed quod scissa & aperta non esset, nec iis fibulis necteretur, quae *περόναι* dicebantur, ut late ostendit doctissimus *Suicerus* in voce χιτών. (101) Huiusmodi tunicis etiam Apostoli usi sunt, ut ex Chri-

(101) *Thrasymachus Epist.* III. *pag.* 19. [illegible] quod de Christi [illegible]

Christi præceptum intelligunt, jubentis ne unam tantum tunicam gerant, *Matth. Cap. X. vers.* 10. [illegible]

[illegible]

... rum amplector, Quam autem sit, illam tunicam a Sancto Evangelista adeo superflue reddi inconsutilem, ut omnem eam [illegible] expeditionis [illegible] & depellat; verba pariter sonora fundit, quibus [illegible] ... & ipso cum Sancto Evangelista [illegible]

[illegible]

... haberet tunicam sive summis opere contextam, adeo sive dividi commode non poterat ita, ut inutilis deinde non redderetur, ob angustiam scilicet & latitudinis brevitatem; adeoque indivisam Ecclesiæ, seu doctrina vel individuitatis figura esse poterat. [illegible] *Merillius*: „ Christi [illegible] pallium. [illegible]

[illegible]

δὲ δύο χιτῶνας, μηδὲ ὑποδήματα, μηδὲ ῥάβδον. Et *Marci VI. v. 9.* καὶ μὴ ἐνδύσασθαι δύο χιτῶνας. Et ita quidem Apostolos se vestire consuevisse, indicant etiam verba Christi, *Lucae Cap. XXII. v. 36.* dicentis Apostolis suis: *Sed nunc qui habet sacculum, tollat similiter & peram: & qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium. Ioannis* autem *Cap.* XXI. v. 7. scribitur: *Simon Petrus, quum audisset quia dominus est, tunica succinxit se (erat enim nudus) & misit se in mare.* Sed quomodo locus hic explicandus sit, inferius docebimus. In *Actis* vero *Apostolorum Cap. XII. v. 8.*, ubi de Petro vincto agitur, legitur: εἶπέ τε ὁ ἄγγελος πρὸς αὐτὸν, περίζωσαι καὶ ὑπόδησαι τὰ σανδάλιά σου· ἐποίησε δὲ οὕτω, καὶ λέγει αὐτῷ, περιβαλοῦ τὸ ἱμάτιόν σου καὶ ἀκολούθει μοι. Vbi evidenter tunica indicatur illo verbo περίζωσαι: nam tunica succingebatur, ut ex loco Ioannis producto perspicue elucet. De tunica vero ipsius *Ioannis* agunt *Gregorius Magnus Libro* II. *Epist.* III. & *Ioannes Diaconus in eius Vita Lib.* III. *Cap.* LIX. Quod si apocryphorum Scriptorum auctoritate fungi fas est, *Pseudo-Abdias Lib. V. §. XXI.* Ioannem Apostolum tunica usum fuisse

[illegible]

confirmat; & Barptolemaeum colobio, quod est tunica sine manicis, auctoribus *Alb. Rubenio*, *H. Valesio*, & *C. Cangio*, ut ipsius *Abdiae Lib. VIII.* videre est. Apostolorum vero imagines tunicatae prostant apud *Boldetum Lib. I. Cap. XXXIX. & Bonarrotium ad Vitra antiqua, & Aringhium*; & in Codice Evangeliorum Syriaco, scripto anno DLXXXVI. Bibliothecae Laurentianae. Hinc ad Apostolorum imitationem Christiani quoque alii, seu potius consuetudinem servantes, antiquis illis temporibus tunica induebantur. Si *Stephano* III. Papae in *Epistola ad Hilduinum Abbatem* credendum est, Dionysius Areopagita, colobio indutus, ei *κατ' ὄναρ* visus est. Et quidem Monachi veteres, qui antiquum & primitivum Christianorum habitum retinuisse videri possunt, tunica, vel colobio, utebantur. *Rufinus* de Monachis Tabennesiis, ingentis abstinentiae viros vocat, *quibus usus est indui colobiis, quasi saccis lineis, & pelle confecta*. *Hieronymus* in *Vita Hilarionis*: *Igitur octogesimo aetatis anno, cum absens esset Hesychius, quasi testamenti vice, brevem manu propria scripsit epistolam, omnes divitias suas ei derelinquens, Evangelium scilicet, & tunicam sacceam, cucullam, & palliolum*. Idem saccum alio loco adpellat: *Igitur sacco tantum membra coopertus, & pelliceum habens ependyten, quem illi beatus Antonius proficiscenti dederat, sagumque rusticum*. Quid de tunica *Vincentii* Martyris Hispani, qui sub Diocletiano principe passus est, dicam, quam *Gregorius Turonensis Lib.* III. *Histor. Cap.* XXIX. religiose adservatam, & pie cultam, fuisse commemorat?

Tunicae pallium a pluribus superponebatur, quo Christus usus est, ut superius auctoritate Evangelistae *Ioannis* adstruximus. Eodem etiam Apostoli induti sunt, quare Angelus *Actor. Cap. XII. vers. VIII.* ait Petro: *περιβαλοῦ τὸ ἱμάτιόν σου καὶ ἀκολούθει μοι*. Ubi τῷ *περιβαλοῦ τὸ ἱμάτιόν σου* pallium manifeste denotatur, quod & *περιβόλαιον* propterea proprie adpellabatur. *Pseudo-Abdias* Ioanni Apostolo, Simoni, & Iudae, & Barptolemaeo, pariter Apostolis, pallium tribuit, ut *Lib.* V. *Lib.* VI. *Lib.* VIII. videre est. Pallium autem Marci Evangelistae VI. saeculo adhuc exstabat, & eo, sepulturae mandato praedecessore, Patriarcha Alexandrinus induebatur, ut

apud

apud *Tillemontium* in *Marco* exstat. Et pallio quidem uti Apostolos consuevisse, late demonstraverunt *Grotius* ad *Acta XII. 8.* & *Salmasius* ad *Tertullianum De Pallio*. Hinc Christus, quum eos aliosque in monte adloqueretur, apud *Matthaeum Cap. V. 40.* de vestibus agens, nominat χιτῶνα *tunicam*, & ἱμάτιον, hoc est *pallium*, commemorat. Sed & pallium filii prodigi, apud *Lucam Cap. XV.* idem Servator indicat, ubi τὴν στολὴν τὴν πρώτην, *stolam primam*, seu *priorem*, nominat; quare *Alcimus Avitus Lib.* III. huc respiciens cecinit:

Pallia prima, pater, redeunti porrige proli.

Stephanus III. Pontifex Maximus in laudata superius *Epistola ad Hilduinum Abbatem*, Dionysium Areopagitam pallio amictum inducit; & certe primitivorum Christianorum plerosque pallium gestare solitos fuisse, tam verum est, quam quod maxime; & subficit *De Pallio* Librum *Quinti Septimii Florentis* evolvere. Hinc ab Auctore *Philopatridos* Christianus indicatur τριβώνιον ἔχων *pallium habens*. Sed *B. Rhenanum* in *Librum Tertulliani De Pallio* disserentem audiamus: (101) *Quoniam*, inquit, *Graecorum gestamen erat pallium, ut toga Romanorum, & Christiani frugalitatis gratia pallio vestiebantur, tamquam veste simpliciore, & philosophica, factum est ut vulgari convicio, qui nostris sacris initiati forent, Graeci vocarentur; & ab amictione pallii, quod tunicae superimponebant, etiam Imponentes, ut ita dixerim, sive Impositores. Nam pallium, ut Tertullianus inquit, interulae superest, cuius tota molitio, operire solutim, idest uno circumiectu. Quoties ergo Christianus aliquis prodiisset, statim illud de trivio audiebat,* ὁ γραικὸς ἐπιθέτης. *Id simpliciter accipiebat indoctum vulgus ab pallii superimpositionem: ceterum litterati figuratam morsum intelligebant in vocabulo* ἐπιθέτης, *in quo fieret ad impostoris nomen apud Latinos adlusio, hoc est, deceptoris, & hominis sanctitatem mentientis: atque hoc est, quod* Hieronymus *ad Furiam scribens,* Vbicumque, *inquit,*

(101) *Thrasymachus* pag. 111. hunc *Rhenani* locum, tamquam futilem & perversum [illegible] carpit, & quod si Scriptoris [illegible] prope abhorret: sed nullam eorum ipse video, videbuntque etiam [illegible] & eruditus Lector [illegible] *pag.* XXIV.

quis, viderint Christianum, statim illud de trivio ὁ γραικὸς ἐπιθέτης, vocant impostorem, detrahunt. *Quamquam, ut Erasmus noster alibi admonuit, illa duo verba vocant impostorem, non sunt in exemplaribus vetustioribus, indidem pro glossa primum adscripta in margine, deinde recepta in contextum. Sensum similem eis idem Hieronymus expressit in Epistolam ad Marcellam, de Christianis agens, qui propter vestitum vilem a Gentilibus, interdumque etiam a Pseudo-Christianis, riderentur.* Nos, *inquit*, quia serica veste non utimur, monachi iudicamur: quia ebrii non sumus, nec cachinno ora dissolvimus, continentes vocamur, & tristes. Si tunica non canduerit, statim illud e trivio, Impostor & Graecus est. *Vbi vides ad vestem pertinere dicterium, qua Philosophi Graecorum peculiariter uterentur, & post illos Christiani, quum inquit*, Si tunica non canduerit. *Porro ob fastum & ostentationem vel simplicitatem pallium in contemptum venit, ut fieret dicterio locus apud Carthaginienses, quemadmodum ex hoc libello apparet*. A toga ad pallium, *de mutatione vitae splendidioris in frugalem, & magnarum opum in paupertatem, simile illi*: Ab equis ad asinos. *Inde notum, quod summos apud Gentiles auctoritatis viros relicto paganismo Christianae religioni frequenter nomen dantes pallio vestirentur*. Atque ita quidem ille. Et profecto ab hominibus doctis disceptatum est, an Christiani etiam pallio philosophico saepe uterentur, & quorumdam austeriorem disciplinam profitentium peculiare vestimentum esset. Controversia haec agitata est inter *Dionys. Petavium*, sub adscititio *Antonii Cercoetii* nomine latitantem, & *Cl. Salmasium*, qui ita in suo *Commentario ad Librum Tertulliani De Pallio* inter cetera scriptum reliquit: *Sciendum est, pallium illud, quod quidam ex Christianis tunc gestere, & propter quod* γραικοὶ ἐπιθέται *per contemptum vulgo dicebantur, non fuisse Graecorum commune pallium, sed proprium ac peculiare philosophorum*. Tribon & *tribonium vocabatur, quod vel solum usque detritam vestem sonat; unde & τριβωνοφόροι philosophi dicti. Quemadmodum autem Graeci generis haud alii fere vestitum hoc pallium solebant usurpare, quam qui philosophiam profiterentur; sic inter Christianos habitum illum philosophicum, hoc est, pallium, nemo tunc temporis usurpavit, nisi qui Christianum vere philosophum agere*

vellet. Nam qui disciplinae Christianae diligentissimos & exactissimos cultores praestare volebant in omnibus, hi Christiani philosophi erant, & dicebantur. Tales Tertulliani aetate Episcopi, Presbyterique, & omnes Clerici, ac postea Monachi. Hactenus ille, qui isthuc ipsum variis rationibus & argumentis confirmare conatur; quae tamen dissuare contendit *Petavius* in suis *Animadversionibus*, & *Mastigophoro III.* Et quidem, si Aristides, & Iustinus Martyr, ut superius vidimus, (163) philosophicum habitum post Christianae sapientiae professionem retinuisse signanter dicti sunt, quorsum illhaec, si pallium philosophicum multorum Christianorum commune erat? Insuper tradit idem *Iustinus, Dialogo cum Tryphone*, se vestis indicio a Tryphone pro philosopho cognitum; quod difficile fuisset, si Christiani passim pallio utebantur huiusmodi. *Heracles* quoque Alexandrinus, peractis philosophiae studiis, vestem philosophicam sumsisse, auctor est Origenes apud *Eusebium Lib. VI. Histor. Eccles. Cap. XIX.* & *Aedesius* Martyr, Martyris *Appiani* frater, vitae rationem plane philosophicam in pallio philosophico agens perpetuo traduxit, eodem *Eusebio Lib. VIII. Histor. Eccles. Cap. V.* teste locupletissimo, qui *Cap. XI.* etiam *Pamphili* Martyris servum iisdem Martyrem *Porphyrium*, habitu philosophico, uno scilicet, quod habebat, pallio in modum exomidis contectum, ad mortem incessisse memoriae prodidit. Quorsum autem haec de istis adeo signate & peculiariter notata fuerunt, si pallium philosophicum passiva plerumque vestis inter Christianos occurrebat? Quid quod D. *Cyprianus Libro De Bono patientiae* ita de habitu philosophorum loquitur, ut eum Christianis abiudicet, illis verbis: *Apparet illic veram non esse patientiam, ubi sit insolens affectatae libertatis audacia, & exserti ac seminudi pectoris inverecunda iactantia. Nos autem, fratres dilectissimi, qui philosophi non verbis, sed factis sumus, nec vestitu sapientiam, sed veritate praeferimus, &c.* Nihilo tamen minus pallium aliquod gestavisse primaevos Christianos probabiliter quoque adstruitur ex eo, quod Monachi, quos antiquae vestis modum retinuisse mature obser-

(163) Vide superius pag. 116.

observavimus, pallio superinducebantur (104), ut ex *Hieronymi* loco in *Vita Hilarionis* superius adlato (105) constat, & luculentius existet ex Scriptorum testimoniis, quae inferius proferenda sunt. Pallii autem forma exhibetur ab erudito *Oct. Ferrario Part. II. De Re Vestiar. Lib. IV. & Analect. De Re Vestiar. Tab. XXIX.* eamque discere est etiam ex duobus Philosophorum marmoreis simulacris, quorum unum in Museo Gaddiorum, alterum in aedibus Nicolinorum, (106) Florentiae adservatur; quaeque depingi, & tabulis aeneis incidi, feci ad Volumen secundum operum *Io. Meursii* a me producenda. Ceterum qui Tertulliani tempore praeter Christianos pallium usurparent, ita idem *Tertullianus* docet *Libro De Pallio*. *Viderit nunc philosophia quid prosit. Nec enim sola mecum est. Habeo alias artes in publico utiles. De meo vestiuntur & primus informator literarum, & primus adornator vocis, & primus numerorum arenarius, & grammaticus, & rhetor, & sophista, & medicus, & poëta, & qui musicam pulsat, & qui stellarem conjectat, & qui volaticam spectat*. Porro & de chlamyde aliquid dicendum, quando & ipsa pallium quoddam, & ea Iesum Christum ab illudentibus militibus circumdatum fuisse, ex *Matthaei*, *Marci*, & *Ioannis*, testimonio cognoscimus; chlamydeque pariter indutum, illusum fuisse ab Herode, prodidit *Lucas*. Chlamydem laneam fuisse constat, & coccineam dicit hanc *Matthaeus*; vestem vero purpuream, seu purpuram, vocant alii Evangelistae; quare *Ambrosius*, in *Cap. XXIII. Lucae*, tunica purpurea Christum vestitum fuisse existimat, & deinde chlamyde coccinea circumdatum; proprie enim purpura a cocco distinguitur. Saepe tamen coccum & purpura promiscue accipitur; vestisque purpurea erat non tantum Imperatorum & Regum, sed etiam militum; chlamysque pallium (quare *Ioannes ἱμάτιον* dicit) militare fuit, rotundum, non quadrangulum, ita ut milites non tam operiret,

S 2 quam

(104) [illegible] *Thessalonicae* [illegible] palllo [illegible] Christianos [illegible] nihil contradictione [illegible] Non [illegible] palllo [illegible] philosophico [illegible] Christianis primaevis tribuisse palli[illegible] Monachorum exemplo deinde [illegible] contradictio!

(105) Confer pag. 133.

(106) De his duobus Florentinis Musei monumentis, quae scripsi in *Vita* [illegible] pag. 126. 127.

quam circumdaret. Hinc probabile est, chlamydem illam, qua Christum milites induerunt, fuisse aliquod pallium seu paludamentum militare purpureum, unique militum detractum fuisse, ut eo Christus amiciretur, seu circumdaretur. (107)

De tunicae, ac pallii, materia, colore, ornamentis, & longitudine, aliquid etiam dicendum. Pallia igitur, tunicas, chlamydes, chlaenas, & alias id genus vestes, laneas fuisse, ostendit *Ferrarius* laudatus *Par.* II. *De Re Vestiaria Lib.* IV. *Cap.* XI. At *Hegesippus* apud *Eusebium lib.* II. *Histor. Eccl. Cap.* XXIII. (si tamen is ille est) Iacobum Ierosolymorum Episcopum linea tantum veste usum fuisse, lanicio autem abstinuisse, memoriae prodidit. *οὐδὲ γὰρ ἐρεοῦν ἐφόρει, ἀλλὰ σινδόνας. Neque enim lanicio, sed linea tantum veste, utebatur. Epiphanius Haeres.* XXX. *Cap.* XXIV. idem de Ioanne Evangelista litteris mandavit. (108) Sic adolescens ille, de quo loquitur *Marcus Cap.* XIV. erat *περιβεβλημένος σινδόνα ἐπὶ γυμνοῦ, amictus sindone super nudo*, hoc est *linea veste, seu tunica*, quam coenatoriam fuisse vestem, censet *Baronius ad annum* XXXIV. *num.* 39. & de qua pluribus agit *Ioannes Iacobus Chiffletius* in sua *Crisi Historica De Linteis sepulcral. Christi Cap.* V. Quum vero pallium, seu vestis superior, villosa utraque parte erat, amphimalum vocabatur. *Hieronymus ad Lucinium Baeticum: Duo palliola, & amphimalum. Gregorius Magnus Lib. X. Epist. LIII. Transmisimus amphimalum, tunicam vel pectoralem. Sulpicius Severus Dialog.* II. de Sancto *Martino* loquens: *Nec mora Sanctus, pauperе non vidente, intra amphibalum sibi tunicam latenter eduxit.* Sed passim sericis, auratisque, & pretiosis, vestibus Christiani abstinebant. *Clemens Lib.* II. *Paedag. Cap.* X. *Τὰς πολυπραγμόνας λεπτουργίας, καὶ τὰς ἐν ταῖς ὑφαῖς περιέργους πλοκὰς, ἐκ παρόδου παραιτητέον· εἰπόντας χρυσῷ, καὶ σῆρας Ἰνδικὰς, καὶ τὰς περιέργους βόμβυκας χαίρειν ἐάσαντες. Nimis sub-*

(107) De hac Chlamyde coccinea, seu purpurea, consulendi *Everardus Mirllius* in *Notis Philologicis* de *Passionum Christi Hora XII.* in [illegible] pag. [illegible]. *Ferrarius Analecta De Re Vestiaria. Balduinus De re Vestiaria. Cornelius a Lapide* in Cap. XXVII. *Matth. vers.* 28.

(108) Quod nihil facio contradicentem, me admiratur *Thrasymachus* pag. 98. 99. cum quum laneas tunicas & pallia fuisse eam [illegible] *Ferrario* [illegible]. [illegible] tunicarum [illegible] nec [illegible] addere. [illegible] tum [illegible] nec [illegible] laneas [illegible] vestes et [illegible] laneas fuisse, ob [illegible] tamen [illegible] genere [illegible] esse, valuit exceptionem quidem [illegible] generali [illegible] quam [illegible] sit, verum [illegible] simplex [illegible], [illegible] *Thrasymacho*.

subtiliter per summam subtilitatem elaborata opera, *variisque in ventarie picturae*, *longissime amandentur*: *auri fila*, *& Indicas feras*, *& operosos bombyces*, *valere jubeantur*. Id quod continent praecepta *Pauli I. ad Timoth. Cap. II. v. 9.* & *Petri Epist. I. Cap.* III. & observat de Christianis antiquis *Boldettus Lib. I. Cap.* LIIX. quamquam ostendit simul, *Sanctos Martyres*, aliosque Christianos, pretiosis vestibus saepe indutos, sepultos fuisse. Nec imitandae fuerunt Montani Prophetides, quae aurum & argentum & pretiosas vestes accipiebant, teste *Apollonio* apud *Eusebium Libro V. Histor. Ecclesiastic. Cap.* XVIII. Tunicae color albus. Hinc illud *Hieronymi*: *Si tunica non canduerit*. Ex pluribus ostendit *Oct. Ferrarius Par. I. Lib.* III. *De Re Vestiaria Cap. X. & Analect. De Re Vest. Cap. XII.* Hinc in *Actis SS. Perpetuae & Felicitatis* legitur: *Pridie quam pugnaremus*, *video in horomate hoc venisse Pomponium Diaconum ad ostium carceris*, *& pulsare vehementer*: *& exivi ad eum & aperui ei*, *qui erat vestitus discinctam candidam*; ut locum corrigit eruditissimus *Ph. Bonarotius Ad Vetra antiqua*. Monachis tamen etiam pulla tunica in usu fuisse videtur. *Hieronymus* ad Rusticum Monachum: *Videas nonnullos accinctis renibus*, *pulla tunica*, *barba prolixa*, *a mulieribus non posse discedere*, *&c.* Idemque indicat *Epistola ad Salvinam*. Porro & *Clemens* Alexandrinus *Libro* III. *Paedagogi Cap.* XI. candidam vestem, ceu maxime Christianos decentem commendat: nam & Apostoli tunica alba utebantur, quum *Pseudo-Abdias* candidum colobium Bartholomaeo tribuat: & candidissima tunica amictum Dionysium Areopagitam *Stephanus* III. in sua *Epistola* repraesentet. Hinc in Arabico Tractatu *De Vitis quatuor Evangelistarum*, quem vulgavit *Kirstenius*, Apostoli *Albi* forsan dicuntur, quod candida vestimenta uterentur. Sed num & Christus tunica alba utebatur? Ac quorsum tunc Herodes, ut illuderet, veste alba illum induisset? Observandum igitur, *Lucam* Cap. XXIII. v. 11. non vestem albam proprie dixisse, sed λαμπρὰν *splendidam*, quam Syrus Interpres coccineam dicit: insuper non vestem ipsam generaliter vocasse, sed Chlamydem. Et quum *Jacobus Cap.* II. v. 2. ἐσθῆτα λαμπρὰν opponat vesti sordidae, nil aliud illo *Lucae* loco significari, credendum

est,

est, quam Herodem vestem Christo circumiecisse privata splendidiorem, licet utraque candida esset, ioculare indicium adfectati regni. Exploratum tamen habemus, ab antiquis λαμπρὸς pro *albo*, & *candido*; λαμπρότης pro *candore*; λαμπροφορεῖν pro *candeo*, etiam usurpatum fuisse; quare λαμπροφόροι dicebantur Catechumeni, qui albis induti vestibus tincti fuerant, ut latius apud *Danielem Heinsium in Exercitat. sacr. in N. T. ad Caput XXIII. Lucae* videre est. Quum vero adeo generaliter *Clemens* candidum vestium colorem in Christianis hominibus adprobet, oportet ut in Aegypto pallio Christum minime uterentur, quod potuit evenire, quia Aegyptus regio calida est; vel quia apud Aegyptios moris erat linea ut plurimum amiciri, candidasque vestes gestare, ut indicat *Apuleius Lib.* XI. *Metamorph.* E contrario satis compertum est, colorata fuisse pallia; & pulli quidem coloris pallium philosophorum; rhetorum rubri & purpurei. *Basilius* presbyter in Nazianzenum: Τρίβωνες, περιβλήματά τινα. τῶν μὲν ῥητόρων ἐρυθρὰ καὶ φοινικᾶ, φαιὰ δὲ τῶν φιλοσόφων. *Pallia, amictus quidam; rhetorum quidem rubra & purpurea, pulla vero philosophorum.* Hoc item scriptum habetur in Lexico *Cyrilli*. Pallium etiam Monachorum & Ascetarum nigrum. *Synesius Epist.* CXLVI. ad Ioannem, qui asceticum habitum sumserat: Καὶ φαιὸν τρίβωνα ἀμπέχεσθαί σε φασί. *Et nigro pallio amiciri te dicunt.* Hinc de Monachis humilitatem adfectantibus & hypocritis *Hieronymus Epistola ad Eustochium De Custodia Virginitatis. Viros quoque fuge, quos videris catenatos: quibus feminei contra Apostolum crines, hircorum barba, nigrum pallium, & nudi patientia frigoris pedes.* Et profecto antiqua pictura Apostolorum in Codice Evangeliorum Syriaco, cuius supra meminimus, pallium eorum subfuscum exhibet. Quamquam vero haec ita habent, tamen exploratae fidei est, universa vestimenta Catechumenorum, qui lustrali aqua tinguendi erant, candida fuisse, ut supra etiam animadvertebamus; & ideo φωτοειδῆ ἱμάτια adpellabantur. *Pachymeres ad Dionys. Areopagitae Cap. II. De Eccles. Hierarchia*: Φωτοειδῆ ἱμάτια ὁ τελούμενος ἀμφιέννυται, ἀφ᾽ οὗ τὸ ἀπεδύσατο ἐρρυπωμένον. καὶ πρὸς τὸ ἓν φῶς σύννευσιν, καθ᾽ ἣν ὁ φωταγωγὸς βίος, καθαρὸς καὶ ἀνείδεος ὤν

καὶ

καὶ διαυγές. *Candidis vestibus initiatus induitur, propter puritatem ac sordium vacuitatem, & ad unum lumen inclinationem, per quam sordida & immunda informisque vita quasi dispareat.* Eamdem vestem *Basilius Magnus Exhort. ad Baptism.* ἔνδυμα φωτεινὸν vestem splendidam vocat; & in *Prato Spirituali Ioannis Moschi Cap. CCVII.* πεφωτισμένα ἐνδύματα dicuntur; *Nazianzeno* autem *Orat. XL.* ἐμφώτιος ἐσθὴς nuncupatur. Quare recens baptizati λαμπροφοροῦντες dicebantur. *Iobius* apud Photium *Cod. CCXXII.* οἱ φωτιζόμενοι ἑπτὰ ἡμέρας λαμπροφοροῦντες. *Baptizati septem diebus candidatis incedunt.* Pallium albo colore praefert imago *Gregorii*, in Diptycho consulari Brixiano, de quo *Tomo XXVIII. Diarii Veneti* agitur, ut observat eruditissimus *Scipio Maffeius* in Epistola, qua Museum Veronense *Benedicto XIV.* Pont. Max. dedicat. Sed multo ante pallium album Pastori suo tribuerat *Hermas* in *Proemio Libri* III. ubi scribit: *Intravit vir quidam reverendus facie, habitu pastorali, pallio albo amictus, peram in humeris, virgam in manu gestans, &c.* Sed fides ne habenda erit *Sisinnio* Novatianorum Constantinopoli Episcopo, qui candidis indumentis Christum usum fuisse opinabatur, ut apud *Socratem Lib. VI. Hist. Eccles. Cap. XXII.* videre est? Fides *Stephano* III. Papae, qui Dionysium Areopagitam pallio purpureo circumamicit? Quid de pastore illo dixerim apud *Hermam Lib.* III. *Similitud.* VI. dixerim, qui vestitus erat synthesin, vestimentorum colore coccineo? Nuncium, dixerim, illecebrarum, dulcedinis, & voluptatis, fuisse; adeoque sobrios, frugi, ac modestos Christianos illo nobis non exhiberi. Certe *Clemens* Alexandrinus *Lib. II. Paedagogi Cap. X.* vestium tincturas omnino improbat. παραιτητέον δὲ τῆς ἐσθῆτος καὶ τὰς βαφάς. *Recusandae quoque sunt vestimenti tincturae.* Non me quidem latet, in antiquis vitris Christi & Apostolorum imagines occurrere vestibus vario colore efflorescentibus indutas; sed eorum non est fortasse antiquitas tanta & auctoritas, ut vetustiorum apertissimis testimoniis praeferendae sint. Et *Phil.* quidem *Bonarrotius* observat, non veritatem pictores in hoc secutos esse, sed suae aetatis morem; & propensioni ita Christum & Apostolos honorandi indulsisse. Hinc & ornatus alios vestium, & luxum, primaevos Christianos rejecisse credibile est. Ve-

stis

sis tamen Christi fimbria legitur in Evangelio *Matthaei Cap. IX. v. 20.* ἥψατο τοῦ κρασπέδου τοῦ ἱματίου αὐτοῦ. *Et tetigit fimbriam vestimenti eius*, hoc est *pallii*. *Theophylactus* ad hunc locum κράσπεδον exponit τὸ ἄκρον τοῦ ἱματίου, *oram vestimenti extremam*. Sed, ut quae nam hae vestimentorum extremitates fuerint perspicue comprehendamus, sciendum est, Deum *Deuteronom. Cap. XXII. vers. 12.* ita praecepisse: *Funiculos in fimbriis facies per quatuor angulos pallii tui, quo operieris*. Itaque pii Israelitae, non luxu, sed religione, pallii sui angulos ornabant, funiculis contortis, seu filis contortis, duplicatis, qualia videre est in his ornamentis, quae vernacule dicimus *Nappe* & *Penere*; tantum enim sonat vox גדלים *ghedilim* loco Deuteronomii adlato. Hinc intelligitur alter *Matthaei* locus *Cap. XXIII. vers. 5.* ubi de Scribis & Pharisaeis agitur: μεγαλύνουσι τὰ κράσπεδα τῶν ἱματίων αὐτῶν. *Prolatant fimbrias palliorum suorum*. Ad quem locum ita commentatur *Hieronymus*: *Iusserat quoque aliud Moyses, ut in quatuor angulis palliorum hyacinthinas fimbrias facerent, ad Israelis populum dignoscendum: ut quomodo in corporibus circumcisio signum Iudaicae gentis daret, ita & vestis haberet aliquam differentiam. Superstitiosi magistri, captantes auram popularem, atque ex mulierculis sectantes lucra, faciebant grandes fimbrias; &c.* Super quo tamen loco consulendus est idem *Hieronymus* etiam *Epistola ad Celantiam*, seu quicunque auctor est. *Theophylactus* ad eundem locum, eas violaceas aut coccineas fuisse scribit. Ubi autem hae fimbriae adhaererentur, & qua forma essent, docet *Epiphanius Haeres. XV.* de Scribis agens. Ῥοΐσκους γὰρ τινας ἐπὶ τὰ τέσσαρα πτερύγια τοῦ ἱματίου ἕκαστος εἶχεν ἐξ αὐτοῦ τοῦ ὑφάσματος δεδεμένους. *Corymbos enim quosdam ad quatuor alas pallii unusquisque habebat adligatos ex eodem stamine*. Pallium enim erat quadrangulum. *Pseudo-Abdias Lib. VIII.* ita de Bartholomaeo scribit. *Vestitur colobio albo, clavato purpura. Induitur pallio albo, habente per singulos angulos singulas gemmas purpureas. Salmasius* ad *Tertullianum de Pallio* hunc *Abdiae* loco hanc censuram subiungit: *Pallium utique quadrangulum habuit, sed illa de gemmis singulis ad singulos pallii angulos; at de purpura colobio intexta, de fabula plane accersita sunt, & commentitiorum Scri-*

pto-

ponrem argenti. Idem iudicium ferendum est de Dionysii Areopagitae colobio *candidissimo purpura clavato*, & *pallio toto purpureo auro interstellato*, ut habet *Stephanus* III. in *Epistola ad Hilduinum Abbatem*. Quamquam dissimulandum non est, in antiquis picturis Christi, & Apostolorum, tunicam clavis aut aureis, aut purpureis, adsutis insignem exhiberi, ut apud *Bonarotium* saepe laudatum videre est; sed quanta fuerit in hoc pictorum licentia iam animadvertimus, quum praesertim illae imagines IV. & V. saeculi, ut plurimum, sint. At laudatus *Bonarotius*, quod ad gemmas adtinet, recte sentire Salmasium censet; non tamen quod ad clavos, qui saltem, si minus purpurei, aureique, essent, rubri coloris tantum in plebeii ordinis, & pauperioribus, hominibus esse potuerunt; aut, etsi vere ex purpura constitissent, id vulgare, & cuiusvis conditionis, servis & id genus exceptis, hominibus proprium, & non temere quidem opinatur. Quin Bonifacius Martyr, Aglaidos servus & procurator, coccinea armelausia indutus dicitur in eius *Actis* apud *Ruinartum*. *Tabulis* insuper X. & XI. apud laudatum *Bonarotium* fibulae quaedam gemmatae ante pectus Apostolorum Petri, & Paulli, occurrunt, de quibus etiam mox opportunius agemus. Sicuti autem *Salmasius* illa *Abdiae* fabulosa putat, & artificum licentiam *Bonarotius* exaggerat; ita & ipse opificum arbitratu & suo quodam iure factum existimaverim, ut in Ecclesia Sancti *Ioannis in Fonte*, quae Ravennae a Neone Episcopo, anno CCCCLI. musivo opere decorata fuisse dicitur, tholus sacras quasdam figuras exhibeat, peculiaribus insolentibusque vestium coloribus adornatas. Nam in eo imago *Ioannis Baptistae* exstat pallio violacei coloris amicti; sunt etiam duodecim Apostolorum effigies: Sanctique *Petri* tunica aurei, pallium vero albi coloris est; e contrario Sancti *Paulli* tunica alba, pallium aureum; & hoc alternato colorum ordine, aliorum Apostolorum vestimenta visuntur, ut tradit *Io. Ciampinius Part.* I. *Veter. Monument. Cap.* XXV. ubi eorumdem Apostolorum capita mitellis acuminatis, seu tutulis, contecta conspiciuntur. Et quidem antiqui Christiani vestium simplicitatem, vilitatem, & illuviem, ipsam sectabantur. Hinc apud Auctorem *Philopatridis* Christianus est τριβώνιον ἔχων πολύρα-

Spor, pallium habens admodum lacerum. Hinc illud apud *Hieronymum* supra commemoratum: *Si tunica non canduerit*. Hinc pallium pulli coloris, quod humilitatem praefert, & pauperiem. Nam color hic vulgi pauperioris, & despectioris, erat; quare vulgus a *Plinio*, *pullatum hominum genus*, & a *Quinctiliano*, *pullatus circulus*, ac *pullata turba*, vocatur. Quo forte respexit *Calpurnius*, quum dixit:

Venimus ad sedes, ubi pulla sordida veste
Inter femineas spectabat turba cathedras.

Et alibi eidem *pulla paupertas* dicitur:

. . . . sed mihi sordes,
Pullaque paupertas, & adunco fibula morsu,
Obstiterunt.

Quare *Hieronymus De vitando subspecto contubernio*: *Vestis ipsa vilis, & pulla*. Sic apud *Asterium* Amasenum adstat *Euphemia* Virgo & Martyr, *pulla veste ac pallio philosophiam professa*. Quam quidem sordium, illuvieique, rationem Monachi, vetustae simplicitatis tenaciores, iugiter habuerunt, easque adfectarunt quodammodo; & quam semel tunicam induissent, numquam exsuebant, priusquam penitus tota usu detrita, & scissa esset, ac de altera habenda cogitandum foret. *Hieronymus Vita Hilarionis*. *Saccum, quo semel fuerat indutus, numquam lavans, & superfluum esse dicens munditias in cilicio quaerere: nec alteram tunicam mutavit, nisi prior penitus scissa esset*. *Rutilius* autem *Numatianus* de solitario Christiano agens in *Itinerario*:

Infelix putat illuvie coelestia pasci;
Seque premit saevis saevior ipse Deis.

Hinc laudatus *Hieronymus* Rustico Monacho ita praescribit: *Sordidae vestes, candidae mentis indicia sint: vilis tunica, contemtum saeculi probet*. Et Epistola ad Salvinam: *Aliis nihil prodest*

desit vile palliolum, furva tunica, corporis illuvies, &c.(109) Quamquam *Nepotiano* scribens mediam viam insistit, atque jubet: *Vestes pullas aeque devita, ut candidas: ornatus & sordes pari modo fugiendae sunt; quia alterum, delicias; alterum, gloriam, redolet.* Hinc est, quod *Libanius Oratione pro templis* μελανειμονοῦντες, hoc est, *Pullatos* Monachos non semel vocat; eosque esse dicit, ὧν τῆς ἀρετῆς ἀπόδειξις τὸ ζῆν ἐν ἱματίοις πενθοῦσθαι; *quorum virtutis specimen est, vivere in vestimentis lugentium*. *Eunapius* pariter *AEdesio* dicit, μέλανα φοροῦντας ἐσθῆτα: & in *Maximo*, τὰ φαιὰ ἱμάτια ἔχοντας; ut & *Zosimus Libro V.* φαιὰς ἐσθῆτας ἠμφιεσμένους. Nil mirum igitur, si gemmarum lapillorumque, auri argentique, usum maxime improbent in feminis Christianis *Tertullianus De Habitu muliebri, & De Cultu feminarum*, & *Clemens Lib. II. Paedag. Cap. XII.* quod quidem antea *Paullus Ep. I. ad Timoth. Cap. II. & Petrus Ep. I. Cap. III.* fecerant, ut superius observabamus(110); quodque eo magis in maribus fecissent, si illa gestare ausi essent. In *Actis* nihilominus *SS. Perpetuae & Felicitatis* legitur Diaconus tunicam albam indutus *multiplices* habuisse *calliculas*; qui ornatus quidam vestium erant ob pulcritudinem ita adpellati, & interdum ob rotunditatem τροχάδες dicti, observante *P. Lambecio Tom. IV. Biblioth. Caesar. in Append.* Has autem *multiformes calliculas ex auro argentoque factas fuisse* aliquando, ex laudatis *Actis* elucet. *Philippus Bonarotius Ad Vitra antiqua* in figura II. Tab. V. & figura Ib Tab. VI. hujusmodi calliculas se deprehendisse arbitratus est; censuitque, eas non semper pretiosas esse potuisse, & ex panno etiam purpuram colore referente vestibus adsui; & figuras quasdam apud *Arringhium* adlegat. Apud *Boldettum* quoque *Lib. I. Observ. in Coemet. Cap. XXXIX.* figura XXI. occurrit, in qua quidam in suis vestibus hujusmodi calliculas praeferens. Sed quamquam simplicitatem vestium, & frugalitatem, amabant vetusti illi Christiani, non tamen credendum, omnibus sordes, & lurida vestimenta, adeo haesisse, ut & mundiciem quamdam innocentem minime praeseferent.

(109) Vide etiam Hieronymi locum supra pag. 141.

(110) Vide supra pag. 141.

Haec utique, inquit *Tertullianus De Cultu Feminarum*, *non ad crudam vos totam & ferinam habitudinem insinuandam vobis suggeruntur, nec de bono corporis squalorem, sed de pudoris suademus, sed de modo, & ordine, & iustitia corporis excolendi. Non supergrediendum ultra quam quod simplices, & sufficientes munditiae concupiscunt, ultra quam Domino placere*. Egregie *Hieronymus* ad Eustochium De Virginitate servanda: *Nec affectatae sordes, nec exquisitae munditiae, conveniunt Christiano*. Tunica & pallium, vestimenta longa erant; & *Clemens* quidem Alexandrinus vestes talares esse vult. Τὸν γὰρ μηκέτι ἐπανθισμένον ποικιλίᾳ χρωμάτων, ὅλον δὲ λευκανθέντα δι' ὅλου, ἀπὸ κεφαλῆς ἄκρας ἄχρι ποδῶν ἰχνῶν καθαρὸν εἶναι ἐθέλει. *Eum ergo, qui varietate colorum minime efflorescit, totus autem a vertice capitis usque ad extremos pedes est candidus, mundum esse vult, &c.* Attamen non adeo longas vestes Christianorum fuisse crediderim, ut, ad pedes usque defluentes, illos tegerent, ut elucet ex antiquis Christianorum simulacris, quae *Aringhius* & *Bosius*, in *Roma subterranea*, & *Bonarotius* in *Vitris antiquis*, exhibent; & ex communi usu vestiendi etiam apud Ethnicos, quem tibi offeret *Oct. Ferrarius* in suis *De Re vestiaria* eruditis lucubrationibus. Sed nec ipse *Clemens* longas adeo vestes probare videtur; *Libro* enim II. laudati operis *Cap. X.* ita scribit: Τὸ δὲ καὶ σύρειν τὰς ἐσθῆτας, ἐπ' ἄκρους καθιεὶς τοὺς πόδας, κομιδῇ ἀλαζονικὸν, ἐμποδὼν τῇ ἐνεργείᾳ τοῦ περιπατεῖν γενόμενον, καλλύντρου δίκην, ἐπισυρομένης τῆς ἐσθῆτος τὰς ἐπιπολαίως τῆς γῆς ἀχυρμίας, κ. τ. λ. *Trahere autem vestes ad summos usque pedes demissas, valde est arrogans & superbum, quod ambulandi actionem impedit, quum vestis instar verriculi, quae in soli sunt superficie, sordes secum attrahat, &c.* Sed nec nimis breves e contrario (113) commendat, nam ut ipse ait, τῆς χρήσεως τὴν ἀμετρίαν εὐλαβητέον, *vitanda est usus immoderatio*. οὐδὲ γὰρ ὑπὲρ γόνυ καθάπερ τὰς Λακαίνας φασὶ παρθένους, ἐστολίσθαι

πρε-

(113) In priori editione scriptum fuerat e contra; sed id censura perstrinxit Th[illegible] Homilias pag. XXII. respondit, id item vulgo receptum esse, & in scholis usitatum, quod Scriptori Ecclesiastico subdidi. Ipse addiderim, exempla etiam apud antiquiores non deesse. En Hieronymus, qui de Marcello Ancyrano loquens, scribit: In tribus vocabulis unum [illegible] Deum credebat e contra Ecclesia [illegible], tres subsistentes, veras, integras, & perfectas personas, [illegible]. Non semel quoque Gregorius Magnus usurpat, & in Epistolis praecipue; sicuti & alius Gregorius Turonensis Lib. II. Hist.

κόσμιον. *Neque enim sicut Lacaenas virgines supra genu vestiri honestum est*. Ergo vestes Christianorum iuxta *Clementem* infra medium crus, & prope talos, descenderint, quales hodienum Armeni ferunt; quales in feminis agri Raetici, quum illac transirem, adspexi. Sed tractu temporis apud Romanos longae, & usque ad imos pedes fluentes, tunicae in usu fuere, & tunc zonarum quoque usus, & cingulorum, invaluit; nam tunicae paullo breviores minime cingebantur, ut ex *Tertulliano Libro de Pallio* intelligitur; adeoque *tunicae rectae*, & *discinctae*, Graecis στάδιοι, ὀρθοστάδιοι, σχιστοὶ χιτῶνες, adpellabantur, ut eruditissimus *Bonarrotius* noster observat. Apud Ebraeos tamen talares tunicas fuisse oportet; nam Christus Apostolorum pedes lavaturus, pallio deposito, praecinxit se, apud *Ioannem Cap. XIII. vers. 4.* Petrus quoque in *Actis* praecingi iubetur; & tunica seu ἐπενδύτῃ succingitur apud laudatum *Ioannem cap. XXI.* Et Apostolorum imagines, quae Ravennae in tholo Ecclesiae Sancti Ioannis in Fonte habentur, quarumque superius meminimus, tunicis ad pedes usque defluentibus amictae sunt; nec aliter se habent tunicae figurarum Christi & eorumdem Apostolorum, quae depictae sunt in Codice Evangeliorum Syriaco Bibliothecae Laurentianae, cuius alias mentionem fecimus, & cuius descriptio cum figuris aere incisis exstat in *Bibliotheca Medicea Orientali*, quam *Stephanus Evodius Assemanus* Archiepiscopus Apameae composuit & illustravit, ediditque Florentiae anno MDCCXLII.

At non hae tantum Apostolorum vestes fuisse videntur. Penula Paullus induebatur, de qua *Tertullianus De Corona militis*: *Habebat*, inquit, *etiam penulam Paullus*. Et quidem *Paullus* ipse id testatur *II. ad Timoth. Cap. IV. v. 13.* Τὸν φαιλόνην ὃν ἀπέλιπον ἐν Τρωάδι παρὰ Κάρπῳ, ἐρχόμενος φέρε. *Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum*. Nec mirandum quod Paullus Iudaeus peregrina, idest, Romana, veste usus sit; nam ad eum locum *Hilarius* Diaconus observat id evenisse, *quia erat ex Tarso, quae constat in societatem Romanorum receptam, ut de cetero adpellarentur cives Romani; idcirco necesse est & curiam habere, in quam more Romanorum penulati conveniunt*. Et laudatus *Tertullianus* Libro *De*

Oré-

Oratione Christianos penula pariter indutos nobis commemorat. Sed alii φαιλόνην non *penulam*, sed saccum, interpretantur, in quo ille membranas & volumina haberet; vel membranas & volumina ipsa. Vide *Baronium ad ann.* LVIII. §. LXVIII. & *Tillemontium in Paullo Art. XLVII.* Insuper in Vita S. Hugonis Abbatis Cluniacensis planeta Petri Apostoli memoratur, quam ille Antiochia Lutetiam Parisiorum attulerit, & in D. Genovefae collocaverit. Penula autem planeta fuisse videtur: locus vero *Tertulliani* indicatus, ubi Christianos penulatos adpellat, ita habet: *Deus scilicet non audiat penulatos, qui tres Sanctos in fornace Babylonii regis orantes cum sarabaris, & tiaris, suis exaudivit.* Planetae autem, aut casulae, formam in Christiano simulacro videre est apud *Io. Ciampinum* laudatum *Part. I. Veter. Monim. Cap. XXVI.* Porro credibile est etiam ἀσκητὰς quosdam fuisse, qui rudioribus asperioribusque indumentis amicirentur. Ecce Ioannes Baptista, deserti & nemorum cultor, veste pilis camelorum contexta tegebatur, cingebatur autem zona pellicea, auctoribus *Matthaeo Cap. III. v. 4.* & *Marco Cap. I. v. 6.* Igitur Ioannis vestitus, potius cilicium erat, factum ἀπὸ τριχῶν καμήλου, quam ipsa cameli pellis, ut quidam censent, quod recte animadvertit & illustrat *B. Lamius in Harmon. Evang.* Ceterum in antiqui nummi Christiani, quem *Fr. Victorius* illustrat, aversa parte Ioannes Baptista pelle cameli tectus adspicitur; quemadmodum in antiqua gemma apud eundem. In *Actis* tamen *S. Leonis* Martyris apud *Ruinartium* legitur: *Asceticam vitam exercuerat a iuventute, & ideo deditus fuerat continentiae, castitati, & temperantiae. Indumentum autem eius erat ex pilis contextum, & plane reipsa vitam aemulabatur Apostolicam, & fuerat imitator Sancti Ioannis Praecursoris & Baptistae. Chrysostomus* ad Cap. III. *Matthaei* huiusmodi habitum, utpote iis, qui quotidie in urbibus atque agris oberrabant, maxime accommodatum, Petro quoque ac Paullo Apostolis tribuit. Sanctus *Pachomius* suis *Monachis ἐπαρίον ὃ διφθέραν pallium ut esset sagum pelliceum* iussit, ut scribit *Nicephorus Callistus Lib. X. Cap.* XIV. Imo apud *Hermam Lib.* III. *Simil.* VI. Pastor pelle caprina alba amictus occurrit. Apostolos autem, saltem dum iter agerent, zonis accin-

ctos

ctam fuisse, constat ex *Matth.* X. 9. *Marci* VI. 8. Zona vero Pauli memoratur *Actor. Cap.* XXI. 11. quemadmodum *Cap.* XII. Petrus in carcere vinctus praecingi ab Angelo liberaturo iubetur. Eodem referri possunt illa loca, quae *lumbos nostros praecinctos esse* iubent, *Lucae* XII. 35. & *ad Ephes.* VI. 14. Si autem Apocalypseos *Cap.* I. 13. Christus adparet περιεζωσμένος ζώνην χρυσῆν, *praecinctus zona aurea*. & *Cap.* XV. 6. Angeli prodeunt περιεζωσμένοι περὶ τὰ στήθη ζώνας χρυσᾶς, *praecincti circa pectora zonis aureis*: & id mysteria aliquam continet, & zonarum usum confirmat. (ccc) *Ph. Bonarotus* subspicatus quandam cu-

[illegible]

[illegible] Si enim vestes Symbola mysteriorum esse debent, debent etiam prius esse vestes, quae veluti symbolorum substantia & fundamentum sint, Vestes [illegible]

tunicas apud Iudaeos, ut diximus, praelongas fuisse, & non uno loco eas zona praecingi solitas, ita ut uno cingulo circa pectus & mammas adstringerentur; altero vero, circa lumbos, quando vel iter facere, vel aliquo ministerio exerceri, opus erat, quo expeditior quis esset ad operandum. Confirmari id aliquatenus ex *Claudiano* potest, qui *Libro* III. *De laudibus Stilicon.* de Diana loquens canit:

—— duo cingula vestem
Crure tenus pendere vetant. .

Praeclare *Io. Cassianus Lib.* I. *de Institutis Coenobiorum Cap.* II. ubi de cingulo Monachi agit: *Principes auctoresque Testamenti Novi, Ioannem videlicet, Petrum, & Paullum, ceterosque ejusdem ordinis viros, taliter incessisse cognoscimus.* Sanctum Polycarpum cingulo usum fuisse eius martyrii acta testantur. Laudatus Pachomius, tunicae & zonae ut lineae essent, praescripsit, apud *Nicephorum* loco citato. *Matthaei Capit. X.* 10. pera memoratur, sed ibi sacculum viatorium significat, sicuti sacculum est apud *Hermam Lib.* II. *in Prooem.* ubi Pastor in horamate adparet, *peram in humeris, virgam in manu gestans*, ut etiam superius vidimus (113). Ceterum Aegyptii Monachi melotas & pelles caprinas, quibus etiam induebantur, sicut & cucullo, peras adpellabant, ut apud *Cassianum De habitu Monachorum Cap.* XI. videre est. *Hieronymus*, in *Vita Hilarionis*, *pelliceum ependytem* vocat. Sed ependyte Petrum etiam Apostolum usum fuisse, docet *Ioannes Cap.* XXI. 7. ubi de Petro: τὸν ἐπενδύτην διεζώσατο. *Vulgatus & Erasmus*, *Tunica succinxit se*; idest, inquit *Erasmus*, *pallio, sive penula, aut toga. Nam tunica vestis est interior, ependytes dicta, quod superne induatur. Et verisimile est piscatoribus tunicam fuisse summam vestem.* *Fullerius* etiam *Miscel*-
la-

dotum pontificumque Ebraeorum nonne universa symbola & mysteriis continebant! Quicumque id melius pleniusque percipere volt, ne sexcentos Enarratores adiergem, Epistolam *Hieronymi ad Fabiolam* legat. *Dicamus de iis prius*, inquit, *quae ab Ebraeis accepimus: & juxta morem nostrum, spiritualis postea intelligentiae vela pandamus.* Et tamen indumenta illa omnia mystica & symbolica, tamquam verae vestes, ut certe erant, ab sancto illo Descriptore descripta sunt.

(113) Pag. 44.

Ionceorum Lib. II. *Cap.* XI. vult hac voce intelligi *vestem superiorem*. *Bosius* interpretatur *velamentum earum partium, quae honeste conspici non possunt*. *Ludovico* ἐπενδὺς ἐπενδύτης nec suprema, nec infima, vestis fuisse videtur, sed inter indusium & stolam media. *Glossae Graeco-Latinae* habent: ἐπενδύτης, *instita*, *superaria*. Ex *Latino-Graecae*: *Superaria*, ἐπενδύτης. *Superaria*, quae supra indusium, supra primam vestem, induitur. Eratque ex levi semper, tenuique, materia, gossypina plerumque & interdum linea. Vnde etiam *Theophylactus* in *Cap.* XXI. *Ioannis* dicit, ἐπενδύτην fuisse λινοῦν τι ὀθόνιον, *linteum quoddam*.

Iam de femineis vestibus aliquid dicendum est. Femineam vestem a virili aliquatenus diversam fuisse non dubitandum; & earum tunica, stola; pallium, palla, dicebatur ut plurimum, quas vestes antiquae feminae induebantur, ut apud *Octav. Ferrarium Analectis De Re vestiaria*, & *Bosium* eiusdem tituli opere, videre est. At simplicitas vestium, & vilitas, eadem in illis debuit esse, atque in viris, ut ex *Tertulliano De Habitu muliebri*, & *De Cultu feminarum* intelligimus. Praeclariter *Clemens* Alexandrinus *Lib.* II. *Paedagogi Cap.* X. Φημὶ τοίνυν οὐκ ἄλλης τινὸς ἕνεκα δεῖσθαι ἀμφιεσμάτων τὸν ἄνθρωπον, ἢ σκέπης σώματος, πρὸς ἀναλέξησιν κρυμῶν ὑπερβολῆς καὶ καυμάτων ἐπιτάσεως, μή τι ἡμᾶς παραλυπῇ τὸ περιέχον ἡ ἀμετρία. εἰ δὲ οὗτός ἐστι τῆς ἐσθῆτος ὁ σκοπός, ὅρα μὴ οὐκ ἄλλη μὲν ἀνδράσιν, ἄλλη δὲ ἐσθὴς ἀποκεκλήρωται γυναιξίν, κοινὸν γὰρ ἀμφοῖν τὸ σκεπάζεσθαι, καθὰ καὶ αὐτὸ τὸ ἐσθίειν, καὶ πίνειν. Κοινῆς οὖν οὔσης τῆς χρείας, τὴν ὁμοίαν κατασκευὴν δοκιμάζομεν. ὡς γὰρ τὸ δεῖσθαι τῶν σκεπόντων κοινὸν ἑκατέροις, ὅπως καὶ σκεπάσματα παραπλήσια εἶναι χρή. *Dico ergo hominem non alia de causa opus habere vestimentis, quam ut tegatur corpus, ad maxima frigora & vehementes aestus propulsandos, ne nos laedat ambientis aeris immoderatio. Quod si hic est vestis scopus, vide ne non alia quidem viris, alia vero feminis, vestis tribuenda sit: tegi enim utrisque commune est, quemadmodum comedere, & bibere. Quum usus itaque sit communis, constructionem similem comprobamus. Quemadmodum enim utrisque commune est, ut egeant iis, quae tegunt, ita a quibus tegendi sunt esse oportet similia.* De-

Inde ad summum vestibus paullo mollioribus indui feminis concedit, at iis usque simplicissimis. Ipse quidem, de muliebris habitus cum virili similitudine, quae heic *Clemens* disserit, de simili vestium simplicitate intellexi: sed si vera persequi lubet, non ea erat inter muliebrem & virilem vestem diversitas, ut illae tunica & pallio indutae fuisse dici non possent, quod ex antiquis imaginibus apud *Aringhium*, & *Bonarotium* comprehendere datur. Hinc apud *Hermam* etiam *Lib.* III. *Simil.* IX. virgines linteis tunicis vestitae; & mulieres nigram vestem indutae, & capillis solutis, adparent. Hinc S. *Asterius* Amasenus *Oratione de S. Euphemia*, quae anno CCCVII. passa est, ait, eam depictam se vidisse pulla veste ac pallio philosophiam professam, ut superius etiam ediximus. *Prudentius* in *Agone Romani Martyris*, matrem puerili, qui una cum *Romano* passus est, pallium explicuisse, ut sanguinem & caput exciperet, canit:

> *Talia retexens explicabat pallium,*
> *Manusque tendebat sub ictu & sanguine,*
> *Venarum ut undam profluam manantium,*
> *Et palpitantis oris exciperet globum:*
> *Excepit, & caro adplicavit pectori.*

Immo & breviores tunicae, & clavatae, & discinctae, iis fuisse videntur. Praeclare *Hieronymus Epist.* XII. *Solent quaedam, quum futuram virginem spoponderint, pulla tunica eam induere, & furvo operire pallio, auferre linteamina.* Et *Epistola* VIII. ad Demetriadem: *Vili tunica induitur, viliori tegitur pallio.* (114) Non tamen heic quaesierim, an Mariae Deiparae tunica cingeretur,

(114) Quid quod *Dominicus Johannes a Covilla* Dominicanus, *Libro II.* operis *Genesius* inscripti, Virginis Deiparae vestem *zonam* adpellare non dubitat? Eius versiculos referam, quod Auctor paucis notus, & illi inediti sint. Quum enim de *Maria* sepulta, ac deinde suscitata, egisset, postea canit:

> *Corpus ubi divae non invenere parentis,*
> *Sed posuere tantum funeris exuvias,*
> *Cum quibus ante fuit patrio de more sepulta,*
> *Unde peculiaris tunc redolebat odor.*
> *Has Augusta tibi Pulcheria iussit ad urbem,*
> *Quae Constantini nomine clara micat.*
> *Nam quum virgineum corpus reperire nequiret,*
> *Optavit sanctas munus habere togas.*
> *Quam sibi transmissam tanto suscepit honore,*
> *Eiusdem divae matris in aede locans.*
> *Dives in Europae residens quam finibus illa*
> *Regni condiderat sumptibus ante sui.*
> *Cassibus inde gravis variisque prementibus urbem,*
> *Dicitur ad reliquas saepe relata plagas.*
> *Splendida signa nimis cuius virtute feruntur*
> *Astante in multis gesta fuisse locis.*

retur, quod quidem verosimile; nec eius zonam alicubi, ut perhibent, adservatam morabor: quum abeuntis gentis credulitatem nec nocere mihi, nec iuvare, posse deprehendam. (115) Unum heic de Sanctimonialibus observandum superest, eas scilicet antiquitus virile pallium usurpasse, quod *Canon XIII.* Synodi Gangrensis prohibuerat. Et nescio an huc partim spectent illa *Hieronymi* ad Eustochium, quae cuncta exscribere lubet, quod rem vestiariam religiosarum mulierum illustrent, atque ita habent: *Sunt quippe nonnullae exterminantes facies suas, ut appareant hominibus ieiunantes: quae statim ut aliquem viderint ingemiscunt, demittunt supercilium: & operta facie vix unum oculum liberant ad videndum. Vestis pulla, cingulum sacceum, & sordidis manibus, pedibusque, venter solus, quia videri non potest, aestuat cibo . . . . . Aliae virili habitu, veste mutata, erubescunt esse quod natae sunt, crinem amputant, & impudenter erigunt facies eunuchinas: sunt quae ciliciis vestiuntur, & cucullis fabrefactis: ut ad infantiam redeant, imitantur noctuas & bubones.*

Alterum cap. XIX. Paulli sudaria, (116) & simicinthia memorantur, ad quem locum ita commentatur *Theophylactus*: *Σουδάρια καὶ σιμικίνθια, λέγουσιν οὖν ἀμφότερα, τὰ μὲν σουδάρια ἐπὶ τῆς κεφαλῆς ἐπιβάλλεσθαι, τὰ δὲ σιμικίνθια ἐν ταῖς χερσὶ κατέχοντες οἱ μὴ ἀνάδερμοι ὀρέξεις φορεῖν. εἰσὶ οὖν τὰ φορέματα ὀθονιακὰ τέλας πρὸς τὸ ἀπομάττεσθαι τοὺς ὀχ[illegible]*

V 2 τὰ

(115) Prati, Etruriae oppido, zonam Deiparae servari, & [illegible] perhibent; & hanc vulgarem opinionem [illegible] plurimi [illegible] Blanchinus Praetextu. [illegible] Praetextu celebrata zona, in qua plus [illegible] quam iudicii, [illegible] [illegible] Canonicus [illegible], qui in Historia Pratensi [illegible] magis [illegible] refert, quam [illegible] Dominicus a Corella [illegible] Lib. II [illegible] [illegible] & Prati ipsa [illegible] adservari ait. [illegible] Candidae [illegible] in [illegible] ex Codice Mediceo-Laurentiano descriptam. Ipsa [illegible] in [illegible] [illegible] & [illegible] [illegible] quod [illegible] a [illegible] [illegible] Deiparae imago [illegible] [illegible] [illegible] & [illegible] [illegible] ex [illegible]

[illegible] Commentarius Ephemeridum Litterariarum Florentinarum anni MDCCXL. n. XIX. pag. [illegible] [illegible] debet [illegible] pag. [illegible] [illegible] & quid [illegible] [illegible] ignorare se prodit; & [illegible] Deiparae Prati, [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] & [illegible] [illegible] [illegible] non dubitat.

(116) Non de sudariis Paulli agimus [illegible] pag. [illegible] & [illegible] [illegible] Paulli imaginem [illegible] [illegible] & sudaria vel [illegible] [illegible] [illegible] apud Jos. Blanchinum V. Cl. in Parte I. Evangeliarii Quadruplicis pag. DV. [illegible] in vetusto codice Graeco Epistolarum Paullinarum [illegible], qui in Bibliotheca S. Basilii Magni Romae adservatur. Imaginem Paulli [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] Ordinis S. [illegible] [illegible] apud Arnold. [illegible] De [illegible] [illegible] pag. [illegible]

τὸ πρόσωπον. *Sudaria & simicinthia linea sunt utraque, sed sudaria quidem capiti imponuntur, simicinthia vero in manibus tenent, qui non possunt oraria gestare; quales sunt, qui ferunt consulares vestes, ut abstergant humores faciei.* Eadem fere habet *Oecumenius*. Et quidem σιμικίνθιον esse τὸ ἐν χερσὶ κατεχόμενον confirmat etiam *Basilius Seleuciensis Homil.* εἰς τὸν ἀγγελισμὸν τῆς Θεοτόκου; quando σιμικίνθιον, de quo in Actis, vocat ἐγχείριον, *quod manu gestatur*, quod confirmat Glossa, quam Eruditi adferunt: ὅτι σιμικίνθιον τὸ ἐν ταῖς χερσὶ κατεχόμενον, πρὸς τὸ ἀποσμήχεσθαι τοὺς ἱδρῶτας τοῦ προσώπου οἷον ἱδρῶτα, πτύελον, δάκρυα, καὶ τὰ ὅμοια: de quo vestis genere alia dabunt *Io. Meursius* in suo *Glossario Graeco-barbaro*, & *Carolus Ducangius* in *Glossario Mediae & Infimae Graecitatis*. Sed *Ludovicus* [illegible] Hesychii auctoritate fretus, qui σιμικίνθια ait esse quoque *ζωνάρια cingula*, simicinthia cingula intelligit, quibus Paullus praecingeretur, ut expeditius incederet: & simicinthia etiam praecingi, ostendit *Ferrarius Analect. De Re Vest. Cap. XV.* Hinc *Isidorus Orig. XIX. Cap. XXXIII. Cinctus est lata zona, & minus lata semicinctium, & utrisque minima cingulum. Ioannis* autem *Cap.* XIII. *vers.* 4. & 5. Christus linteo quodam se praecinxisse legitur. Quando autem orariorum mentio incidit, sciendum est, orarium probabiliter nihil aliud esse, quam fasciam quandam, laudato *Ferrario Cap.* XXIII. memorati operis demonstrante, & *Suicero* in Ὠράριον: & vestes vulgares erant, omnibusque communes, de quibus multa egregie disputavit *Casaubonus* ad illa Vopisci: *Ipsumque primum donasse oraria populo Romano, quibus uteretur populus ad favorem*; fuisse scilicet veteribus, ut hodie quoque, linteamina quaedam parva ad munditiem corporis, usus magni, & multiplicis, sudaria, simicinthia, oraria, & quorum unus meminit *Arnobius*, muccinia. Orariis igitur antiqui etiam Christiani utebantur, ut elucet ex *Prudentio*, qui Hymno Hemitherii & Chelidonii, qui milites stipendia meruerant, ait eos quum mortem violentam subituri essent, munera Deo quemlibet obtulisse, unum, anulum aureum; alterum, candidum orarium: quae quidem sublime lata caelo recepta fuerant.

Illa

Illa laus occulta non est, nec senescit tempore,
Missa quod sursum per auras evolarunt munera,
Quae viam patere coeli praemicando ostenderent.
Illius fidem figurans, nube fertur anulus,
Hic sui dat pignus oris (ut ferunt) orarium:
Quae superno rapta flatu lucis intrant intimum.
Per poli liquentis axem fulgor auri absconditur,
Ac diu visum sequacem textilis candor fugit:
Subvehuntur usque in astra, nec videntur amplius.

Item ex *Ambrosii Oratione De Obitu Satyri fratris: Divinum illud fidelium sacramentum ligari fecit in orario, & orarium involvit collo, atque ita se deiecit in mare. Ex Augustino Lib. XXII. De Civit. Dei Cap. VIII. Tunc sicut potuit oculum lapsum atque pendentem, loco suo revocatum, ligavit orario.* In Actis Sancti *Montani* & aliorum Martyrum apud *Ruinartium*, *Montanus quo precis suae fidem faceret, manualem, quo oculos ligatus fuerat, in partes duas discidit, & iussit alteram reservari, qua Flaviano oculi post crastinum ligarentur*; quem quidem manualem ab orario vel simicinthio multum diversum fuisse non arbitror. Tandem orarium vestis sacerdotalis & Ecclesiastica factum est, & ita vocarunt *pannum oblongum*, brachio sacerdotis imponi solitum, quod Graeci etiam λῶρον adpellant. Orarium etiam vocata est fascia illa, quae collo sacerdotis imponitur, & ἐπιτραχήλιον a Graecis, *stola* a nostris, nuncupatur; quamquam *Codinus Lib. De Officiis* ἐπιτραχήλιον ab *orario* separat. Consulendus de his inter alios *Suicerus* in Ὠράριον. Λῶρον. Ἐπιτραχήλιον. & *Ferrarius* supra laudatus. Hic autem ἐπιτραχήλια gestandi mos ex ipso Apostolorum instituto aut tempore defluxisse videatur. Nam Iudaei, quum orarent, ἐπώμιδος speciem quamdam, ab ephod sacerdotis summi diversam, humeris circumiecisse, ex *II. Regum Cap. VI. v.* 14. facile credantur: quare non mirum si Iudaei, qui Christianos ritus amplexi fuerant, hunc morem retinuerunt, primis illis Ecclesiae temporibus, & Apostoli ipsi usurpaverunt. Et quidem imagines Apostolorum Petri, & Pauli, huiusmodi velaminibus contectas circa humeros, occurrunt apud *Bonarrotium*

Tab.

Tab. X. XI. XII. quae quidem fasciae fibula, ut videtur, gemmis ornata ante pectus adstringuntur. Consulatur etiam *Tab. XVIII. Fig.* III.

Sed ex elegantibus *Prudentii* versiculis Christianos annulos gestare consuevisse, & quidem aureos, etiam edifcimus. Ipse quidem Castri Franci, Etruriae in valle Arni inferiori opido, Severi martyris λείψανα contemplatus, aureo annulo eius digitum insigniri conspexi. Sanctum autem Martyrem Ancyranum *Theodotum* annulum digito detraxisse, ac presbytero dedisse, eius apud *Ruinartium* Acta testantur. *Pudentem* militem, carceris optionem, Christo iam credentem, annulum gestasse, *SS. Perpetuae & Felicitatis* Acta pariter prodiderunt. Sed hic recens in libro vitae Christianus adscriptus, paucis post diebus adhuc gestare potuit, quem miles ethnicus & incredulus dudum adsumserat. Et quidem aurei annuli meminit etiam *Iacobus Cap. II. 2. Etenim si introierit*, inquit, *in conventum vestrum vir aureum annulum habens in veste candida, introierit autem & pauper in sordido habitu*. Insuper annulum dari iubet etiam filio prodigo reverso pater amantissimus in Christi Domini Parabola apud *Lucam Cap. XV. vers.* 22. *Pseudo-Craton* vero scribit Bartholemaeum Apostolum annulis ac gemmis ornatum processisse; cuius rei fides penes falsarium Auctorem esto. Marci Evangelistae corpus, quod Venetiis adservatur, digitum aureo annulo insignem habuit, ut *Io. Stringa Histor. Vitae & Translation. S. Marci* testatur. Sed quid de eo sentiendum sit, alii viderint. Annulum Mariae Deiparae nuptialem Perusii exstare, perhibent; sed mihi de eo liquido nihil constat; (117) &

(117) *Thesfomachus* pag. 106. Perusinorum & quorundam Florentinorum credulitatem incusat vult, sed [illegible], ut est in proverbio, [illegible]; nullis enim certis fundamentis fabulas [illegible] haec superstitiosa credulitas. Et quidem annulum Deiparae pronubum Perusii ab aliquot saeculis adservari vulgo perhibetur & creditur, sed quibusnam veris documentis haec persuasio roboretur? Nullis profecto. Implexae fabulosarum narrationum ambages, [illegible] recentiores, vix fidem [illegible] merentur, ut sacrum donarium a[illegible] Deiparae insigni [illegible] [illegible], [illegible]; [illegible] enim crassitudo adeo enormis est, ut nec digito inseri, nec gestari quomodo possit. Lapillo autem annulum pronubum apud Ebraeos; totus est ex auro optimo atque purissimo. Ita enim esse debet. Consulantur *Leo Mutinensis*, *Seldenus*, *Buxtorfius*, *Calmetus*. Hic e contrario totus lapideus est, totus gemma. Quare in *Calmetii* viri doctissimi sententiam [illegible], cuius verba sunt, in *Dissertatione* de Connubiis Ebraeorum, quae sequuntur: *Porro quae de annulis nuptialibus, S. Annae, S. Ioachimi, S. Virginis Mariae, & Iosephi, feruntur, ad fabellas* [illegible] [illegible]; [illegible] [illegible], [illegible] perspectumque non esse, apud Ebraeos antiquum morem fuisse annulis pronubis uti; aliamque [illegible] [illegible] vide-

& forte ejusdem generis est cum (ttt) D. Zenobii Florentini Episcopi annulo, qui Florentiae a quibusdam ostenditur. Passim autem a Christianis annulos gestatos, testantur etiam *Tertullianus De Idololatria Cap. XII. Augustinus Tract. II. in Epist. I. Ioannis, Hieronymus ad Principiam Virginem. Ambrosius De Passione S. Agnetis*. Quales autem annulos, & quomodo, quibusque figuris insignitos, veteres Christiani aut ferrent, aut ferre deberent, docet *Clemens Lib. II. Paedag. Cap. XI.* Ἀλλὰ καὶ τὸν δακτύλιον οὐκ ἐπ' ἄρθρῳ φορητέον τοῖς ἀνδράσι, γυναικεῖον γὰρ τοῦτο· εἰς δὲ τὸν μικρὸν δάκτυλον καὶ τοῦτον εἰς τὸν πυθμένα καθιέναι. οὕτω γὰρ αὐτοῖς ἐνεργὸς ἡ χεὶρ, ἐν οἷς πάντως δέοιτο. Καὶ ὁ ῥᾷστα ὁ σφραγιστὴς ἐκπεσεῖται, τῷ μείζονι τοῦ ἄρθρου κονδύλῳ φυλαττόμενος. αἱ δὲ σφραγῖδες, ἡμῖν ἔστων πελειὰς, ἢ ἰχθὺς, ἢ ναῦς οὐριοδρομοῦσα, ἢ λύρα μουσικὴ, ᾗ κέχρηται Πολυκράτης· ἢ ἄγκυρα ναυτικὴ, ἣν Σέλευκος ἐνεχαράττετο τῇ γλυφῇ. Κἂν ἁλιεύων τις ᾖ, Ἀποστόλου μεμνήσεται, καὶ τῶν ἐξ ὕδατος ἀνασπωμένων παιδίων. οὐ γὰρ εἰδώλων πρόσωπα ἐναποτυπωτέον· οἷς καὶ τὸ προσέχειν ἀπείρηται· οὐδὲ μὴν ξίφος, ἢ τόξον, τοῖς εἰρήνην διώκουσιν· ἢ κύπελλα, τοῖς σωφρονοῦσιν· πολλοὶ δὲ τῶν ἀκολάστων, γεγλυμμένους ἔχουσι τοὺς ἐρωμένους, ἢ τὰς ἑταίρας κ. τ. λ. *Sed neque est a viris annulus in articulo ferendus, hoc enim est muliebre: sed in parvo digito, atque adeo in extrema eius parte est collocan-*

videri. Quod vero ad annulum D. Zenobii attinet, [illegible] Episcopalis annuli [illegible] quartum [illegible]. [illegible] superat, sed [illegible] communis [illegible] annulos, quem [illegible] D. Zenobii circumferret [illegible] annulum illum, quem apud S. Hieronymi [illegible] Florentiae [illegible] Episcopi Florentini [illegible] patricios illos ex D. Zenobii [illegible] annulum illum [illegible]. Cosmus de [illegible], & Leopoldus de Meleto, [illegible] Hieronymiani [illegible] XIII. [illegible] Zenobium [illegible] Episcopum qui [illegible] credulitatem illam [illegible]. Caeterum de hoc [illegible]

logia vide, quae scripta & consilata [illegible] in Dialogo, qui inscribitur: Dialogo del Reverendissimo Sig. [illegible] Cherubini [illegible] pag. [illegible] quod ad annulum attinet, [illegible] Cosmus Mosea in historia vitae & translationis D. Zenobii Episcopi Florentini, & Leopoldus de Meleto in [illegible] Florentia [illegible] Vir Cl. [illegible] Tomo I. Vitar. [illegible] Florentinorum, [illegible] praeteream.

(ttt) Theophrastus [illegible] posse, ut [illegible]. Respondit [illegible] pag. XVI. apud Cornelium Tacitum Libro IV. [illegible] Episcopum Carthaginiensem apud Gregorium Turonensem Lib. II. [illegible] habere [illegible] esse [illegible] Fidei Defensorem.

condas: ita enim erit manus maxime ad operandum expedita in iis, in quibus ea egemus, neque facile excidet sigillum, quod maiore articuli ligamento custoditur. Sint autem nobis signacula, columba, vel piscis, vel navis, quae celeri cursu a vento fertur, vel lyra musica, qua usus est Polycrates, vel ancora nautica, quam insculpebat Seleucus; & si quis sit qui piscatur, meminerit Apostoli, & puerorum, qui ex aqua extrahuntur. Neque enim idolorum sunt imprimendae facies, quibus vel solum attendere prohibitum est: sed nec ensis vel arcus iis, qui pacem persequuntur: nec pocula iis, qui sunt moderati & temperantes. Multi autem libidinosi nudatos habent eos, quos amant, vel amicas, &c. Et quidem Eques *Vettorius* in suo commentario, quo veterem Christianorum numum illustrat, gemmam annularem profert, in qua ancora & duo pisces, hinc & hinc, sculpti sunt; in superna autem parte IHCOYC, in inferna XPICTOC, scriptum est. Idem tres quoque Christianorum aereos annulos profert, in quibus Christi monogramma conspicitur, & in uno A & Ω, ad monogrammatis latera. Achatem quoque varium antiquum exhibet, in quo crux, & YESV, & YA VA, ad quatuor Crucis cornua divisim insculpta sunt, quem annularem fuisse non videtur dubitandum. Item gemmam in cuius antica facie Χρ, in postica vero columba cernitur; & aliam gemmam, in cuius aversa parte ancora adspicitur. Gemmam cum navi a pisce subuecta, & imaginibus Christi & Petri, & aliorum, illustravit *Hieronymus Alexander Iunior* libello Romae excuso anno MDCXXVI. & inscripto: *Navis Ecclesiam referentis symbolum in veteri gemma annulari insculptum*. Haec eadem gemma refertur etiam *Romae subterraneae Lib. V. Cap. IX.* ubi & *Cap.* VIII. annulus flammeus producitur, in quo Deipara cum filio exstat. In annulo autem Macrinae Virginis signum Crucis impressum fuisse, testatur *Gregorius Nyssenus* in *eius Vita*. Plures alias annulorum Christianorum figuras videre est apud V. Cl. *Thomam Mamachium Tom.* I. *Originum & Antiquitatum Christianarum*, ut de *Aringhio* in laudata *Roma subterranea*, & *Boldetto* in *Coemeteriis Sacris* taceam. Et quidem apud *Mamachium* gemma annularis inspicitur, in qua RELIGIO VICISTI scriptum est: in a-

lio

ita monogramma Christi est, & stella, & columba oleae ramusculo pedibus insidens; in onyche, qui vix unguis humanae mensuram aequat, navicula in medio mari fluctibus agitata, nautae laborantes, & Christus aquis inambulans, Petrumque ne mergatur sustinens, repraesentantur. Summo navis malo, ubi vela contracta cernuntur, columba insidet. Super Christi & Petri capita litterae visuntur Graecae IHC PET. Subter navim vero iacet piscis magnae molis: qua occasione in memoriam revocandum est, & Christum piscis symbolo ab antiquis indicatum fuisse, & Christianos pisciculos adpellatos, qua de re consulendi *Phil. Bonarotius Ad Vitra Antiq. Fridericus Albanus Epist. De Hieroglyphico Baptismali; Matthias Zimmermannus Dissertat. Histor. Theolog. ad illud Tertulliani Apologet. Cap. XVIII. Fiunt non nascuntur Christiani Sect. II. §. CXXIII. Ioseph. Bingamus Origin. Ecclesiast. Tom. I. Cap. I. §. III. Caspar Suicerus in Thesauro voce* Ἰχθυς; laudatus *Mamachius citato opere Lib. I. Cap. I. §.* VI. ubi & aliam annularem gemmam profert, in qua duo pisces, & litterae IX. CωTHP ΘV. Sed omnium accuratissime de his egit *Anselmus Costadonius* Monachus Camaldulensis Venetus, qui peculiari Dissertatione de pisce Christi & Christianorum symbolo egit, quae habetur in *Tomo XLI. Collectionis Opusculorum Calogerianae*, in qua multo plures gemmas annulares piscem exsculptum habentes contemplari est. Non *ἀπροσδιόνυσον* videatur adnotare, Christianos quidem illos vetustos, sed haereticos, Basilidis sectatores, aliosque Gnosticos, quaedam nominum, & figurarum, portenta in suis annulis incidere aut exsculpere solitos fuisse, qualia videre est in antiquis gemmis, quas Abraxas vulgo adpellant, & de quibus *Fr. Chiffletius*, seu verius *Io. Macarius*, commentarium pereruditum conscripsit. Dignus etiam qui videatur *Io. Kirchmannus De Annulis Cap. XIII.* Sed in primis consulendus est *Boldettus Lib. II. Observat. in Coemeter. Cap. XIV.* ubi plures huiusmodi annulos Christianorum profert e sepulcris effossos. Baculum ne ferrent Christus Apostolis praecepit, ut *Matthaeus Cap. X.* 10. *& Lucas Cap. IX.* 3. memoriae prodiderunt. *Marcus* tamen *Cap. VI.* 8. virgae usum eis concessisse scribit; quae divinorum Scriptorum discordia quomodo conci-

X bie-

betur, vide apud *B. Lamium* in *Hermon. Evangel.* aliosque. Vir ille, qui habitu pastorali *Hermae* adparuit, virgam manu gestabat, ut superius retulimus. ([illegible])

Ad calceamenta quod attinet, Christum soleis, sandaliisque, usum ex eo constat, quod in Evangelio Ioannes Baptista se indignum, qui corrigiam Christi calceamentorum solveret, professus est, ut apud *Matthaeum Cap.* III. *Marcum Cap. I. & Lucam Cap.* III. legere est. Ebraeorum calcei plantarum calcem tantum infime tegebant; ([illegible]) cetera prope nuda & teretibus habenis iuncta erant; quales Romanorum soleae & galliceae, dictae a Graecis κρηπῖδες. Non tamen perpetuo sandalia illa Christus usurpasse videtur, quare *Hieronymus Epistola* XXII. scribit: *Milites vestimentis Iesu sorte divisis, caligas non habuere, quas tollerent. Nec enim habere Dominus potuisset, quod servos suos habere prohibuerat.* Domi autem saltem saepe non habuit, unde apud *Lucam Cap.* VII. 35. *Mulier flens retro secus pedes eius, lacrimis coepit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius,* &

[illegible]

& unguento ungebat. Et *Ioannis Cap.* XIII. v. 4. 5. Christus post coenam Apostolorum pedes lavat; qui certe non alio habitu ac illi erat. Non enim videntur antiqui, saltem in calidis regionibus, domi calceati manere consuevisse, ut *Calmetius* quoque *Differt. De Re vestiar. Ebraeorum* non difficulter concedit. Hinc Sanctus *Fructuosus* Episcopus Tarraconensis & Martyr, a militibus domi deprehensus, ac illis secum egredi iubentibus: *Si vultis, calceo me*; ut ex Actis apud *Ruinartum* constat. Quare Angelus Petro in custodia vincto ait: *ὑπόδησαι τὰ σανδάλιά σου*, quod vulgatus Interpres vertit: *Calcea te caligas tuas*, & quod servat etiam *Pseudo-Abdias Lib.* 1., quum tamen vertendum sit, *crepidas*, sive *soleas*, ut patet, & ostendunt *Salmasius Adversus Cercoetium* (131), & *Nigronius De Caliga*. Et hinc elucet Apostolos sandaliis esse usos; & sandaliorum Apostolorum frequens mentio apud *Pseudo-Abdiam*. Et quidem *Marcus Cap.* VI. v. 9. scribit, Christum sandaliorum tegmen Apostolis concessisse. Sed quid *Matthaeo* faciemus, qui *Cap. X. v.* 10. ait, Christum praecepisse Apostolis, ne calceamenta secum tollerent? Ad quem locum *Ioannes Chrysostomus* habet: *Apostoli cum una tunica, & discalceati, circumibant totum mundum, &c.* Sunt qui inter ὑποδήματα, quae apud Matthaeum a Christo prohibentur, & σανδάλια, quae apud Marcum permittuntur, distinguant, & censeant illa, quae totum pedem tegunt, inhiberi; haec, quia plantam pedum dumtaxat subtegebant, concedi. Et quidem sandaliorum, quibus Apostoli utebantur, mentio frequens, ut diximus, apud *Abdiam*; & in eburneo Diptycho Musei Riccardiani Petrus & Andreas sandaliis instructi conspiciuntur; & hoc sensu Dominicum praeceptum accipiebant Aegyptii Monachi, qui calceos recusabant, sandalia vero induebant, ut apud *Cassianum De Habitu Monachorum Lib.* I. *Cap. X.* videre est. (132) Quidquid autem sit, (133) in antiqua aerea lucerna Gazae Mediceae, quam ali-

X 2

(131) *Dissert.* Peculiari [illegible] hoc nomine [illegible], ut superius pag. 113. videre est. Hic autem *Salmasii* & *Nigronii* sententias [illegible], ut patet ex praecedenti *Observatione* [illegible] pag. 160.

(132) In Codice MS. Riccardiano XX-VIII. [illegible] est [illegible] [illegible] inscriptus: *Ordo sandaliorum*, cujus excerpta quaedam edidi in *Deliciis Eruditorum*; [illegible] *Rom*[illegible] pag. [illegible] qui locum aliquem hinc a me ductum [illegible].

(133) *Th*[illegible] pag. [illegible] [illegible] calumniatur, quod [illegible], *Quidquid*

alibi laudavimus, (114) Ecclesiam sub navis symbolo referente, Petrus, qui gubernaculum regit, habet pedes calceis undique vestitos, quemadmodum & Evangelistae musivi operis apud *Io. Ciampinum Par. I. Veter. Monim. Cap.* XXVII. *Tab.* LXXV. quod quidem in anaglyphorum imaginibus, quas *Aringhus* exhibet, raro cernere est; licet in iisdem nudis omnino pedibus Christus & Apostoli non frequenter occurrant, sed omnes fere semper subligaculis & sandaliis instructi, quemadmodum & apud *Lambecium Lib.* II. *Comment. Cap.* VII. & apud laudatum *Ciampinum loco citato Tab.* LXXVI. et in vetustis picturis Codicis Evangeliorum Syriaci, de quo alias mentionem fecimus. (115) Polycarpus autem Ioannis Apostoli discipulus calceatus exstitisse traditur in insigni Smyrnensis Ecclesiae Epistola, in qua eius martyrium describitur apud *Eusebium*. In hac discordi consuetudine, & non una Evangelicorum verborum intelligentia, nil mirum, si Christiani antiquissimi nudis pedibus ingrederentur. Hinc Christianus apud crebro advocatum *Philopatridis* Scriptorem est *ἀνυπόδητος*. *Tertullianus* autem *Libro De Pallio*, *Calceos*, inquit, *nihil dicimus proprium togae tormentum, immundissimam pedum tutelam, verum & falsam. Quem enim non expediat in algore & ardore rigere nudipedem, quam in calceo unguipedem*. Et mox: *Si quis calceatus inducitur, mundissimum opus est* (scilicet cum pallio) *aut pedes nudi magis, certe virile magis, quam in calceis*. Sic *Libro De Corona militis*, militem commendat calceos exsuentem, quia Christianus; & terrae nudis pedibus insistentem. *Idem gravissimas penulas posuit relevari auspicatus, speculatoriam morosissimam pedibus absolvit terrae sanctae insistere incipiens*. Sed perspicue distincteque exponit *Clemens* Alexandrinus *Lib.* II. *Paedagogi Cap.* XI. quomodo pedibus ingredi Christiani consuescerent, seu mares, seu feminae. Ἡ δὲ χρῆσις, inquit, τῶν ὑποδημάτων, ἡ μὲν αὐτῶν εἰς σκέπην ποδῶν· ἡ δὲ εἰς προφυλακὴν τῆς προσ-

quid autem sit, quod Latina phrasis non ... *Nemesius pag.* XVI. respondit, illud autem Latinitatis esse. Nam *Virgilius Lib.* VI. *Aeneid.* occinit:

Quidquid erit, superanda omnis fortuna ferendo est.

Et *Lib.* II. occinit:

Quidquid id est, timeo Danaos & dona ferentes.

Plautus vero in *Curculione* ait:

Quidquid est, ipse ibis potius.

Et in *Truculento*,

Sed fores, quidquid est futurum, feriam.

(114) Confer superius pag. 123.

(115) Adi superius pag. 149.

προσπταισμάτων, καὶ τῆς ὀρειβατικῆς τραχύτητος τὸ πέλμα τοῦ ποδὸς σώζουσα. Γυναιξὶ μὲν οὖν τὸ λευκὸν ὑπόδημα συγχωρητέον, πλὴν μὴ ὁδευούσαις· τότε δὲ τῷ ἀλείπτῳ χρηστέον· ἐλαιωμένων δὲ δεῖται τῶν καττυμάτων αἱ ὁδεύουσαι· πλὴν τὰ πολλὰ ὑποδεδεμέναις χρηστέον αὐταῖς· οὐ γὰρ ἁρμόζει γυμνὸν ἐπιδείκνυσθαι τὸν πόδα· ἄλλως τε καὶ ἀσθενὲς εἰς βλάβην ἡ γυνή. Ἀνδρὶ δὲ ἡ μάλα ἁρμόδιος ἀνυποδησία πλὴν εἰ μὴ στρατεύοιτο. Καὶ γὰρ πάνυ ἐγγὺς τὸ ὑποδεδέσθαι τῷ δεδέσθαι· ἀσκητικώτατόν γε τοι, γυμνοῖς χρῆσθαι τοῖς ποσὶν, καὶ πρὸς ὑγείαν καὶ εὐκολίαν εἴθιστον, ἔνθα μὴ ἀνάγκη τις διακωλύῃ. εἰ δὲ μὴ ὁδεύοιμεν, ἀλλὰ μηδὲ φέροιμεν τὴν ἀνυποδησίαν, βλαύταις ἢ φαικασίοις χρηστέον. *Calceorum enim usus hic quidem est ad tegendos pedes: alius autem ad propulsandas offensiones, & a montanis asperitatibus plantam pedis conservans. Sunt itaque mulieribus albi concedendi calcei, nisi iter ineant: tunc autem eis unctis utendum est. Clavis autem perforatis opus habent soleis, quae viam conficiunt: quamvis illis ut plurimum calceis utendum est. Neque enim feminam decet pedem ostendere: & alioqui mulieri tener est sexus, ut facile laedatur. Viro autem plane convenit nullos habere calceos, praeterquam si militet. Ὑποδέδεσθαι enim non parvam habet affinitatem cum δεδέσθαι, quod est, esse ligatum. Optimum quidem est exercitationis genus nudis uti pedibus, & ad sanitatem, & ad expeditam facilitatem, ubi non prohibeat necessitas. Quod si iter non ingrediamur, nec nudis incedere pedibus pati possimus, soleis utendum est.* Illud autem, quod a viduis spectatis Apostolus exigit, ut scilicet Sanctorum pedes laverint, tam ad eos, qui nudis pedibus ingrederentur, quam ad eos, qui sandaliis & soleis uterentur, referri potest. Ceterum *Hieronymus* ad Eustochium, *nudos patientia frigoris pedes* in Monachis quibusdam non probat, & adfectatae eos abiectionis insimulat. Feminas autem nudis pedibus incedere vetitum, idem *Clemens Lib.* II. *Cap.* X. quoque ait, quemadmodum velari praeceptum. Καὶ οὐδὲ ὅτι τὸ παραγυμνοῦν τὸ σφυρὸν κεκώλυται μόνον, ἐγκαλύπτεσθαι δὲ καὶ τὴν κεφαλὴν καὶ τὸ πρόσωπον ἐπικαλύπτεσθαι προστέτακται. *Nec vero solum calcaneum est prohibitum ut nudent sit, verum etiam caput ut tegant atque obnubant, illis est impositum.* Et quidem in antiquis

quis

quis anaglyphis ab *Aringhio* productis feminae pedibus calceatis fore semper occurrunt. Et in antiquis picturis saepius laudati Codicis Evangeliorum Syriaci, Maria Deipara calceata semper adspicitur. Ceterum id multum differt ab Ethnicarum feminarum moribus & instituto; siquidem hae, quum soleis tantum & crepidis uterentur, pedis ac cruris partem nudam ostendebant, ut recte docet *Oct. Ferrarius Analect. De Re Vestiar.* vetustorum simulacrorum imaginibus in medium adductis. Harum solearum figuram habes etiam in antiquo marmore sepulcrali, quod in Museo Mediceo adservatur, & quod V. Cl. *I. Gruterus*, & *B. Montfalconius*, & *Ant. Fr. Gorius*, edendum curaverunt. Sed ut exemplum Christianorum, qui nudis tantum pedibus incedebant, opportune proferam; ita consuevisse Origenem Adamantium presbyterum, tradit *Eusebius Lib. VI. Histor. Eccles. Cap. III.* quod ex Evangelii verbis calceorum usum a Christo interdictum opinaretur. (116)

Duo interim a nobis observanda sunt, quae rem nostram vestiariam illustrabunt: Unum, etsi tam multa de Christianorum vestibus peculiariter disseruerimus, tamen exploratae fidei esse, Christianos vestes cum Ethnicis, iuxta regionis & patriae suae mores, generaliter loquendo, habuisse communes; nec enim verum esse videtur, ut *Cl. Salmasius* advertit, statim ac quis Christianus effectus esset, habitum vestemque mutavisse, aut id semper perpetuumque servatum. Insuper pro loco, pro aetate, pro dignitate, conditione, & officio, varios fuisse Christianorum amictus, perspicue docet *Clemens Alexandrinus Lib. III. Paedag. Cap. XI.* & huc adplicanda sunt, quae de habitu Monachorum *Cassianus Lib. I. Cap. XI.* habet. *Haec dicta sunt, nequid praetermisisse de AEgyptiorum habitu videamur. Ceterum a nobis tenenda sunt illa tantummodo, quae vel locorum situs, vel usus provinciae, admittit. Nam neque caligis nos, neque colobiis, seu una tunica, esse contentos hiemis permittit asperitas.* Hinc apud *Aringhium* Abdon & Sennen Martyres Persae, more Persarum induti, non aliarum gentium ritu, conspiciuntur. Magi item, qui Iesum adoratum

(116) De sandaliorum & solearum usu aut abdicatione apud Apostolos, vide quae disserat *Dionys. Petavius advers. Claud. Salmasium* [illegible].

ex Oriente venerant, apud eumdem *Aringhium*, braccis, seu sarabaris, ut cum *Tertulliano De Oratione* loquar, & brevibus palliis, pileoque acuto & inflexo, vestiti occurrunt, non secus ac Martyres laudati; de quorum habitu & vestibus multa disserunt *Aringhius* laudatus aut *Severanus*, & *Bonarotus*. Alterum est, etsi Christianos primi saeculi multam in vestibus simplicitatem praese tulisse, satis demonstravisse credamus, tamen inficiandum non esse, saeculo secundo iam, & tertio, luxum inter Christianos sensim irrepsisse, id quod ex *Tertulliani Libris De Habitu muliebri*, *& De Cultu feminarum & De Virginibus velandis*, atque ex *Clementis* Paedagogi *Lib.* II. *&* III. & *Cypriano de Lapsis* colligere proclive est; & perspicue intelligeretur ex figuris *Tab.* XXI. XXII. XXIII. XXIV. apud *Bonarotum Ad Vitra antiqua*, nisi aetate posteriores essent. (127)

Iam tempestive inquirendum videatur, an ulla esset primis illis Ecclesiae temporibus inter Clericos, & laicos, vestium discretio; & adfirmat quidem *Cl. Salmasius* in suo ad *Tertullianum De Pallio* Commentario. *Pallium igitur*, inquit, *Tertulliano* Sacerdos habitus *adpellatur*, *quod eo habitu tunc sacerdotes uterentur Christiani*, *eumque praeferendum adserit*, *non solum omnibus vestibus*, *& ornamentis*, *quibus paganae Superstitionis antistites uterentur*, *sed etiam omnibus exsuviis & peplis*, *quibus Deorum simulacra vestiri & ornari solebant*. *Ex hoc vel unico Tertulliani loco satis liquide liquere arbitror*, *illa aetate non passivum & communem omnium*, *qui Christianam fidem profiterentur*, *habitum fuisse pallium*, *sed solorum presbyterorum*. Locus Tertulliani, quem laudat *Salmasius*, est qui sequitur: *Enimvero quum hanc primum sapientiam vestit*, *quae vanis simul superstitionibus renuit*, *tunc certissime pallium super omnes exsuvias & peplos augusta vestis superque omnes apices ac tutulos sacerdos habitus*; quorum postremorum verborum lectionem strenue eruditeque contra *Gelenium* tuetur. Et Heraclas quidem presbyter pallium philosophicum gestavisse traditur ab *Eusebio Lib. VI. Hist. Eccles. Cap. XX. Ceterum*, pergit ex intervallo *Salmasius*, *ne illa quidem ipsa tempestate perpetuum hoc fuit*, *aut pro regula* obser-

(127) Conferantur, quae habentur superius pag. 130. 147.

observatum, ut omnes Clerici pallium sumerent, aut soli ipsum habitum usurparent. Multos quippe ex laicis propter ἄσκησιν, hoc eodem veste philosophica & ascetica usos esse scimus, & ex presbyteris eos solos, qui asceticam profiterentur, hoc est, qui Apostolicae humilitatis, & severioris Christi disciplinae, congruam & consentaneam sectam sectarentur. Nondum enim Ascetarum πολιτεία, qui Monachi postea dicti sunt, certis legibus ac regulis constituta, in notitiam venerat &c. Ast contra haec *Salmasii* verba, & sententiam, & contra *Salmasium* ipsum, acriter & infeste invehitur *Dion. Petavius* in *Animadversis* ad *Salmasii Notas in Tertullianum De Pallio*; atque ita illum amarulentum & maledicum stringit: *Vanissime mortalium ubi es, quum ista scribis? τὼ τὰς ὀφρῦς ἀνεσπάκαμεν; adeo nos lectores tuos contemnis, ut tam absurda, tam inepta, tam ridicula, texas, ac retexas? Didiceramus, Clericos omnes, ac solos, palliatos inter Christianos fuisse. Tu id pro tua auctoritate persuadere volueras. Nunc contrarium accinis: & nequid ad stuporem desit, etiam variis auctorum testimoniis adprobas. Faveo tibi, & utcumque conatu tuo posterius hoc impulsum fateor. Quemquam, quid erat negotii, rem omnibus perviam, ac facilem, adstruere? Nisi forte dubitamus, fuisse inter Presbyteros, & Laicos, Christianos quospiam, qui ceteris laxius viverent, ac vilius vestirentur? Hoc probare velle, est, quod saepe facis, oleo & charta εἰς οὐδὲν παραχρῆσθαι. In altero vero, quod isti contrarium est ex diametro, quam ineptus fueras! Sacerdotes solos palliatos fuisse, inde colligebas, quoniam Tertullianus Cap. IV. Libri huius sacerdotem suggestum vocat pallium. Ita enim, ut in prima editione legitur, scribendum pugnas; non ut vulgo sacer habitus. Fac non repugnem. An ideo sequitur ad solos Christianorum sacerdotes pertinere? Si sequitur: Ergo nullus praeter illos habuit. Quod tu quidem hic dicis; sed, quod absurditatem superat omnem, paullo post revocas. Expergiscere sodes, & Tertullianum, cuius in lectione tritum te esse gloriaris, intellige, si potes. Non dicit sacerdotem esse suggestum, quia sacerdotum Christianorum est; sed quia omnibus apicibus ac tutulis, quae gentilium sacerdotum insignia sunt, praestat.* Sed quantas mutationes decursus temporis invenit! Hoc pallium, quod prima Ecclesiae aetate multorum Sacer-

cerdotum erat, & Clericorum, praecipue indumentum, sub Constantino principe multum exoleverat, quum Episcopi & Clerici communi cum aliis veste uterentur, & indecorum & incongruum Clericis vestimentum habebatur, si *Salmasio* id ex *Synodi Gangrensis Epist.* & *Socrate lib. II. Hist. Eccles. Cap. XXXIII.* colligenti fidem adhibeamus; quem tamen *Synodi Gangrensis* sensum minime adsequutum fuisse, docte & acute ostendit *Petavius Mastigophoro III.* cuius sunt illa verba: *Nihil ergo verius, quam a Gangrensibus Patribus ideo condemnatum Eustathium, quod non solum asceticos gregalesque suos περιβολαίῳ ἀσκητικῷ amictos esse vellet, sed Christianos reliquos damnaret, quorum nonnulli pro status ac dignitatis suae conditione exquisitius vestiti, ut byrris & aliis communibus vestium generibus induti, procederent. Βῆροι sive byrri non solum Episcoporum proprii fuerunt, sed etiam τῶν ἐν τέλει, hoc est Magistratuum & Honoratorum, ut ex Palladio in Lausiaca colligi potest. Et quamvis byrros in Canone illo demus popularem & communem esse vestem &c.* (118)

At haec pauca de hominum Christianorum primitivi habitu & re vestiaria delibasse sufficerit, nam ex divortiis hisce in regiam viam & ad propositum revertendi compus jam esset, nisi huiusmodi πάρεργα intentioni meae conducere deprehenderentur.


Y

(118) Theodoremacher Epist. III. [illegible]

[illegible] Graeci &c.

tur. Nam & heinc antiquorum Christianorum humilitas, simplicitas, paupertas, exsistere forte aliquatenus, atque eminere, videatur; id, quod ipse demonstrandum susceperam, quodque vere dici potest, esse veras divitias, veras delicias, de quibus soli Christiani participant, (129) quia boni & honesti, ut late exsequitur *Clemens* eruditissimus *Lib. III. Paedag. Cap. VI. & VII.*

De Ar-




(129) *Trefsmacher pag.* 118. scribit, *participare de re aliqua*, eo sensu non usurpari, quo ab me heic adhibitum est. At Scriptores saltem Ecclesiastici sic usurpant, quod mihi sufficit. *Epist. I. ad Corinth. Cap. X. vers.* 17. *Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes enim de uno pane participamus.* Ὅτι εἷς ἄρτος, ἓν σῶμα οἱ πολλοί ἐσμεν· οἱ γὰρ πάντες ἐκ τοῦ ἑνὸς ἄρτου μετέχομεν. Graeci Textus imitatione tantum ab interprete vulgato videtur, quod deinde & Latini alii usurpaverunt. *Tertullianus Libro II. Ad Uxorem: Cuius manum desiderabit? De cuius poculo participabit?*

De Artibus, Opificiis, & Ministeriis, Veterum Christianorum.

CAPUT V.

DIGRESSIO ALTERA.

Etus de Christianis calumnia fuit, eos otiosos, inertes, infructuosos, inutiles, latebrosos, atque lucifugos, in terra vivere, ut V. C. *Thom. Maria Mamachius Lib. I. Origin. & Antiquit. Christianorum Cap. II. §. XIV. XX. & Cap. III. §. XXV. XXVIII. Joseph Binghamus Lib. I. Origin. Ecclesiast. Cap. II. §.* XI. *Christian. Kortholtus De Calumniis Paganorum in Christianos veteres; Matthias Zimmermannus Dissertat. Historico-Theologica ad illud Tertulliani: Fiunt non nascuntur Christiani, Sect.* II. §. CXVI. *Jo. Frideric. Hebenstreitius in Christiano Polyonymo, sive De Christianorum nominibus in laudem & opprobrium datis; N. Munichius Dissertatione De Nominibus contumeliosis Christianis a Gentilibus impositis*, late & erudite demonstraverunt. Ipse eam in antecessum non dissimulavi, sed indicavi opportune, ut superius *pag.* 91. videre est, ubi *Tertulliani* verba ex Apologetico protuli, quibus & criminationem Christianis ab Ethnicis impactam refert; & evidentia ipsa, rationeque luculenta, diluit, atque confutat. Et profecto, qui Christiani otiosi, inertes, inutiles? Nec ipsa suae legis praecepta id exigunt, nec vitae communis ratio patitur, nec exempla ipsa per cujuscumque temporis periodum reperta vel subspicari permittunt. Et profecto *Jesus* Servator apud *Matthaeum Cap.* XVII. 26. mittit *Petrum* piscatum; & *Cap.* VIII. 23. sicuti apud *Marcum Cap. IV.* 36. & *Lucam Cap.* VIII. 22. jubet discipulos, ut navigent, & transfretent trans stagnum. Apud *Lucam* autem *Cap. V.* 4. dixit ad *Simonem* in navicula stantem: *Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam.* Apud *Joannem* vero *Cap. XXI.* 6. discipulis piscantibus jubet, ut mittant in dexteram navigii rete; qui parentes magnam piscium multitudinem prendiderunt. Annon ita ille & navigationem, & pisca-

ficationem, &, quaecumque secum hae ferunt atque requirunt, artificia consequenter adprobavit? Quid autem dicam, quod parabolas, quibus in adloquendo usus est, omnes fere ex artibus, & negotiis, hominum sumsit, nec quae licita honestaque erant unquam improbavit? Apud *Matthaeum Cap.* XIII. colonum serentem semen suum inducit; *Cap.* XX. patremfamilias, qui exit primo mane conducere operarios in vineam suam, commendat; & *Capite* insequenti patrisfamilias seu mittentis filios in vinea operatum, seu plantantis vineam, & sepem circumdantis, & fodientis in ea torcular, & turrim aedificantis, agricolisque locantis, exempla & similitudines adfert. Quid quod regnum coelorum homini negotiatori quaerenti bonas margaritas apud *Matthaeum Cap.* XIII. v. 45. comparat; & servum increpat in parabola, quod non commisisset pecuniam nummulariis, ut veniens reciperet quod suum erat cum usura, ut apud laudatum Evangelistam *Cap.* XXV. v. 27. videre est? *Paullus* autem Apostolus Christi doctrinae enarrator verax & praedicator indefessus, in *I. Corinth. Cap IV.* 12. scribit: *Et laboramus operantes manibus nostris.* Et Thessalonicensibus primum scribens *Cap.* II. ait: *Memores enim estis, fratres, laboris nostri, & fatigationis: nocte ac die operantes, ne quem vestrum gravaremus, praedicavimus in vobis Evangelium Dei. Capite* autem quarto addit: *Rogamus autem vos, fratres, ut abundetis magis, & operam detis ut quieti sitis, & ut vestrum negotium agatis, & operemini manibus vestris, sicut praecepimus vobis: & ut honeste ambuletis ad eos, qui foris sunt, & nullius aliquid desideretis.* Praeclare autem secundo iisdem scribens *Cap.* III. pronunciat: *Ipsi enim scitis quemadmodum oporteat imitari nos: quoniam non inquieti fuimus inter vos. Neque gratis panem manducavimus ab aliquo, sed in labore & in fatigatione, nocte & die operantes, ne quem vestrum gravaremus. Non quasi non habuerimus potestatem, sed ut nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos. Nam & cum essemus apud vos, hoc denunciabamus vobis: quoniam si quis non vult operari, nec manducet. Audivimus enim inter vos quosdam ambulare inquiete, nihil operantes, sed curiose agentes. Iis autem, qui ejusmodi sunt, denunciamus & obsecramus in Domino Iesu Christo, ut cum silentio operantes, suum panem manducent.* Quem autem

Ephe-

Ephesi esset, & maiores natu Ecclesiae adloqueretur, dixit eis inter cetera, ut tradit *Lucas Cap. XX. Actor. v. 33. Argentum, & aurum, aut vestem, nullius concupivi, sicut ipsi scitis: quoniam ad ea, quae mihi opus erant, & his, qui mecum sunt, ministraverunt manus istae. Omnia ostendi vobis, quoniam sic laborantes oportet suscipere infirmos, ac meminisse verbi Domini Iesu, quoniam ipse dixit: Beatius est magis dare, quam accipere.*

Nec his refragari quis putet, siqua ita dicta a *Christo* Domino habentur in Evangelio, ut otium & inertiam, & incogitantiam & incuriam, commendare videantur. Profecto *Matthaei Cap. VI.* haec docet: *Non potestis Deo servire, & mammonae. Ideo dico vobis, ne solliciti sitis animae vestrae quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. Nonne anima plus est quam esca, & corpus plusquam vestimentum? Respicite volatilia coeli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea: & pater vester coelestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis? Quis autem vestrum cogitans potest adiicere ad staturam suam cubitum unum? Et de vestimento quid solliciti estis? Considerate lilia agri quomodo crescunt: non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est, sicut unum ex istis. Si autem foenum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit: quanto magis vos modicae fidei? Nolite ergo solliciti esse dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Haec enim omnia gentes inquirunt. Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis.* His autem verbis *Iesus* nihil aliud nobis persuadere vult, quam ne nimia rerum terrenarum cupiditate & sollicitudine angamur, nec adeo de futuro anxii simus, ut haec animi cura vehementior, & tumultuosa conflictatio, studio pietatis, & coelestium bonorum desiderio, praevaleat; atque impedimento sit, ne nos totos Deo eiusque cultui dedicemus. Quare statim subdit: *Quaerite ergo primum regnum Dei, & iustitiam eius: & haec omnia adiicientur vobis. Nolite ergo solliciti esse in crastinum. Crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi: sufficit diei malitia sua;* hoc est afflictio & anxietas; licet enim Graece habeat, ἀρκετὸν τῇ ἡμέρᾳ ἡ κακία αὐτῆς, recte scribit D. *Hieronymus Epistola ad Amandum* CXLVII.

Ka

Kakia enim, quam Latinus vertit in malitiam, apud Graecos duo significat, & malitiam, & afflictionem, quam κάκωσιν Graeci dicunt, & hic magis pro malitia transferri debuit afflictio. Egregie autem meam interpretationem confirmat *D. Augustinus Lib. De opere Monachorum Cap. XXIII. & XXIV.* & D. *Paullus* in Epistola *I. ad Timotheum Cap. VI.* haec eadem documenta veluti edisserens scribebat: *Est autem quaestus magnus, pietas cum sufficientia. Nihil enim intulimus in hunc mundum: haud dubium, quod nec auferre quid possumus. Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti sumus. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa, & nociva, quae mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas: ipsam quidam appetentes erraverunt a fide, & inseruerunt se doloribus multis.* Nullis igitur Christianae legis praeceptis artes, negotia, & ministeria varia, quorum vita humana indiget, improbantur; imo lex ipsa indicit & probat. Vitae insuper, quam homines transigunt, ratio rem aliter se habere non patitur, unde illa superius citati *Tertulliani*: *Quomodo infructuosi videamur negotiis vestris, cum quibus, & de quibus vivimus, non scio.* Et iam dixerat: *Neque enim Brachmanae, aut Gymnosophistae, sumus, silvicolae & exsules vitae. Meminimus gratiam debere nos Deo Domino Creatori. Nullum fructum operum eius repudiamus: plane temperamus, ne ultra modum aut perperam utamur.* Bene igitur Sanctus *Hermes* Diaconus & Martyr *Philippum* filium adhortabatur dicens: *Iuvenis es; debes victum labore tibi quaerere ita, ut patrem fecisse meministi, quem scis cum omnibus bene esse conversatum*: ut in Actis Sancti *Philippi* Episcopi Heracleae apud *Ruinartum* videre est. Sed de his pluribus agemus inferius.

Hactenus dicta concinunt, quae scribit *Io. Cassianus Libro X. Institut. Monach. Capit. VIII. IX. X. XI. XII.* & quaecumque superius ex Apostoli Epistolis protuli mirifice illustrant, & edisserunt enucleate. Quamquam vero *Cassianus* de Monachis agit, quis profari audeat, ea ceteris non convenire; quum si quis ab opere cessare iuste posset, is, qui rerum coelestium contemplationi se totum dedidit, iustior &

ratio-

rationabilius quidem posset, quam ceteri. Sed iam *Cassianum* audiamus Apostoli verba edisserentem: „ Quia non inquieti fuimus inter vos. Quum se vult inquietum inter eos non „ fuisse per operis exercitium comprobare, eos qui operari nolunt, abunde notat otiositatis vitio inquietos semper „ exsistere. Neque gratis panem manducavimus ab aliquo. „ Per singula verba interpretationis auxesin facit Doctor gentium. Praedicator Evangelii dicit, se non gratis panem ab „ aliquo manducasse, qui novit Dominum praecepisse, ut qui „ Evangelium denunciant, de Evangelio vivant; & rursum: „ Dignus est operarius cibo suo. Quum itaque non gratis, „ qui Evangelium praedicabat, tam sublime ac spiritale opus „ exercens, cibum sibi Dominicae iussionis auctoritate praesumeret; quid nos faciemus, quibus non solum nulla „ praedicatio verbi commissa est, sed nec ulla quidem, nisi „ animae nostrae solius cura mandatur? Qua fiducia otiosis „ manibus gratis panem comedere audebimus, quem vas electionis Evangelica sollicitudine & praedicatione constrictus, „ sine opere manuum comedere non praesumit? Sed in labore, inquit, & fatigatione, nocte & die operantes, ne quem „ vestrum gravaremus. Adhuc additamenta suae castigationis „ exaggerat. Non enim simpliciter dixit, Non comedimus panem gratis ab aliquo vestrum, & hucusque stetit. Poterat „ enim videri proprio, otiosoque sumtu, ac recondita pecunia, vel aliorum, licet non istorum collatione, seu muneribus, substentatus fuisse. Sed in labore, inquit, & fatigatione, „ nocte ac die operantes. id est, nostro opere specialiter substentati. Et hoc, inquit, non pro nostra voluntate perpetrabamus, „ nec pro delectatione, ut requies & exercitium corporis invitabat; sed ut necessitas & inopia victus non sine ingenti fatigatione corporis facere compellebat. Non solum namque „ per totum diei spatium, sed etiam noctis tempore, quod „ quieti corporis videtur indultum, hoc opus manuum pro eicae sollicitudine indesinenter urgebam. Nec tamen solum „ totaliter inter eos conversatum fuisse testatur, ne forte non „ magna, nec generalis, videretur haec forma, si ipsius tantummodo traderetur exemplo; sed etiam omnes, qui erant secum

„ cum ad ministerium Evangelii deputati, id est, Silvanum
„ & Timotheum, qui haec eadem cum eo scribunt, adserit
„ simili opere laborasse. In eo etiam quod dicit; Ne quem
„ vestrum gravaremus, verecundiam eis incutit magnam. Si
„ enim ille, qui Evangelium praedicabat, signis illud, virtuti-
„ busque, commendans, ne gravaret quempiam, gratis panem
„ manducare non audet; quomodo illi non aestimant se gra-
„ vare, qui quotidie eum otiosi, vacantesque, praesumunt?
„ Non quasi non habuerimus potestatem, sed ut nosmetipsos
„ formam daremus vobis ad imitandum nos. Pandit caussam,
„ cur tantum laboris sibi indixerit: Ut, inquit, formam da-
„ remus vobis ad imitandum nos, ut si forte doctrinam ver-
„ borum auribus vestris frequenter ingestam oblivioni trade-
„ retis; saltem conversationis exempla sub oculorum fide vo-
„ bis tradita memoriter retineretis. Haud levis eorum & in
„ hoc reprehensio, quum dicit, se nulla alia, quam exempli,
„ gratia, laborem hunc & fatigationem die noctuque corporis
„ exegisse, & eos nihilominus erudiri nolle, propter quos
„ ipse, necessitatem non habens, tantum sibi fatigationis indi-
„ xerit. Et quidem, inquit, quum haberemus potestatem, &
„ paterent nobis facultates omnium vestrum atque substantiae,
„ & utendi eis Domini nostri nossem me habere promissum;
„ non sum tamen hac usus potestate, ne quod a me bene,
„ ac licito fieret, aliis otii noxii praeberet exemplum. Et
„ idcirco Evangelium praedicans, meis manibus, atque opere,
„ malui sustentari, ut vobis quoque volentibus iter virtutis
„ incedere, viam perfectionis aperirem, & conversationis for-
„ mam meo labore praeberem. Sed ne forte tacitus operans,
„ & erudire eos volens exemplis, minime illos etiam praece-
„ ptorum monitis instruxisse videretur, infert: Nam & quum
„ essemus, inquit, apud vos, hoc denunciabamus vobis,
„ quoniam si quis non vult operari, nec manducet. Adhuc
„ illorum desidiam, qui scientes eum, ut magistrum bonum do-
„ ctrinae gratia, & institutionis obtentu, suis manibus opera-
„ tum, imitari contemnunt, & diligentiam cautionemque suam,
„ exaggerat, dicens, non tantum se hoc illis exemplo tradidis-
„ se praesentem, sed etiam verbis jugiter praedicasse, ut si

quis

„ quis scilicet non vult operari, nec manducet. Non jam „ Doctoris, vel Medici, utitur ad eos consilio, sed districtio- „ ne in eos judiciariae pronunciationis invehitur, & Aposto- „ licae potestate resumta, velut e tribunali in contemto- „ res sententiam dicit: illa nempe potestate, quam cum in- „ terminatione scribens ad Corinthios, a Domino sibi adseruit „ datam, quum eos in delicto positos praemoneret, ut ante ad- „ ventum suum semetipsos corrigere festinarent, ita praeci- „ piens: Rogo vos ne praesens compellar audere in quosdam „ potestate illa, quae data est mihi in vobis. Et iterum: „ Si enim voluero aliquid gloriari de potestate, quam dedit „ mihi Dominus in aedificationem, & non in destructionem „ vestram, non erubescam. Illa, inquam, potestate pronun- „ ciat: Si quis non vult operari, nec manducet: non gladio „ carnali eos addicens, sed auctoritate Spiritus Sancti, hujus „ vitae eis interdicens substantiam: ut si forte poenam futu- „ rae mortis minime cogitantes, adhuc vellent amore otii ex- „ sistere contumaces, saltem necessitate naturali constricti, & „ metu praesentis interitus, salutaria praecepta suscipere co- „ gantur. Hactenus *Cassianus*.

Non deerant igitur exempla artium & munerum quorumlibet, quae Christiani primitivi exercuerent; quum sine horum praesidio constare eorum vita non posset: quod quidem advertit etiam *Origenes Libro I. contra Celsum*, ubi ait: *εἰ μὲν οἷόν τε πάντας καταλιπόντας τὰ τοῦ βίου πράγματα σχολάζειν τῷ φιλοσοφεῖν . . . ἐπεὶ δὲ τοῦτ' ἀμήχανον, τοῦ μὲν διὰ τὰς τοῦ βίου ἀνάγκας, τοῦ δὲ καὶ διὰ τὴν τῶν ἀνθρώπων ἀσθένειαν, σφόδρα ὀλίγων ἐπὶ τὸν λόγον ᾀττόντων* κ. τ. λ. Observat etiam *Augustinus De opere Monachorum* licet proprie de Monachis agat: *Nunc autem veniunt plerumque ad hanc professionem servitutis Dei ex conditione servili, vel liberti: vel propter hoc a Dominis liberati, seu liberandi: & ex vita rusticana, & ex opificum exercitatione, & plebeio labore, tanto felicius, quanto fortius educati: qui si non admittuntur grave peccatum est. Multi enim ex eo numero vere magni & imitandi exstiterunt*. Quum enim Christiani innumerabili copia & multitudine jam essent, fieri non poterat, quin artes omnes & opificia exercerent, muneribusque fungeren-

tur, sine quibus tanta multitudo, tanta hominum universitas, consistere non potuisset. *Hesterni sumus*, inquit *Tertullianus, Apolog. Cap. XXXVII.*, *& vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum. Sola vobis relinquimus templa.* Iis enim exercitiis & ministeriis abstinebant tantum Christiani, quae cum sanctitate divinae religionis coniungi & coire non poterant, ac quibus incumbere idem erat, ac a nostris sacris & institutis recedere, & ad Idololatrarum castra deficere. Quare idem *Tertullianus Cap. XXXVIII.* eiusdem operis exclamabat: *AEque spectaculis vestris in tantum renuntiamus, in quantum originibus eorum, quas scimus de superstitione conceptas: cum ipsis rebus, de quibus transiguntur, praetersumus. Nihil est nobis dictu, visu, auditu, cum insania Circi, cum impudicitia Theatri, cum atrocitate Arenae, cum Xysti vanitate. Quo vos offendimus, si alias praesumimus voluptates?* Et Cap. XLII. & XLIII. pronunciat: *Sed si caeremonias tuas non frequento, attamen illa die homo sum. Non lavo sub noctem Saturnalibus, ne & noctem & diem perdam. Attamen lavo & debita hora, & salubri, quae mihi & calorem & sanguinem servet. Rigere & pallere post lavacrum mortuus possum. Non in publico Liberalibus discumbo, quod bestiariis supremam coenantibus mos est. Attamen ubi ubi de copiis tuis coeno. Non emo capiti coronam. Quid tua interest, emtis nihilominus floribus quomodo utar? puto gratius esse liberis, & solutis, & undique vagis. Sed etsi in coronam coactis, nos coronam naribus novimus. Viderint qui per capillum odorantur. Spectaculis non convenimus, quae tamen apud illos coetus venditantur, si desideravero, libentius de propriis locis sumo. Tura plane non emimus. Si Arabiae queruntur, sciant Sabaei pluris & carioris suas merces Christianis sepeliendis profligari, quam Diis fumigandis. Certe, inquitis, templorum vectigalia quotidie decoquunt: stipes quotusquisque iam iactat? Non sufficimus & hominibus, & Diis vestris, mendicantibus opem ferre, nec putamus aliis, quam petentibus impertiendum. Denique porrigat manum Iupiter, & accipiat quam interim plus nostra misericordia insumit vicatim, quam vestra religio templatim. Sed cetera vectigalia gratias Christianis agent ex fide dependentibus debitum, qua alieno frauden-*

dando abstinemus; ut si ineatur quantum vectigalibus pereat fraude & mendacio vestrarum professionum, facile ratio haberi possit, unius speciei querela compensata pro commodo ceterarum rationum. Plane confitebor, qui conquerentur. Nam si qui forte vere de sterilitate Christianorum conqueri possunt, primi erunt Lenones, Perductores, Aquarioli, tum Sicarii, Venenarii, Magi, item Aruspices, Arioli, Mathematici. His infructuosos esse, magnus fructus est.
Sed expressius & disertius id omne explicat idem Theologus Carthaginiensis *Libro De Idololatria*, ubi indicat, Christiani quicumque fierent, illam artem & opificium exercere perstitisse, quod ante faciebant; & abstinere tantummodo debuisse ab iis studiis & artificiis, quae cum Christianae sapientiae disciplina constare non possent. ,, Tamen, inquit, Idololatria agebatur
,, non isto nomine, sed isto opere. Nam & hodie extra tem-
,, plum, & sine Idolo agi potest. At ubi artifices statuarum,
,, & imaginum, & omnis generis simulacrorum, Diabolus sae-
,, culo intulit, rude illud negotium humanae calamitatis, &
,, nomen de Idolis consequutum est, & profectum. Exinde
,, iam caput facta est Idololatriae ars omnis, quae Idolum
,, quoquomodo edit. Neque enim interest, an Plastes effin-
,, gat, an Caelator exsculpat, an Phrygio detexat: quia nec
,, de materia refert; an gypso, an coloribus, an lapide, an
,, aere, an argento, an filo, formetur Idolum . . . .
,, Inde & omnis Idoli artifex, eiusdem & unius est criminis,
,, nisi parum Idololatriam populus admisit, quia simulacrum
,, vituli, & non hominis, sibi consecravit. Idolum tam fieri,
,, quam coli, Deus prohibet. Quanto praecedit ut fiat quod
,, coli possit, tanto prius est ne fiat, si coli non licet . . . . .
Deinde, quum loca Scripturarum, quibus simulacra & imagines fieri prohibentur, protulisset, exclamat ,, Et quid ego modicae
,, memoriae homo ultra quid suggeram, quid recolam, de Scri-
,, pturis, quasi aut non sufficiat vox Spiritus Sancti, aut ul-
,, tra deliberandum sit, an maledixerit atque damnaverit
,, Dominus ipsos prius artifices eorum, quorum cultores male-
,, dicit & damnat? Plane impensius respondebimus ad excu-
,, sationes huiusmodi artificum, quos nunquam in domum
,, Dei admitti oportet, siquis eam disciplinam norit. Iam il-

la obiici SOLITA vox: Non habeo aliud, quo vivam: Districtius repercuti potest: Vivere ergo habes. Quid tibi cum Deo est? Si tuis legibus. Tum quod & de Scripturis audent argumentari, dixisse Apostolum, Vt quisque fuerit inventus, ita perseveret. Possumus igitur omnes in peccatis perseverare ex ista interpretatione. Nec enim quisquam nostrum non peccator inventus est, quum Christus non alia ex caussa descenderit, quam peccatorum liberandorum. Item eumdem praecepisse dicunt, secundum suum exemplum, ut manibus unusquisque operetur ad victum. Si hoc praeceptum ab omnibus manibus defenditur, credo & Aures & Aleatores manibus suis vivere, & ipsos latrones manibus agere, quo vivant. Item Falsarios utique non pedibus, sed manibus operari malas litteras. Histriones vero non manibus solis, sed totis membris, victum elaborare. Pateat igitur Ecclesia omnibus, qui manibus, & suo opere, tolerantur, si nulla exceptio est artium, quas Dei disciplina non recipit.... Si & praeceptum factae postea similitudinis respicis, & tu imitare Moysen, ne facias adversus legem simulacrum aliquod, nisi & tibi Deus iusserit. Si nulla lex Dei prohibuisset Idola fieri a nobis, nulla vox Spiritus Sancti fabricatoribus Idolorum non minus quam cultoribus comminaretur: de ipso sacramento nostro interpretaremur nobis adversas esse fidei eiusmodi artes. Quomodo enim renunciavimus Diabolo & angelis eius, si eos facimus? Quod repudium diximus iis, non dico cum quibus, sed de quibus, vivimus? Quam discordiam suscepimus in eos, quibus exhibitionis nostrae gratia obligati sumus? Potes lingua negasse, quod manu confiteris? Verbo destruere, quod facto struis? Vnum Deum praedicare, qui tantos efficis? Verum deum praedicare, qui falsos facis? Facio (ait quidam) sed non colo: quasi aliquam ob causam colere non audeat, nisi ob quam & facere non debeat, scilicet ob Dei offensam utrobique. Immo tu colis, qui facis ut coli possint. Colis autem non spiritu vilissimi nidoris alicuius, sed tuo proprio. Nec anima pecudis impensa, sed anima tua. Illis ingenium tuum immolas, illis sudorem tuum libas, illis prudentiam

tuam

„ tuam accendis. Plus es illis quam Sacerdos, cum per te habeant Sacerdotem. Diligentia tua numen illorum est. Negas te quod facis colere? Sed illi non negant, quibus hanc saginatiorem & auratiorem & maiorem hostiam caedis, salutem tuam. Tota die ad hanc partem zelus fidei perorabit ingemens, Christianum ab Idolis in Ecclesiam venire, de adversarii officina in domum Dei, attollere ad Deum Patrem manus matres Idolorum, his manibus adorare, quae foris adversus Deum adorantur, eas manus admovere corpori Domini, quae daemoniis corpora conferunt. Nec hoc sufficit. Parum sit, si ab aliis manibus accipiant, quod contaminent; sed etiam ipsi tradunt aliis, quod contaminaverunt. Adleguntur in ordinem ecclesiasticum artifices Idolorum. Proh scelus! Semel Iudaei Christo manus intulerunt; isti quotidie corpus eius lacessunt. O manus praecidendae! Viderit iam an per similitudinem dictum sit: Si te manus tua scandalizat, amputa eam. Quae magis amputandae, quam in quibus Domini corpus scandalizatur? Sunt & aliae complurium artium species, quae & si non contingunt Idolorum fabricationem, tamen ea, sine quibus idola nihil possunt, eodem crimine expediunt. Nec enim differt, an extruas vel exornes; si templum, si aram, si aediculam eius instruxeris; si bracteam expresseris, aut insignia, aut etiam domum, fabricaveris. Maior est eiusmodi opera, quae non effigiem confert, sed auctoritatem. Si ita necessitas exhibitionis obtenditur, habent & alias species, quae sine exorbitatione disciplinae, id est, sine Idoli confectura, opem victus praestent. Scit albarius Tector & tecta sarcire, & tectoria inducere, & cisternam liare, & cymatia distendere, & multa alia ornamenta praeter simulacra parietibus incrispare. Scit & Pictor & Marmorarius & AErarius, & quicunque Caelator, latitudines suas utique multo faciliores. Nam qui signum describit, quanto facilius abacum linit? Qui de tilia Martem exsculpit, quanto citius armarium compingit? Nulla ars non alterius artis, aut mater, aut propinqua est. Nihil alterius vacat. Tot sunt artium venae, quot hominum concupiscentiae. Sed de mercedibus & manus pretiis interest. Proinde interest &

„ de

„ de labore. Minor merces frequentiore actu repensatur. Quot
„ parietes signa desiderant; quot templa & aedes Idolis aedifi-
„ cantur? Domus vero & praetoria & balnea & insulae quan-
„ tae? Soccus & baxa quotidie deaurantur, Mercurius & Sera-
„ pis non quotidie. Sufficit ad quaestum artificiorum. Fre-
„ quentior est omni superstitione luxuria & ambitio. Lances
„ & scyphos facilius ambitio, quam superstitio, desiderabit.
„ Coronas quoque magis luxuria, quam solemnitas, erogat. Quum
„ igitur ad haec artificiorum genera cohortemur, quae Idolum
„ quidem, & quae Idolo competunt, non attingant: sunt autem
„ & hominibus communia saepe, quae & Idolis. Hoc quoque
„ cavere debemus, ne quid scientibus nobis ab aliquibus de
„ manibus nostris in rem Idolorum postuletur. Quod si con-
„ cesserimus & non remediis iam usitatis egerimus, non puto
„ nos a contagio Idololatriae vacare, quorum manus non igno-
„ rantium in officio vel in honore & usu Daemoniorum depre-
„ henduntur. „ Atque ita quidem *Tertullianus*, quae opifi-
cia ab Christianis, quae non, exercenda luculente indigitans
atque demonstrans. Opus enim, nisi honestum & bonum, facere
non debet Christianus; & ea tantum munera obire, & in ea opi-
ficia incumbere debet, quae Christianae virtutis excellentiam
praeferre valeant. Praeclare enim *Augustinus Libro De Opere
Monachorum*, de Apostolo manibus operante loquens, scribit:
*Verum scio, quod nec furtum faciebat, nec Effractor aut Latro
erat; nec Auriga, aut Venator, aut Histrio, nec Turpilucrus;
sed innocenter & honeste, quae apta sunt humanis usibus, operaba-
tur: sicut se habent opera Fabrorum, Structorum, Sutorum, Rustico-
rum, & his similia. Neque enim honestas ipsa reprehendit, quod
reprehendit superbia eorum, qui vocari honesti amant, sed esse non
amant. Non igitur dedignaretur Apostolus seu rusticum opus ali-
quod aggredi, seu in opificum labore versari. Quid enim ait?
Sine offensione estote Iudaeis & Graecis & Ecclesiae Dei. Quos
in hac causa revereri posset, ignoro. Si Iudaeos dixerit, Patriar-
chae pecora paverunt. Si Graecos, quos etiam Paganos dicimus,
etiam Philosophos, multum sibi honorabiles Sutores habuerunt. Si
Ecclesiam Dei, homo ille iustus & ad testimonium coniugalis sem-
per mansurae virginitatis electus, cui desponsata erat Virgo Ma-
ria,*

me, quae peperit Christum, Faber fuit. Quicquid ergo horum cum innocentia & sine fraude homines operantur, bonum est. Nam praecavetur hoc & ipse Apostolus, ne quisquam ex necessitate substentandae vitae in mala opera dilaberetur.

Iam quaedam superius opportune protulimus, ut *pag.* 89. 90. 91. videre est, quae quidem praesentem Dissertationem operi huic aptant atque connectunt; sicuti enim Capite superiore de vestibus egimus, quod praecedentium dictorum indoles & materia eam veluti sequacem & haerentem tractationem exposceret; ita modo de artibus, opificiis, & ministeriis, primitivorum Christianorum quaedam a me paullo curiosius adnotanda sunt, quod iam indicatam inceptamque disquisitionem continuent tractum, & explicent latius, & fortius confirment, & prorsus absolvant. Itaque pro supervacanea & inutili haec Digressio habenda non erit, quae pleraque eorum, quae luculente superius disputata sunt, amplius stabiliat, illustret, exornet. Ostendimus enim, primitivos Christianos, opifices, rusticos, & tractatores artium sordidarum, ut plurimum fuisse, quod adeo verum est, ut *Philip. Garbelus* Vir Eruditissimus, in Epistola ad *Iosephum Blanchinum* Virum Clarissimum, quae habetur in *Prolegomenis Evangeliarii Quadruplicis* ab eo editi, ita *pag.* 31. scripserit: *Quid agunt illa in urbe, in agris, per Italiam, servorum colluvies? Quid Propolae, Institores, Lanii, Fabri, Fullones, Sutores (ridiculus sim, si tot artes operasque ad censum vocare velim) uno verbo, quid tanta vilium capitum multitudo, Romae, in Coloniis, in Municipiis, ubique, tum & honestiorum hominum, quibus arcta res domi esset? Num & hi decuclae in ludo viverent, Graece loqui ut addiscerent? Et tamen ex iis VT PLVRIMVM primis illis fidei temporibus constabat Ecclesia, infirma mundi eligente Deo, ut sapientiam saeculi confunderet.* At non inutile & supervacaneum existimetur illud, reponat vitilitigator aliquis, quod notissimum, indubitatum, in confesso, apud omnes est, adspectuque primore intelligitur, ut est, Christianos veteres omnia illa munia obiisse, & artificia, & negocia, studiaque, exercuisse, sine quibus vita tolerari non potest; siquidem vivere, & inter alios homines versari, volebant? Verum quidem hoc est,

respondeo: sed gratum, & utile, non esse nequit, tot res diversas, tam varia opificia, ministeria dissimillima, simul colligere omnia, & singillatim in Christiano homine considerare; unde Ecclesiasticae Historiae non modicam lucem foenerari sit, & rerum a maioribus nostris gestarum vividiorem clarioremque memoriam efficere. Eam autem in hisce exponendis rationem inibo, ut non intra breves tantum duorum priorum Christianae Religionis saeculorum angustias memet contineam; sed & ad magni *Constantini* Caesaris aetatem & ultra late spatiatus excurram, ne vetustiorum monumentorum parcitate, breviorem, & steriliorem, quam par est, lucubrationem praestare compellar. Insuper ignobiles in praesens artes, & vilia sordidaque ministeria, percurram ut plurimum, egregia studia, & clara munera, splendidasque dignitates, alii tempori & loco reservaturus: illa enim modo antecedentibus disputationibus melius convenientiusque cohaerent. Id tamen totum quasi tumultuario ordine exsequar, non rerum adfinitatem & similitudinem persequens, sed seriem elementorum, canonem dicendorum, mihi praescribens.

§. I.

I. ACTORES. Rei dominicae procurationem sibi vindicabant in primis servi *Actores*; quare *Rabanus Maurus Lib. I. De Instit. Clericor. Cap. X.* scribit: *Quoniam enim Actor prudens, & bonus, scit quid sit domini sui census, & omnis substantiae modus, & redigit apud se totius possessionis instrumenta originalia*. Huiusmodi *Actores* iuxta *Iuvencum Libro III. Histor. Evang.* erant servi illi apud *Matthaeum Cap. XXI. 34. Marcum. Cap. XII. 2. Lucam Cap. XX. 10.* a patrefamilias missi ad colonos agricolas, ut vineti fructus perciperent.

Tum longinqua petit; sed fructus tempore certo
Actores famulos mittit, queis portio salva
Cultorum, certa iuris mercede, daretur.

Plu-

Plura de servis *Actoribus* videre est apud *Laur. Pignorium De Servis*, & *Sam. Pitiscum* in *Lexico*.

II. ACTVARII servi publici erant, qui aliorum verba, orationes, & acta, notis excipiebant. *Suetonius* in *Iulio*, *Capit. LV.* *Quam orationem non immerito Augustus existimat magis ab Actuariis exceptam, male subsequentibus verba dicentis, quam ab ipso editam*. Erant igitur servi publici, quibus Scribarum & Notariorum munus mandabatur. Dicuntur autem *Actuarii* ab actis, quibus scribendis dabant operam. Ceterum hoc munere servis interdixit *Arcadius L. Generali Cod. De Tab. Lib. X. Actuarii* tamen, quorum meminerunt Imperatores in *L. Actuarii*, & *L. Penult. C. De Eroganda milit. annon.* & *L. Actuarios C. De Num. & Actuar.* & *Novel. CVIII.* & alibi, Græcis ὑπομνηματοφύλακες, & ὑπομνηματογράφοι, sunt actorum Scriptores sive Custodes, quique belli acta, & numerorum militarium ratiocinia, pertractant; aliaque agunt, quae ex laudatis Legibus intelligi possunt. Horum quidam AErarii Comitum, *L. III. De diversis Officiis*; alii Palatinorum numerorum rationes tractabant, dicta *L. Actuarii*; alii Praefecti Praetorii, alii Scholae, de quibus dicta *Novell*, CVIII. *Actuarius* erat Christianus ille, cuius est Inscriptio apud *Muratorium pag.* MCMXVII. & *Io. Dominicum Bertolium* in *Antiquit. Aquileiens. pag.* 343. n. CCCCIC.

LAVTVS ACTOA
RIVS SCAE ECCL.
AQVIL · CVM SV
IS VOT. SOLVIT
SERVVS XPI
LVCINVS RO
MANA LVCIAN
NVS ET LVCIA
FECERVNT PC

Quemadmodum heic *AEsarius* pro *AEsarius* scribitur, ita in antiqua Inscriptione apud *Baronium in Notis ad Martyrolog.* VI. *KL. Aprilis*, & *Sam. Pitiscum in Lexico*, ACTARIVS legitur, eodem significatu.

III. AERARII. *Paternus L. ult. D. De Iure Immunit.* Fusores, qui aes fundunt, vocat simpliciter *AErarios*; sed in Codice Theodosiano *AErarii* a Fusoribus separantur. Illi enim sunt, qui ex aere plura fabricant, ut lebetes, cacabos, abena, & alia; vel ipsam etiam monetam excudunt, ut ex *M. Fabio Lib. II. Cap. ult.* liquet; Fusores vero, qui fundunt. *AErarii* autem *fusores*, fundebant aes, & conflabant aereas imagines. *AErarii* etiam milites dicebantur, quod stipendia facerent, ut *Varro Lib.* IV. de *L. L.* tradit. *AErarii* apud Romanos dicebantur quoque illi plebeii, qui ex albo suae Centuriae a Censoribus eximebantur, ut ad hoc essent cives tantum, ut pro capite suo tributi nomine *aera* penderent. Habebat igitur, qui *AErarius* fiebat, id quod erat odiosum & grave, ut tributum aeque ac alii cives penderet; quod autem iucundum & honorificum, ut honores, quorum cives reliqui participes erant, capere posset, eo carebat, ut scribit *Manut. De Comit. Cap.* III. Talis tamen non fuerit *Alexander* ille, quo de agit *Paullus Epist. II. ad Timoth. Cap. IV. v.* 14. sed *AErarius* faber & artifex. Verba *Paulli* sunt, quae sequuntur: Ἀλέξανδρος ὁ χαλκεὺς πολλά μοι κακὰ ἐνεδείξατο· ἀποδώη αὐτῷ ὁ κύριος κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ· ὃν καὶ σὺ φυλάσσου· λίαν γὰρ ἀνθέστηκε τοῖς ἡμετέροις λόγοις. *Alexander AErarius multa mala mihi ostendit: reddet illi Dominus secundum opera eius; quem & tu devita, valde enim restitit verbis nostris.* Hic forte ille *Alexander* est, quem una cum *Hymenaeo* Satanae *Paullus* tradidit, ut discerent non blasphemare, quod habetur I. *ad Timoth. Cap. I. v.* 20. Hic idem quoque esse videtur, quo de agit *Lucas Cap.* XIX. *Actor. v.* 33. qui detractus de turba, & propellentibus Iudaeis, manu silentio postulato, volebat reddere rationem populo Ephesino, qui *Demetrio* Argentario impulsore, turbas adversus *Paullum* & comites excitatis tumultuabat. Hic autem Iudaeus erat, & in sana doctrina non perstitit. De huiusmodi Aerariis agit *Tertullianus De Idololatria*, cuius verba superius *pag.* 181. protulimus.

IV. A-

IV. AGRICOLAE. Apostolorum quosdam *Agricolas* fuisse, traditum esse a quibusdam, & *Iudam* atque *Iacobum* praecipue, observabamus superius *pag.* 64. 69. Eamdem artem exercuere *Iudae* Apostoli nepotes, avitum exemplum imitantes, prout docuimus in antecessum *pag.* 65. 91. 102. 103. Alios autem primitivos Christianos terrae laborandae incubuisse, patet ex iis, quae supra *pag.* 90. 91. tradidimus. In *Actis S. Theodoti Ancyrani* apud *Ruinartium* §. XXXII. scribitur: *Advenit autem eodem, iuxta condictum, ex vico Malo Presbyter Fronto, ferens annulum Sancti Martyris, quem dederat ei reliquiarum caussa, habens etiam secum immensum vino onerati onagrum. Agriculturam enim exercet egregius iste vir.* An eam quoque exercerent sancti illi Martyres, quos *Eusebius Lib.* VII. *Histor. Eccles. Cap.* XII. in agro vitam transegisse ait; *Rufinus* vero *Lib.* VII. *Hist. Eccles. Cap.* II. in *agello habitasse* scribit; non adeo compertum & exploratum mihi est, ut adfirmare ausim: sed mihi vero non absimile quidem videtur. Verba *Eusebii* sunt: Κατὰ δὲ τὸν δηλούμενον Οὐαλεριανοῦ διωγμὸν, τρεῖς ἐν Καισαρείᾳ τῆς Παλαιστίνης τῷ κατὰ Χριστὸν διαλάμψαντες ὁμολογίᾳ, θείῳ κατακοσμηθέντες μαρτυρίῳ, θηρίων γεγόνασι βορά. τούτων ὁ μὲν Πρίσκος ἐκαλεῖτο· ὁ δὲ Μάλχος· τῷ δὲ τρίτῳ Ἀλέξανδρος ὄνομα ἦν· Τούτους φασὶ κατ' ἀγρὸν οἰκοῦντας κ.τ.λ. *Porro in hac Valeriani persequutione, tres viri post insignem Christi confessionem, apud Caesaream Palaestinae ad bestias damnati, divino Martyrio coronati sunt. Horum unus dicebatur Priscus, alter Malchus, tertius autem Alexander. Qui quum in agro degerent, &c.* Idem dicendum videtur de *Fabiano* Romano Pontifice, de quo idem *Eusebius Libro VI. Cap. XXIX.* haec scriptis mandavit: Ἐξ ἀγροῦ φασὶ τὸν Φαβιανὸν μετὰ τὴν Ἀντέρωτος τελευτὴν ἅμ' ἑτέροις συνελθόντα ἐπιχωριάζειν τῇ Ῥώμῃ. *Hunc Fabianum post Anteratis mortem una cum aliis familiaribus suis Romam ex agro venisse dicunt, atque illic degentem, &c.* *S. Augustinus De Opere Monachorum*, opus rusticum exercere etiam ipsos Apostolos docuisse, docet, cuius verba protulimus superius *pag.* 182. Et certe agriculturam facere Christianos maxime decet, quam in sacris litteris adeo commendatam vident, ut agricolarum & agriculturae comparationibus, &

exemplis, & allegoriis, frequenter utantur. Deus agricola est, dicente Domino apud *Ioannem Cap. XV. v. 1. Ego sum vitis vera, & Pater meus agricola est*. Christiani vero, qui palmites sunt, sunt etiam Dei agricultura, scribente Apostolo I. *Corinth. Cap. III. v. 9. Dei agricultura estis*. Egregie *Cyrillus* in *Catena in Ioannem*, ad locum adductum: Γεωργὸν δέ φησι τὸν πατέρα· οὐδὲ γὰρ ἄπρακτος εἰς ἡμᾶς ὁ πατήρ, ἐκτρέφοντός τε καὶ συνέχοντος εἰς τὸ εἶναι καλῶς τοῦ Υἱοῦ ἐν ἁγίῳ Πνεύματι· ὅλης δὲ ὥσπερ τῆς ἁγίας καὶ ὁμοουσίου Τριάδος ἔργον ἐστὶν ἡ τῶν καθ' ἡμᾶς ἐπανόρθωσις. *Agricolam autem Patrem adpellat, non enim circa nos otiosus est, dum Filius nos nutrit ac fovet in Spiritu Sancto: sed totius Sanctae & Consubstantialis Trinitatis opus nostra est instauratio*. Praeclara autem habet *Ioannes* in *Apocalyps. Cap.* XIV. ubi tradit Filium hominis in manu sua habuisse falcem acutam, qua terra demessa est, quod messis terrae aruisset; item Angelum falce acuta instructum fuisse, & vindemiasse vineam terrae, quod uvae eius maturae essent, & misisse in lacum irae Dei magnum. Ministri quoque Ecclesiae vocantur *Agricolae*, ut *Matth.* XXI. 33. *Marci* XII. 2. *Lucae* XX. 9. videre est, quod *Apostolus* I. *Corinth.* III. eleganti comparatione confirmat. Hinc non mirum, si agriculturae exercitium Clericis numquam fuerit interdictum, ut ex Presbyteri *Frontonis* exemplo comprehendimus; & ex Canone LII. Concilii Carthaginiensis IV. luculentius elucet, qui refertur a *Gratiano Distinct.* XCI. *Cap. Clericus*, atque ita habet: *Clericus victum & vestimentum sibi, artificiolo vel agricultura, absque officii sui dumtaxat detrimento, praeparet*. Non alio fortassis respexit D. *Ambrosius Lib.* I. *Officior. Cap.* XXXVI. illis verbis: *Etenim si is, qui Imperatori militat, a susceptionibus litium, actu negociorum forensium, venditione mercium, prohibetur humanis legibus; quanto magis qui fidei exercet militiam, ab omni usu negociationis abstinere debet, agelluli sui contentus fructibus, si habet: si non habet, stipendiorum suorum fructu?* Nil dicam de AEgyptiis Monachis, de quorum monasterio quodam, in quo erant trecenti Monachi, agens *Palladius*, eorum alium, ait, laborasse in agro colendo, alium in horto. *Serapion* vero, qui mille Monachis praeerat, eos messis tempore mercede conductos ad demetendas

das fruges mittebat, ut si minus agricolas agerent, agricolarum vices opera locata aliquando subirent, ut *Palladius* idem in *Vitis Patrum* tradidit, & *Sozomenus Lib.* III. *Cap.* XXVIII. confirmat. *Cassianus* autem *Lib. X. De Instit. Monachorum Cap.* XXIV. litteris mandavit, *Paullum* Abbatem hortum modicum coluisse, & ex eo Palmarumque fructibus victum quaesivisse. Hinc D. *Hieronymus* in *Epistola ad Rusticum* Monachum scribit: *Cur tu in usus tuos cessura non praepares? Vel fiscellam texe iunco, vel canistrum lentis plecte viminibus: sarriatur humus: areolae aequo limite dividantur; in quibus, quum olerum iacta fuerint semina, vel plantae per ordinem positae, aquae ducantur irriguae, ut pulcherrimorum versuum spectator adsistas:*

Ecce supercilio clivosi tramitis undam
Elicit, illa cadens raucum per levia murmur
Saxa ciet, scatebrisque arentia temperat arva.

Inserantur infructuosae arbores vel gemmis, vel surculis; ut parvo post tempore laboris tui dulcia poma decerpas. Apum fabricare alvearia, ad quas te mittunt Salomonis Proverbia; & monasteriorum ordinem, ac regiam disciplinam, in parvis disce corporibus. Texantur & lina capiendis piscibus: scribantur libri: ut & manus operetur cibum, & animus lectione saturetur. Agricolae Christiani Epitaphium profert *Raph. Fabrettus Cap.* VIII. pag. 574. ita:

LEONI IN PA
CE QVI VIXI
T ANNIS XXX

In medio est figura recta hominis tunicati & ocreati, dextra rastellum tenentis. Iuxta a dextris est bipalium, & runco, seu falx; a sinistris canis, & arbos. De Agricolis Christianis eleganter *Prudentius Lib. II. Contra Symmachum*,

Vii-

Vidimus & veris reditu, & ratione colendi
Exercere novum non poenitet, & lapis illic
Si steterit antiquus, quem cingere sueverat error
Fasciculis, vel Gallinae pulmone rogare,
Frangitur, & nullis violatur Terminus extis.
Et quae fumificas arbor vittata lucernas
Servabat, cadit altrici subcisa bipenni.
Nec tamen idcirco minor est, aut fructus agelli,
Aut tempestatis clementia laeta serenae,
Temperat aut pluvius qui culta novalia, ventus.
Sed nec magno opus est frugi viventibus, & quum
Maxima proveniunt, non amplo in gaudia sensu
Solvimur, neque lucrum studio exsultamus avaro.
Nam quibus aeternum spes informatur in aevum
Omne bonum tenue est, quod praesens ingerit aetas.
O felix nimium sapiens, & Rusticus idem,
Qui terras animumque colens, impendit utrisque
Curam pervigilem, quales quos imbuit auctor
Christus, & assumtis dedit haec praecepta Colonis
Semina quum sulcis committitis, arva cavete
Dura lapillorum macie, ne decidat illic
Quod seritur, primo quoniam praefertile germen
Luxuriat, succo mox deficiente sub aestu
Sideris ignifero sitiens torretur, & aret.
Neve in spinosos incurrant semina vepres:
Vepres nam segetem surgentem vincula texunt,
Ac fragiles calamos nodis rubus arctat acutis.
Et ne tacta viae spargantur in aggere grana,
Haec avibus quia nuda patent, passimque vorantur,
Immundisque iacent foeda ad ludibria Corvis.
His Deus Agricolam confirmat legibus, ille
Ius coeleste patris non summa intelligit aure:
Sed simul & cordis segetem disponit, & agri,
Ne minus interno niteant praecordia cultu,
Quam quum laeta suas ostentant iugera messes, &c.

Christianorum Rusticorum vota ad Sancti *Felicis* tumulum prae-

clare

clare de more suo refert D. *Paullinus Poemat.* XVIII. alias XXI. illis versibus:

—— Videas etiam de rure Colonos,
Non solum gremio sua pignora ferre paterno,
Sed pecora aegra manu saepe introducere secum,
Et Sancto quasi conspicuo mandare licenter;
Moxque datam sua confisos ad vota medelam
Experto gaudere Deo, &c.

Deinde festivum iucundumque exemplum Rustici, cuius boves abacti fuerant, quosque mox reduces a Sancto *Felice* votis & querelis onerato recepit, eleganter narrat, cuius rei historia festivissima tota huc transcribenda esset, nisi spatiis iniquis excluderer, & brevitati consulerem. Piorum etiam Agricolarum exempla prodit *Poemate* XX. & magnum Agricolarum decus & incrementum sunt Sancti illi Martyres, de quibus *Gregorius Lib.* III. *Dialog. Cap.* XXVII. ita scribit „ „ Ante hos ferme annos quindecim, sicuti hi testantur, qui „ interesse potuerunt, quadraginta Rustici, a Langobardis ca- „ pti, carnes immolatitias comedere compellebantur. Qui quum „ valde resisterent, & contingere cibum sacrilegum nollent, „ coepere Langobardi, qui eos tenuerant, nisi immolata co- „ mederent, mortem eis minari. At illi aeternam potius vi- „ tam, quam praesentem ac transitoriam, diligentes, fideliter „ perstiterunt, atque in sua constantia simul omnes occisi sunt. „ Vide HORTVLANI · OLITORES · RVSTICI · VINITORES ·

V. ALIPTAE Graece dicebantur servi, qui dominum lavantem ungebant, quique Latine *Unctores* & *Ministri ungendi* vocabantur. *Aliptae* officium implebat ancilla illa *Crescentia*, cuius nomen cum Christi monogrammate in strigilis ligula inscriptum se vidisse, testatur *Laur. Pignorius De Servis*; quaeque ideo *Unctrix* dicenda esset: nisi forte *Crescentia* dominae nomen est. Ancillarum enim opera utebantur in balneis honestae matronae; quare *Alcimus Avitus Lib.* VI. *Cap.* XXII. ita de *Susanna* cecinit:

Ecce

Ecce autem viridis per mollia gramina luci
Susanna ingreditur, famulis comitata duabus,
Quas smigma atque oleum iubet ad se adferre, forasque
Destinat imprudens:

Balneorum usus erat frequens apud antiquos, tam Gentiles, quam Christianos, ut diserte indicat *Tertullianus De Idololatria*, cuius verba producta sunt superius *pag.* 178. Vide infra BALNEATORES.

VI. ALTORES, Graece Ϙοφεῖς, iidem sunt ac Nutritores, Educatoresque. *Ausonius ad Paullinum*.

——— Ego sum tuus Altor, & ille
Praeceptor primus, primus largitor bonorum,
Primus in Aonidum qui te collegia duxi.

Vide infra NVTRICES · NVTRITORES.

VII. ALVMNI & COLLACTANEI sunt, qui eamdem Nutricem simul bibunt, ut loquitur *Apuleius Lib. II. Metamorphoseon*. Ii vero quasi ministrare dici poterant. *Hieronymus Epistola ad Furiam: Nec procurator calamistratus, nec formosus Collactaneus, nec candidulus & rubicundulus adsecla, adhaereat lateri tuo*. Inscriptio apud *Marangonium* in *Acta Sancti Victorini*:

CAES.
PRAEPONTIANVS
CAES · DIVSTINO · ALVMNO
FECERVNT IN PACE

Alia apud eumdem.

AVRELIVS AGAPITVS ET AVRELIA
FELICISSIMA ALVMNE FELICITATI
DIGNISSIMAE QVE VICSIT
ANIS XXX ET VI
EPPETE PROCEISNIANVS CONIVGEM.

Grae-

Graece *σύντροφοι* dicebantur. Dicuntur quoque Alumni respectu Nutricum & Nutritorum, quales forte sunt, qui in adlatis Inscriptionibus memorantur; Graece *θρέμμοι*. Vide inferius COLLACTANEI. NUTRICES. NUTRITORES.

VIII. ANCILLAE. Prima, quae occurrit inter Christianos *Ancilla*, *Rhode* est, Latine *Rosa*, quae, *Petro* de carcere ab Angelo liberato, & pulsante ostium domus *Mariae* matris *Ioannis*, qui cognominatus est *Marcus*, processit ad audiendum, & *ut cognovit vocem Petri, prae gaudio non aperuit ianuam, sed intro currens nunciavit, stare Petrum ante ianuam*, ut habetur *Actor. Cap. XII. vers.* 13. Graeca verba sunt: *Κρούσαντος δὲ τοῦ Πέτρου τὴν θύραν τοῦ πυλῶνος, προσῆλθε παιδίσκη ὑπακοῦσαι, ὀνόματι Ῥόδη κ. τ. λ.* Vulgatus Interpres habet: *Puella nomine Rhode*; sed *παιδίσκη* hoic *Ancillam* significare, probabilius videtur, *Fromondo* & *Calmetio* adstipulantibus. Et profecto Evangelistae, quum famulam & ancillam significare voluerunt, vocabulo *παιδίσκη* usi ut plurimum sunt, prout videre est, ubi de ancilla *ostiaria*, quam *παιδίσκην τὴν θυρωρὸν* vocant, agunt, *Matth. XXVI.* 69. *Marc. XIV.* 66. *Luc. XXII.* 56. *Ioann. XVIII.* 17. Immo *Lucas XII.* 45. habet illud: *καὶ ἄρξηται τύπτειν τοὺς παῖδας καὶ τὰς παιδίσκας*: *& coeperit percutere servos, & ancillas*. Quum autem superius *pag.* 89. 90. 93. 111. ostenderimus, multos primitivorum Christianorum servos fuisse; consectarium quoque est, multas inter eos Ancillas exstitisse. Item quum servi varia ministeria apud dominos suos haberent, mirum non est, si Christiana *Ancilla Ornatrix* occurrat in vetusta Inscriptione apud *Muratorium pag.* CCCCIX. 2. quamquam hoc monumentum saeculi V. esse cognoscitur, referrique ad annum CCCCLVI. fortassis potest.

GNOME · PIERINIS
ANCILLA·ORNATRIX
ELATA EST AD V KFI
BRUARIAS IMP CAESA
R XII. IMP. AVITO SILISMIQ COS.

Ornatrices Puellae & Ancillae dicebantur, quae mulieribus comas exornabant, & de quibus agit *Ulpianus L. XLIX. D. De Legatis III. Item mancipia alia: puellae fortassis, quae sibi comas mulieres exornent. Marcianus L. LXV. D. eod. Ornatricibus legatis, Celsus scripsit, eas, quae duos tantum menses apud Magistrum fuerunt, legato non cedere: alii & has cedere, ne necesse sit nullas cedere: quum omnes adhuc discere possint, & omne artificium incrementum recipit*. Hinc patet, eas tradi consuevisse Magistris, ut ediscerent ornandi artificium. Hos Magistros indicare videtur *Tertullianus De Cultu Feminarum Cap. VII.* ubi scribit: *Frustra laboratis ornatae videri, frustra peritissimos quosque structores capillaturae adhibetis*. Artificium hoc describit idem *Tertullianus*, cuius locum in medium adduxi superius *pag.* 128. & *pag.* 131. 167. observavi tempestive, luxum inter Christianos iam saeculo II. & III. irrepere coepisse. Qui plura de Ancillis ornatricibus desiderat, adeat *Laurent. Pignorium De Servis*, & *Sam. Pitiscum*, voce *Ornatrix*; & eadem voce *Io. Calvinum* in suo *Lexico Iuridico*. Christianas *Ancillas* quasdam *Ministras* commemorat *Plinius* in πολυθρυλλήτῳ *Epistola ad Traianum Lib. X. Epist. XCVII.* de Christianis ita scribens: *Adfirmabant autem, hanc fuisse summam vel culpae suae, vel erroris, quod essent soliti stato die ante lucem convenire: carmenque Christo, quasi Deo, dicere secum invicem: seque sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria, committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent, quibus peractis morem sibi discedendi fuisse: rursusque coeundi ad capiendum cibum, promiscuum tamen & innoxium: quod ipsum facere desiisse post edictum meum, quo secundum mandata tua hetaerias esse vetueram. Quo magis necessarium credidi, ex duabus Ancillis, quae MINISTRAE dicebantur, quid esset veri & per tormenta quaerere. Sed nihil aliud inveni, quam superstitionem pravam & immodicam, ideoque dilata cognitione ad consulendum te decurri, &c.* MINISTRAE, quae hic memorantur, Ancillae erant, quibus cura conviviis Christianorum ministrare; postquam enim *Plinius* de conviviis mentionem fecit, statim de Ancillis *Ministris* quoque egit. *Ministri* siquidem, quum de conviviis agitur, est legitima & iusta servorum

cri-

tricliniariorum nomenclatura, ut apud *Laur. Pignorium De Servis, & Sam. Pitiscum* in *Lexico* videre est. Cura autem penus & triclinii, tam apud servos, quam apud Ancillas, fuit: quare *Virgilius I. AEneidos:*

> *Quinquaginta illi Famulae, quibus ordine longam*
> *Cura penum struere.*

Liviae legimus fuisse Ministram ab argento potorio, nec absurdum videtur miscuisse illi mulierem, & stetisse ad cyathum & urnam. Ut quid enim Romana Iuno caelestem Iunonem non aemularetur, cui formosa Herculis uxor (ut canit Iuvenalis) fuit ad cyathos? Et hoc munere apud Herodem Sophistam functa puella est, ut scribit in eiusdem Vita Philostratus; quae verba sunt *Pignorii De Servis* commentantis. Hinc cura convivii *Ministerium quotidianum* apte & proprie dicitur ab Vulgato Interprete *Cap. VI. Actor. Apostolorum*, ubi *Lucas* scribit: *In diebus illis crescente numero Discipulorum, factum est murmur Graecorum adversus Ebraeos, eo quod despicerentur in Ministerio quotidiano viduae eorum. Convocantes autem Duodecim multitudinem Discipulorum, dixerunt: Non est aequum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis.* In Graeco contextu habetur: *ἐν τῇ διακονίᾳ τῇ καθημερινῇ*, & *διακονεῖν τραπέζαις*, quare viduae illae *Diaconissae* fuerunt, & dicebantur: *Ministrae* videlicet, sicut illae Ancillae, quarum meminit *Plinius*. Apostoli enim primum, communem huiusmodi Ministras adhibendi usum sequuti fuisse videntur; ac deinde iusta orta occasione mares Diaconos, seu Ministros, earum loco substituerunt. Hinc usus Diaconissarum antiquissimus, & ipso religionis exortu coaevus, intelligatur. Quin ipse *Paullus* Apostolus *Ad Roman.* XVI. 1. commendat *Phoeben*, *οὖσαν διάκονον τῆς ἐν Κεγχρεαῖς ἐκκλησίας*, *quae erat Diaconissa Ecclesiae Cenchreensis*. *Ignatius* Martyr in *Epistola ad Antiochenos* salutat *τὰς ἐν Χριστῷ διακόνους*, *in Christo Diaconissas*. Apud *Theodoretum Histor. Eccles. Lib.* III. *Cap.* XIV. *Publia*, quae *Iuliani* tempore vixit, vocatur *Diaconissa διάκονος*. *Nectariae* cuiusdem *Diaconiae* dignitatae mentionem facit *Sozomenus Lib.* IV. *Histor. Eccles. Cap.* XIV. *in fine*,

ut locum restituit *Iustellus*. Hinc ducet, Ancillas illas, *Ministras Plinio* dictas, in Graeca regione, nonnisi *Diaconissas διακόνους*, Christiano more, & Graeco sermone, adpellari potuisse. Ceterum fatendum est, progressu temporis, alus officiis & ministeriis Diaconissas in Ecclesia functas fuisse, quam initio exercerent, ut apud Scriptores Ecclesiasticos videre est; & nos quaedam de *Diaconissis* delibavimus superius *pag.* 95. Sed ut ad *Ancillas* generaliter redeam, Christianae Ancillae meminit *Hermas Lib. I. Pastoris Visio. I.* scribens: *Qui nutriverat me, vendidit quandam puellam Romae. Post multos autem annos hanc visam ego recognovi, & coepi eam diligere, ut sororem.* Sancta & invicta Martyr *Blandina*, cuius triumphos decantat Epistola Ecclesiarum Viennensis & Lugdunensis apud *Eusebium Lib. V. Histor. Eccles. Cap. I.* Ancilla erat, & eius *σαρκίνη δέσποινα*, Martyr & ipsa gloriosa, in iisdem litteris memoratur, quae *τὰ παρὰ ἀνθρώποις ἀειδῆ, καὶ εὐτελῆ, καὶ εὐκαταφρόνητα φαινόμενα μεγάλης καταξιοῦσθαι παρὰ Θεῷ δόξης*, in Ancilla sua mirata est. Sancta *Potamiaena* Aegyptia, cuius martyrium describitur ab *Eusebio Lib. VI. Cap. V.* & a *Palladio* in *Hist. Lausiaca*, impudici incontinentisque domini Ancilla fuit, cuius libidini obsequi quum denegaret, ab eo tamquam Christiana delata, Iudicis sententia in lebetem picis ferventis demissa, martyrium gloriose consummavit. In Epistola *Theodori* Episcopi Iconii, qua declaratur Martyrium S. *Cyriaci*, & eius matris *Iulittae*, duae Ancillae Sanctae Martyris recensentur, quibuscum & filio ipsa fugit; quaeque tandem, ea comprehensa, fugam adripuere, atque heram dereliquerunt. Eaedem tamen post peractum a beatis Martyribus agonem, postridie subtracta noctu cadavera, procul deposita humo condiderunt, in Tarsi urbis agro. Ad *Constantini* autem tempora superstes Ancillarum altera locum prodidit; tuncque fideles eum celebrarunt, & divinis honoribus adfecerunt. *Theophila* Ancilla memorari videtur in Inscriptione apud *Aringhum Lib. III. Romae subterran. Cap. XXII.* quae quum Latine sit Graecis litteris exarata est, atque ita habet, [illegible]

ΘΗΚ ΓΟΡΔΙΑΝVC
ΓΑλλΗΕ ΝVΝΚΗVC
ΙVΓVλΑΤVC ΠΡΟ
ΦΗΔΕ CVΜ ΦΑ
ΜΗλΗΑ ΤωΤΑ
QVΗΕϹCVΝΤ ΗΝ
ΠΑCΕ ΗΘΦΝλΑ
ΑΝCΗλλΑ ΦΗCΙΤ.

Hoc est: *Hic Gordianus Galliae Nuntius iugulatus pro fide cum familia tota quiescunt. Theophila ancilla fecit.* Subspectam habet hanc Inscriptionem *Reinesius*; sed ex iis, quae *Aringhius* refert, genuinam ipse putaverim. Quid vero de Ancillis sacris illis virginibus dicam, de quibus *D. Ambrosius Lib.* I. *De Virginibus* scribit: *Ex ultimis infra ultraque Mauritaniae partibus deductae virgines hic sacrari gestiunt: & quum sint omnis familiae in vinculis, pudicitia tamen nesciit esse captiva. Profitetur regnum aeternitatis, quae moeret iniuriam servitutis?* Vide superius ALIPTAE. ALVMNAE. & inferius NVTRICES. SERVI. &c.

IX. APPARITORES. Sic modo lubet adpellare eos milites, quorum munus erat sententiam Iudicis in damnatos exsequi, qualis erat *Basilides* ille, qui *Eusebio Lib. VI. Cap. V.* εἷς τις ὢν τῶν ἐν στρατείαις ἀναστρεφομένων dicitur, vertiturque ab *Henr. Valesio*, *unus ex Apparitoribus*; quamquam *Rufinus* vertit, *unus ex his, quibus implere Speculatoris officium mos est.* Vno tamen *Apparitorum* nomine, multi olim veniebant, omnes scilicet, qui *Appariturams* Magistratibus faciebant, Scribae, Accensi, Interpretes, Praecones, Viatores, Lictores, Servi publici, Carnifices: erant autem ex libertis & libertinis Magistratuum, quibus adparebant. Hic vero *Basilides*, Spiculator vel Carnifex iuxta *Rufinum* fuisse dicendus est, licet miles dicatur, quando beatam *Potamiaenam* Aegyptiam ἅμα λόγῳ τὴν τῆς ἀποφάσεως ὅρον κατακεκριμένην ἀπάγει, παραλαβὼν τὴν ἐπὶ θανάτῳ:

pro-

protinus Iudicis sententia damnatam ad supplicium abducit; cuiusmodi quoque fuisse videntur milites illi, qui *Christum* Dominum crucifixerunt, apud *Evangelistas*. Cum vero vulgus *Potamiaenam* vexare, & obscoenis verbis illudere ei, conaretur, *Basilides* quidem eos, qui contumeliam virgini faciebant, absterrens propellebat, multaque misericordiae & humanitatis erga illam praebebat indicia. Illa vero benignitatem hominis erga se libenter amplectens, bono animo eum esse iussit: se namque post obitum salutem ipsius a Domino impetraturam, & collata in se beneficia brevi remuneraturam esse. Et quidem morte obita, tertio post martyrium die, *Potamiaena* noctu ei adstitit, & coronam capiti eius imposuit dicens, se ipsius caussa Dominum orasse, atque id, quod petierat, impetrasse: nec diu postea ipsum ad superos migraturum. Itaque paullo post, quum ob nescio quam caussam *Basilides* a contubernalibus suis sacramento adigeretur, nefas sibi esse adfirmavit omnino iurare; quippe Christianum se esse, idque palam profiteri. Quare ad iudicium perductus fuit, & Christum gloriose confessus, capite truncatus est. *Tillemontius* putat, *Basilidem* nonnulla Christianae legis cognitione antea imbutum fuisse, quum *Origenis* discipulus esset; sed repugnat *Valesius* in *Adnotationibus*, at nequicquam fortassis.

X. ARCARII. *Paullus Apostolus Cap. ult. Epistolae ad Romanos vers. 23. Salutat vos Erastus Arcarius Civitatis*. Ἀσπάζεται ὑμᾶς Ἔραστος ὁ οἰκονόμος τῆς πόλεως. *Arcarius* erat publicae *Arcae* custos; quare in antiqua Inscriptione occurrit FELIX ARK. REIP. NEAPOLITANORVM. Cui etiam Arcae, in qua domini pecunia condita erat, procuratio committebatur *Arcarius* erat. *Scaevola* in *L. XLI. §. XVII. D. De Fideicom. Libert. Stichus Arcarius probante domino nomina fecit, & rationes a domino scriptas exhibet*. Hi libertini erant in familia Palatina; sed servi in privata. Hic Arcarius igitur, seu Oeconomus Civitatis, forte subpar erat Praefecto Aerarii. Consulendi *Sam. Pitiscus*, *Io. Calvinus*, *Caspar Suicerus*, in suis *Lexicis*; apud quos aliae *Arcariorum* species. *Theodoretus* ad illum Apostoli locum: οὐ τῆς ἐκκλησίας αὐτὸν οἰκονόμον καλεῖ, ἀλλὰ τῆς πόλεως, ὡς ἀνδραποδ-

ὄν τινὰ πάντως πεπιστευμένον. *Non adpellat eum Ecclesiae Oeconomum, sed Vrbis, ut cui procuratio quaedam prorsus credita fuerat.* *Theophylactus* exponit ὁ διοικητὴς ὁ προνοητὴς τῆς πόλεως Κορίνθου. *Gubernator, Procurator, Vrbis Corinthi.* *Erasmus* vertit *Quaestor aerarii*. *Theod. Beza, Procurator Vrbis:* Sed omnium optime vetus Interpres, *Arcarius*. Arca vero a *Loculis* diversa est, quare *Iudas* qui a *Loculis* fuerat, Arcarius dici non potest. *Ioannes Cap. XII. Dixit autem hoc (Iudas) non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, & LOCVLOS habens, ea, quae mittebantur, portabat.* In Graeco contextu *Loculi* dicuntur τὸ γλωσσόκομον. Arcarius sanctae Sedis Apostolicae memoratur in Inscriptione apud *Fabrettum pag.* 758.

DE DONIS DI̅ ET BEATI PAVLI APOSTOLI·
DOMETIVS DIAC. ET
ARCARIVS SCA̅E · SED. APOSTOL. ADQVE
P̅P̅. VNA CVM ANNA
DIAC. EIVS GERMANA HOC VOTVM BEATO
PAVLO OPTVLERV̅T

XI. ARCHITECTI. Architectonicen μεταφορικῶς *Paullus I. Corinth. Cap. III.* adhibet, operae suae, studii, ac laboris, in Ecclesia Corinthi instituenda, comparationem & similitudinem quamdam inducens. Postquam enim Corinthiis, Dei eos esse aedificationem οἰκοδομίαν dixit, subdidit: *Secundum gratiam Dei, quae data est mihi, ut sapiens Architectus fundamentum posui: alius autem superaedificat.* Quum Christiani primis saeculis Ecclesias & templa & sacras aedes haberent, non obstante persequutionum atrocitate, & eas quidem, ut verosimile est, frequentes, in Vrbe qualibet videlicet, in Castellis, Municipiis, Vicis; quis sibi persuadeat, nullum inter eos fuisse, qui Architectonices aliquatenus consultus eas excitaret atque construeret. Et certe Ecclesias primis illis temporibus, in quas convenirent, Christianos habu-

isse, adeo exploratum est, ut de hoc dubitare nemo rationabiliter possit; & subficit consulere *Ios. Binghamum Tom. III. Orig. Eccles. Lib.* VIII. *Cap.* I. §. XIII. *& seqq.* Licet enim *Origenes Lib.* VIII. *contra Celsum*, *Minutius Felix* in *Octavio*, *Arnobius Lib. VI. Adversus Gentes*, *Lactantius Lib.* II. *&* VI. *Divin. Instit.* *Prudentius Adversus Symmachum Lib.* II. haud inficiari, imo concedere, videantur obiicientibus Gentilibus, nulla Christianos templa construere, in quibus Deo faciant, ritusque ac ceremonias absolvant; non tamen id vere ab eis concedi & adfirmari, liquido patet: sed ut liberaliter tantum cum iis agant. Nam etsi verum esset, nullas aedes ac templa Christianos ad venerationis officia aedificare, tamen illa habere supervacaneum & inutile esset, quum Divinitas parietibus ac muris non circumscribatur, sed ubique praesto sit. Vel se templa non habere fatebantur, quod Ecclesias nomine templorum minime nuncuparent, quod observant eruditi Editores ad *Lib. I. Tractatum V. S. Zenonis* §. *VIII. Adnot.* 26. qui in *Adnot. VI. ad Tract. XV.* ita scribunt: *Quum ergo Patres antiqui Christianis templa esse negabant, non negabant his esse certa loca, in quibus sacros coetus agerent . . . . at haec loca in quibus collectae fierent, pro templis non habebant, quibus Deus, perinde ac Idola gentium, indigeret; sed tamquam mera loca hominibus congregandis idonea considerabant, unde conciliabula, non templa, S. Zeno satis commode illa vocavit.* Aliter respondet *Thom. Mar. Mamachius Lib. I. Orig. & Antiquit. Christianor. Cap.* III. §. XVI. n. II. censetque, antiquos Christianos occultare voluisse ea, quae ad Ecclesias, altaria, sacraque, nostra pertinerent, ne Ethnicis harum rerum imperitis nos irridendi occasionem praeberent; adeoque illa de Deo ubique locorum praesente disputasse. Vel tantummodo negabant, eiusmodi templa se habere, cuiusmodi Gentiles iactabant, & ritibus similibus destinata; alias enim auctores illi sibi ipsi mirifice contradicerent, quum alibi Ecclesiarum, sacrarumque aedium, diserte meminerint. Exstat vero id perspicue ac praecipue ex *Prudentio*, qui quum *Symmacho* ferme eadem *Libro* II. responderit, atque *Origenes*, *Arnobius*, & *Lactantius*, aliis Gentilibus, illis versibus:

Cae-

—— Caementa remitte,
Et quae saxa Paros secat, & quae Punica rupes,
Quae viridis Lacedaemon habet, maculosaque Synna;
Nativum nemo scopuli mihi dedicet ostrum,
Templum mentis amo, non marmoris ——

in *Agone* tamen *Hippolyti* templum ei dicatum ita describit:

Angustum tantis illud specus esse catervis,
Haud dubium est, ampla fauce licet pateat,
Stat sed iuxta aliud, quod tanta frequentia templum
Tunc adeat, cultu nobile regifico,
Parietibus celsum sublimibus, atque superba
Maiestate potens, muneribusque opulens.
Ordo columnarum geminus laquearia tecti
Substinet auratis subpositus trabibus..
Adduntur graciles tecto breviore recessus,
Qui laterum series iugiter exsinuent.
At medios aperit tractus via latior alti
Culminis, exsurgens editiore apice.
Fronte sub adversa gradibus sublime tribunal
Tollitur, Antistes praedicat unde Deum, &c.

Alia quoque duo splendida templa *Petri* & *Paulli* Apostolorum museis coloribus pingit in eorumdem *Apostolorum Passione*:

Dextra Petrum regio tectis tenet aureis receptum, &c.
Parte alia titulum Paulli via servat Ostiensis
Qua stringit amnis cespitem sinistrum.
Regia pompa loci est, Princeps bonus has sacravit arces,
Clausitque magnis ambitum talentis,
Bracteolas trabibus sublevit, ut omnis aurulenta
Lux esset intus, ceu iubar sub ortu.
Subdidit & Parias fulvis laquearibus columnas;
Distinguit illic quas quaternus ordo:
Tum camyros hyalo insigni varie cucurrit arcus;
Sic prata vernis floribus renident &c.

Templum quoque S. *Eulaliae* in eius *Hymno* ita celebrat:

Hic ubi marmore perspicuo
Atria luminat alma nitor
Et peregrinus & indigena,
Reliquias cineresque sacros
Servat humus veneranda sinu;
Tecta corusca superrutilant
De laquearibus aureolis
Saxaque caesa solum variant,
Floribus ut resoluta putes
Prata rubescere multimodis.

Prudentius itaque non potuit negare a Christianis templa aedesque Dei honori construi, quas ita eleganter graphice que describit; quasque plures regifico luxu ab *Constantino* Augusto, aut eius aevo, aedificatus fuisse, cum ipse indicat tum nos inferius, ubi de *Argentariis* & *Aurificibus*, & *Balneatoribus*, & *Marmorariis*, aliisque id genus, agemus, luculente demonstrabimus. Poeta enim ille sub *Theodosio Seniore* Principe floruit. Iam, ut ad propositum revertamur, si primo saeculo inventus fuisse videtur Christianus Architectus, qui Amphitheatrum, vel Theatrum, construeret; quanto facilius extiterit, qui Christianorum domos, aedes, templa, aedificaret? D. *Zeno De Praecepto* licet ἀλληγορικῶς: *Architectus es? attende tibi ut fundamentum fidei, quae est Christus Iesus cum omni diligentia iacias, & cautela. Structor es? Vide quomodo aedifices: ne ligna & foenum, ne stipulam, vel paleas, sed argentum & aurum, & lapides exstruas preciosos.* Amphiteatri Flavii, vel alterius Theatri, Architectum, aut Curatorem, fuisse Christianum, arguunt *Aringhius Lib.* III. *Romae subterran. Cap.* XXII. & *Ioannes Marangonius in Monumentis sacris & profanis Amphitheatri Flavii* §. XXI. & LXX. ex Inscriptione, quam publici iuris fecere illi iidem Auctores locis citatis, & *Reinesius pag.* 955. *n.* CCIL. & *Muratorius pag.* MDCCCLXXVIII. quaeque ita habet:

SIC

SIC PREMIA SERVAS VEPASIANE DIRE
CIVITAS VBI GLORIE TVE AVTORI
PREMIATVS ES MORTE GAVDENTI LETARE
PROMISIT ISTE DAT KRISTVS OMNIA TIBI
QVI ALIVM PARAVIT THEATRVM IN CELO

Quae obstare videntur difficultates, amoliri conantur laudati *Aringhius* & *Marangonius*, qui consulendi omnino sunt. Obstacula etiam opponit *Reinesius*, qui non de *Vespasiano* heic agi, sed de *Bassiano Caracalla* putat; legit enim VE PASIANE; & id VE interiectionem minantis arbitratur. Quod vero ad Architectonicen, & Theatri fabricam spectet, nihil opponit. Ipse autem duo obiecerim, quae non video ab illis considerata & expensa fuisse. Primum est, credibile non videri, Christianum hominem, vel Amphitheatrum, vel Theatrum, architectari aut curare voluisse, loca atrocitati caedium, & obscenitati voluptatum, dedicata. Si *Tertullianus* omnes artes damnat, quae in Idololatriam aliquomodo desinere possunt, & in his etiam Architectonicen templorum aedificatricem, nonne & eandem damnaverit crudelium impudicorumque spectaculorum cooperatricem? En eius verba *Libro de Idololatria* quae superius etiam *pag.* 181. prolata fuerunt: *Sunt & aliae complurium artium species, quae etsi non contingunt Idolorum fabricationem, tamen ea, sine quibus Idola nihil possunt, eodem crimine expediunt. Nec enim differt an exstruas vel exornes, si templum, si aram, si aediculam, eius instruxeris, si bracteam expresseris, aut insignia, aut etiam domum, fabricaveris. Maior est eiusmodi opera, quae non effigiem confert, sed auctoritatem, si ita necessitas exhibitionis extenditur.* Quid quod spectacula ipsa ad Idololatriam pertinere, idem *Q. Septimius* iure contendit *Libro de Spectaculis*? Eius verba sunt quae sequuntur: *Igitur si ex Idololatria universam spectaculorum paraturam constare constiterit, indubitate praeiudicatum erit etiam ad spectacula pertinere renunciationis nostrae testimonium in lavacro, quae*

Diabolo, & pompae, & Angelis eius sint mancipata, scilicet per Idololatriam. Deinde particulatim distincteque ostendit, omnia in spectaculis ad Idolum pertinere, & quum de Theatro agit ita *Cap. X.* scribit: *Transeamus ad scenicas res, quarum & originem communem, & titulos pares, secundum ipsam ab initio ludorum appellationem & administrationem communicatam cum re equestri, iam ostendimus. Apparatus etiam ex ea parte consortes, quod ad scenam. Nam a templis & aris, & illa infelicitate turis & sanguinis, inter tibias & tubas itur, duobus inquinatissimis arbitris, funerum & sacrorum, Designatore & Haruspice. Ita quum de originibus ludorum ad Circenses transimus, inde nunc ad scenicos ludos dirigimus, a loci vitio. Theatrum proprie sacrarium Veneris est. Hoc denique modo genus operis in saeculo evasit. Nam saepe Censores nascentia cum maxime theatra destruebant, moribus consulentes, quorum scilicet periculum ingens de lascivia providebant &c.* Quare *Cap. XVIII.* concludit: *Habes igitur & theatri interdictionem, de interdictione impudicitiae.* Multa etiam de Theatri lascivia & obscoenitate habent *Clemens Alexandrinus Lib. III. Paedag. Cap. XI. Cyprianus Epistol. I. ad Donatum*, & *Prudentius in Hamartigenia*, & *Augustinus Lib. III. Confessionum Cap. II.* Ad munus autem, seu ad Amphitheatrum, *Tertullianus Cap. XI.* transiens, *Superest*, inquit, *illius insignissimi spectaculi acceptissimi recognitio. Munus dictum est ab officio; quoniam officium etiam muneris nomen est. Officium autem mortuis hoc spectaculo facere se veteres arbitrabantur, posteaquam illud humaniore atrocitate temperaverunt. Nam olim, quoniam animas defunctorum humano sanguine propitiari creditum erat, captivos, vel malo ingenio servos, mercati in exsequiis immolabant. Postea placuit impietatem voluptate adumbrare. Itaque quos paraverant armis, quibus tunc & qualiter poterant eruditos, tantum ut occidi discerent: mox edicto die inferiarum apud tumulos erogabant. Ita mortem homicidiis consolabantur. Haec muneris origo. Sed paulatim provecti ad tantam gratiam, ad quantam & crudelitatem, quia ferarum voluptati satis non fiebat, nisi & feris humana corpora dissiparentur. Quod ergo mortuis litabatur, utique parentationi deputabatur. Quae species proinde Idololatria est, quoniam & Idololatria parentatio-*

nis

nis est species . . . . Licet transierit hoc genus editionis ab honoribus mortuorum ad honores viventium, Quaesturas dico & Magistratus, & Flaminia, & Sacerdotia; quoniam tamen nominis dignitas Idololatriae crimen tenetur, necesse est, quidquid dignitatis nomine administratur, communicet etiam maculas eius, a qua habet causas, &c. Concinit *Tertulliano* de Arenae crudelitate *Prudentius in Hamartigenia*, & *Libro II. Contra Symmachum in fine*; sicut & *Augustinus Lib.* VI. *Confession. Cap.* VIII. Hisce adstructis, qui credibile fiet, initio nascentis Ecclesiae, sub *Vespasiano* principe, seu etiam sub *Caracalla*, Christianum, & qui tanta virtute & sanctitate praestabat, ut testimonium *Christo* fuso sanguine perhibuerit, Theatrum, vel Amphitheatrum, exstruere aut curare voluisse? Numquam enim mihi persuaserim, ex iis Christianis, transgressoribus legis, & disciplinae desertoribus, illum fuisse, de quibus diversarum artium professoribus agit obiurgans *Tertullianus* laudatus *Libro De Idololatria*, cuius verba superius *pag.* 179. *& seqq.* tempestive descripsimus; vel saltem non temere id praesumendum esse censuerim. Verum quis dixerit, *Gaudentium* illum, quum adhuc Ethnicus esset, Theatrum vel Amphitheatrum moliri potuisse. Sed Christianum fuisse exploratum est: illud vero incompertum. Altera difficultas ex interpretatione Epigraphes oritur. Nonne potuit *Gaudentius* ille in Amphitheatro pro *Christo* interimi, (nam Theatrum etiam pro Amphitheatro indiscriminatim usurpatur) atque ideo dictum esse, sibi aliud ab *Christo* Theatrum in coelo parari, in quo deliciis aeternis & sinceris voluptatibus adfluat, pro poenis & tormentis, quae infra in terreno Theatro seu Amphitheatro perpessus est? Quid necesse est ad Architecturam, & fabricam, curamve, Theatri, statim confugere? Architecti igitur fuerunt Christiani, sed non templa, non aedes Idolorum, non Amphitheatra, non Theatra, primis illis saeculis aedificaverunt; sed Ecclesias, domos, moenia, turres, & quaecumque Christianae disciplinae exorbitationem non inferunt. Talis forsasse fuerit Architectus ille, cuius mentio in Inscriptione apud *Muratorium pag.* CCCCV.

P CC DD NN VALENTINIANI ET ANATOLI
DIE XV KALENDAS MAIAS CONSTAN
DEPOSITVS IN PACE QVI
VIXIT ANNIS LXX MEN
LOCVS CONSTANT ARCITEC
QVI FVIT

Figura autem bipalii in lapide excisa est. Christiani quoque Architecti, ut videtur, sunt instrumenta anaglypho opere insculpta in lapide apud *Aringhum Tomo II. Lib. IV. Romae subterraneae Cap.* XXXVII. reperta in Coemeterio *Priscillae*, quamquam & alterius artificii & professionis esse possint. *Sidonius Apollinaris Nammatio* suo scribit *Lib. VIII. Epist. VI. Veneris aedificasse rusticarisve? an horum aliquid mavis, an singula vicissim, an pariter & cuncta? Sed de Vitruvio sive Columella, seu alterutrum ambosve sectere, decentique facis: potes enim utrumque more quo qui optimo, id est ut cultor aliquis e posuis, Archimedesque.*

XIII. ARCHITRICLINI, quorum mentio in Evangelio *Joannis Cap. II. ℣. 9.* erant servi triclinio praefecti, qui in veteri Epigrammate *Tricliniarches* adpellantur. *Juvencus Lib. II. Histor. Evang.* Architriclinum *Summus Minister* est. Ita vero fere eundem describit *Ammonius in Catena in Cap. II. Joannis*: Ἀρχιτρίκλινός ἐστιν ὁ ἄρχων τῶν διακονουμένων [illegible], τουτέστι τῶν [illegible], ὃς ἔργον ἔχει [illegible] [illegible] [illegible], ὡς [illegible] [illegible] ὁμοῦ [illegible] [illegible]. *Architriclinus est princeps sive moderator sic dicti triclinii, id est, cubiculi epularis, cuius fere munus unicum est sursum ac deorsum commeare, utrumque [illegible] statuere, & [illegible] ornare, [illegible] [illegible] ad [illegible] & decentiam, [illegible] ad convivarum voluptatem componere.* Eundem Graeci, aliter vocant ἐδέατρον. [illegible] qui [illegible] [illegible] praegustator erat. *Nonnus Panopolitanus* in *Paraphrasi Evangelii Joan-*

nis voces aequiv.. Convivia Christianorum describit *Tertullianus Apolog. Cap.* XXXIX. „ Coena nostra de nomine rationem
„ suam ostendit. Id vocatur, quod dilectio penes Graecos est.
„ Quantiscumque sumtibus constet, lucrum est pietatis nomi-
„ ne facere sumtum. Siquidem inopes quosque refrigerio isto
„ iuvamus, non qua penes vos parasiti adfectant ad gloriam
„ famulandae libertatis sub auctoramento ventris inter contu-
„ melias saginandi; sed qua penes Deum maior est contem-
„ platio mediocrium. Si honesta causa est convivii, reliquum
„ ordinem disciplinae aestimate, qui sit, de religionis officio.
„ Nihil vilitatis, nihil immodestiae, admittit. Non prius di-
„ scumbitur, quam oratio ad Deum praegustetur. Editur quan-
„ tum esurientes cupiunt. Bibitur, quantum pudicis est utile.
„ Ita saturantur, ut qui meminerint etiam per noctem ado-
„ randum Deum sibi esse. Ita fabulantur, ut qui sciant, Do-
„ minum audire. Post aquam manualem & lumina, ut quis-
„ que de Scripturis Sanctis, vel de proprio ingenio potest,
„ provocatur in medium Deo canere. Hinc probatur quo-
„ modo biberit. Aeque oratio convivium dirimit. Inde disce-
„ ditur non in catervas caesionum, neque in classes discur-
„ sationum, nec in eruptiones lasciviarum, sed ad eamdem
„ curam modestiae & pudicitiae, ut qui non tam coenam
„ coenaverint, quam disciplinam. „ Latius autem, qualia es-
se debeant Christianorum convivia, ostendit *Clemens* Alexandrinus *Lib.* II. *Paedag. Cap.* I. Vide ANCILLAE. CAVPONES. MINISTRATORES.

XIII. ARGENTARII. *Argentarii Vascularii* erant, qui vasa argentea in Comitatu, idest, Aula Principis fabricabant. Hi enim in Iure ita adpellantur. *Iabolenus* in *L. Penult. D. De auro & arg. legat. Vascularius, inquit, aut Faber argentarius, uxori legavit. Scaevola* in *L. ult. D. De obligat. & action. Procurator Seii misit subscriptionem ad Argentarium vascularium*. Dicebantur simpliciter *Argentarii*, qui Argentariam faciebant; & erant dites & copiosi homines, qui quaestum faciebant aut permutandis pecuniis, aut foenerandis. Dicebantur pariter *argentariae mensae Exercitores*, ut ex *L. II. D. De Edendo* intelligitur, quorum etiam officium erat dati acceptique ratio-

rationes tam ad se quam ad alios pertinentes conficere. Scri-
bebant enim negotiationes ultro citroque dandi, accipiendi, cre-
dendi, solvendique pecuniam, foenoris caussa. Eos id munus
de publico habuisse pro testimonio est Titulus *De Edendo*.
Iidem autem fere sunt ac *Trapezitae* τραπεζῖται, ut a Graecis
vocantur, quorum mentio est in Evangelio apud *Matthaeum*
Cap. XXV. ubi dominus servo, qui talentum suum humo re-
condiderat ac texerat, dicit: ἔδει οὖν σε βαλεῖν τὸ ἀργύριόν
μου τοῖς τραπεζίταις. *Oportebat ergo te committere pecuniam me-*
am Nummulariis, seu Argentariis. Ex quo loco V. Cl. *Scipio Maf-*
feius in suo *Commentario De Pecuniae negotiatione Libro I. Ca-*
pite VI. ostendi putat, hoc exercitium negotiumque a Chri-
sto Domino improbatum non fuisse. *Maffeio* autem magis
etiam favet *Lucas Cap.* XIX. apud quem clarioribus & illu-
strioribus verbis a domino dicitur servis, qui talenta acce-
perant, πραγματεύσασθε ἕως ἔρχομαι. *Negotiamini, dum ve-*
nio. Quasi dicat, Exercete talenta vestra: tradite ea Nu-
mulariis; Mensam Trapeziticam, si vobis sit animus, pro-
ponite: Trapeziticen exercete. Nec alio sensu apud *Matthaeum*
duo servi dicuntur ἐξεργάσασθαι ἐν ταλάντοις *Talenta sua exercuis-*
se. Huiusmodi autem Argentarii & Trapezitae probari etiam
videntur illo effato, quod figurate passim a Patribus usurpatur,
quasi *Christi* aut *Pauli* sit, ut a *Clemente Alexandrino Lib. I.*
Stromat. Origene Tom. XIX. *in Evang. Ioann. Basilio Magno in*
Principium Proverbiorum, *& in Cap.* V. *Esaiae*; *Auctore Con-*
stit. Apostol. Lib. II. *Cap.* XXXVI. *Athanasio Homil. in vers.* &
Cap. XXI. *Matthaei*; *Cyrillo Alexandrino Lib.* IV. *Cap.* III. *in*
Ioannem; *& in Cap. III. Esaiae*, *Epiphanio Haeres.* XLIV. *Cae-*
sario in Quaest. *ultim. Ambrosio in Prooemium Lucae*, *& in*
Commentario in Epistolam ad Philemonem; *Hieronymo Epist. ad*
Minervium & Alexandrum; *Io. Cassiano Collat. I. Cap.* XX. *&*
Coll. II. Cap. IX. illud videlicet, Γίνεσθε δόκιμοι τραπεζῖται.
Estote probati Nummularii; quam quidem sententiam Patres non
ex Apocrypho aliquo, nec ex libris Canonicis totidem ver-
bis, sed ex Evangelii Parabola confluxisse verosimiliter videan-
tur, observantibus *Croio*, & *Suicero*. Sed quoniam tam va-
ria huiusmodi negociatorum nomina enunciavimus, sciendum
est,

est, *Argentarios*, *Nummularios*, *Mensarios*, *Campsores*, *Trapezitas*, *Collybistas*, fere idem significare; nisi quod Argentarii maiores negociatores erant, qui non in permutando tantum, ut ceteri, tabernam exercebant; sed qui etiam nummos foenori collocabant, non suos tantum, sed etiam aliorum; unde *Argentariam facere*, vel *exercere*, dicebantur, *L. Argentarius §. 1. D. De edendo*. Observat *Sam. Pitiscus*, Argentariorum nomen in odia hominum incurrisse apud Romanos, propter foenoris atque usurarum enormitatem; quam quidem enormitatem disciplina Christianorum exhorret, utpote crudelem & truculentam, alienarumque substantiarum populatricem. Hinc Sacri Canones usuras huiusmodi furaces & immanes damnant atque improbant, quum mitibus ac mediocribus & civili consortio perutilibus parcere videantur. Aliter enim tot veteres Christiani Argentariam non exercuissent, nec se turpi Argentarii titulo adiecto, & ipsis sepulchris inscripto, ut ex adferendis Epigrammatis exemplisque patet, dedecorassent. Ipsi enim sanctioris austeriorisque disciplinae homines, exceptis Clericis, a foenerando minime abstinebant, liciteque id fieri arbitrabantur. Insigne & perillustre exemplum exstat apud *Sidonium Apollinarem Lib. IV. Epist. XXIV.* ubi ita *Turno* scribit: „ Pe-
„ cuniam pater tuus Turpio, vir Tribunitius, mutuam pri-
„ dem, si recordaris, a Maximo Palatino postulavit, impetra-
„ vitque: nil quidem, loco fiduciae pignorisque, vel argenti se-
„ questrans, vel obligans praediorum: sed, ut chirographo fa-
„ cto, docetur, cauta centesima est foeneratori, quae per bi-
„ lustre producta tempus modum sortis ad duplum adduxit . .
„ . . . . . Habitus viro (*Maximo*) gradus, pudor, color,
„ sermo, religiosus: tum coma brevis, barba prolixa, tripo-
„ des sellae, cilicum vela foribus adpensa, lectus nihil habens
„ plumae, mensa nil purpurae, humanitas ipsa sic benigna
„ quod frugi, nec ita carnibus abundans, ut leguminibus;
„ certe si quid in cibis unctius, non sibi, sed hospitibus, in-
„ dulgens. Cum surgeremus clam percontor adstantes, quod
„ genus vitae de tribus adripuisset ordinibus: Monachum age-
„ ret, an Clericum, Poenitentemne? Dixerunt, nuper impa-
„ cto sacerdotio fungi, quo recusantem factiose ligasset civi-

„ eus amor. „ Deinde narrat, se *Maximo* preces obtulisse, ut *Turpioni* aegrotanti spatium solutioni destinatum prorogaret, & Exactorum instantiam tantisper induciis moderaretur; & illum respondisse: „ Absit ab me, ut haec reposcam Cleri-„ cus ab aegro, quae vix petiissem Miles a sospite . . . . . „ Annuum solutioni spatium prorogabo, & superpositam me-„ dietatem, quae per usurae nomen accrevit, indulgeam, so-„ la simpli restitutione contentus. „ Tandem instans *Turno*, ut solvat, ita claudit Epistolam: „ At quum habet talis per-„ sona contractum, quae velit medium relaxare, quum totum „ POSSIT exigere: si moram patitur, quicquid PROPTER „ MISERICORDIAM concesserat PIE, IVSTE reposcit propter „ iniuriam. „ Hinc non mirum si *Argentarius* Christianus occurrit apud *Muratorium pag. MCML. 9.* in Inscriptione:

HIC REQVIESCI . . . . . .
IN PACE TRIBV . . . . . .
ARGENTARAR . . . .
QVI VIXIT ANN . . . . . .
XXIIII MENSES II DI . . . .
DEPOSITVS IIII KAL. . . . .
STAS CONSVLATV . . . .

Alia pariter Inscriptio edita in *Ephemeridibus litterariis Florentinis* anno MDCCL. *col* 429. ita fert; ✠. IVLIANVS ARGENT SERVVS LESI · PRECIBV EST · BASI · A · FVNDA PERFE · Item in alia Inscriptione apud eumdem *Muratorium pag. CCCCXXX.* 5. quam & nos pariter edidimus in *Ephemeridibus litterariis Florentinis* anno MDCCL. *col.* 265. ita habetur:

HIC

HIC REQVIESCIT IN PACE
GEORGIVS VC ARGENTA
RIVS FILIVS PETRI VC AR
GENTARII IVN · QVI VIXIT
ANN · P · L · M · XVII DEP · SVB D
PRID · NONAR AVG IND XIIII
IMP · D · N · N · TIBERIO CONSTAN
TINO PP · AVG · ANNO VI ET PC
EIVSDEM ANNO III.

Hoc eſt anno Epochae Chriſtianae DLXXXI. Aſt hoc quidem exemplum paullo recentius eſt: antiquius erit, quod habetur apud *Gruterum pag.* MLIII. 4.

CONSVLATV · M · F · STILICHONIS
SECVNDO CC DEPOSITVS · PVER
HELIAS ARGENTARIVS SEPTIMV
KAL · NOBEMBRES DIE BENERIS
ORA QVARTA
QVI BIXIT ANNIS TRIGINTA
ET QVINQVE ET DIES
VIGINTI ET TRES BENEMERENTI
IN PACE

Conſulatus *Stilichonis* ſecundus incidit in annum CCCCV. adeoque haec etiam Inſcriptio minus antiqua; ſed ex poſterioribus de ſuperioribus praeiudicare facile eſt. Antiquius tamen illud exemplum eſt, quod nobis *Theodotus* haereticus ſe-

secundo saeculo praebet apud *Eusebium Libr. V. Histor. Eccles. Capit. XXVIII.*, qui de *Natali* Confessore loquens ait: οὗτος ἐπαχθεὶς ποτὲ ὑπὸ Ἀσκληπιοδότου καὶ ἑτέρου Θεοδότου τινὸς τραπεζίτου. *Hic forte in fraudem inductus est ab Asclepiodoto, & altero quodam Theodoto Argentario*. Argentarii & illi saeculo tertio erant, de quibus *Lucianus* Confessor *Epist. XXI.* inter Cyprianicas ita scribit: *Opto vos bene valere, Alexium & Getulicum, & Argentarios, & sorores*. Hinc Vici Argentarii, Argentariorumque, Carthaginis mentionem facit S. *Augustinus Lib. VI. Confession. Cap. IX.* Illud pariter exemplum, quod *Andronici* est, *Theodosii* Senioris tempore usuvenit; nam hic, Argentarius quum esset, religionis caussa una cum uxore profectus in Iudaeam, loca Christi adoratum ivit, si *Menologio Graecorum ad diem IX. Octobris*, & *Surio ad diem XXVI. Septembris*, & *Gretsero Lib. I. De Sacris Peregrinat. Cap. VI.* credere dignum est. Sed, ut huiusmodi Argentariis relictis, ad Argentarios vascularios, fabrosque, revertamur, talis *Argentarii* mentio habetur *Actor. Apostol. Cap. XIX.* ubi *Demetrius* Ephesius dicitur *Argentarius*, Graece ἀργυροκόπος, *faciens aedes argenteas Dianae*; sed hic non Christianus, sed Christianorum inimicus. *Argentarius* fortasse Christianus fuerit, qui aediculam argenteam Martyris *Hippolyti* reliquiis recipiendis fabricavit, de qua *Prudentius* in eius *Hymno*; & ii, qui argentea aureaque Ecclesiae vasa conflaverant, quae idem memorat in *Agone Laurentii*; & quae late, eleganterque, describit S. *Paullinus Poemat.* XVIII. & XIX. & quae indicat S. *Ambrosius Lib. II. Officior. Cap. XXVIII.* ut nihil *de Actis S. Philippi Episcopi Heracleae* apud *Ruinartum* dicam. Vide AVRIFICES, LAPIDARII.

XIV. ARMIGERI. Armigerorum meminit *Prudentius* in *Apotheosi* de *Iuliano Apostata* sacrificante & non litante loquens; nam

Ipse quoque exanimis posito diademate Princeps
Pallet, & adstantes circumspicit: ecquis alumnus
Chrismatis inscriptum signaret tempora signo,
Qui Zoroastreos turbasset fronte susurros.
Armiger e cuneo puerorum flaventicomantum

Pur-

Purpureï custos lateris deprenditur unus ;
Nec negat , & gemina gemmata basilia ferre
Provecit , ac signum Christi se ferre fatetur .

Sidonius Lib. I. Epist. II. de *Theoderico* Rege : *Circumsistit sellam comes Armiger* . Armigeri erant , qui domini arma gestabant , adstantes , vel sequentes . Consulantur *Laur. Pignorius De Servis* , & *Sam. Pitiscus* in *Lexico* .

XV. AVCVPES . Licet Venatio non multum apud Christianos probata fuerit , ut indicat etiam *Augustinus* , cuius verba superius *pag.* 182. protulimus ; & D. *Hieronymus* dicat ad *Cap. V. Michaeae* & in *Psalm. XC.* quantum potest in sua recolere memoria , Venatorem numquam in bonam partem in caelestibus se eloquiis legisse , quod usurpat *Nicolaus* Papa in *Can. Quorumdam Distinct. XXXIV.* ubi Episcopum *Aucupio* , quod per Accipitres fit , etiam interdicit ; uti fit aliis quoque Clericis in sequentibus Canonibus : tamen Aucupium generatim , non aeque ac Venationem , ab antiquis Christianis improbatum fuisse , fatendum videatur . Certe enim suorum temporum mores describit *Prudentius* in *Hamartigenia* , dum diversi generis Aucupia ita recenset .

Haud secus , ac si olim per sudum lactea forte
Lapsa Columbarum nubes , descendat in arvum
Ruris frugiferi , laqueos ubi callidus Auceps
Praetendit , lentoque illevit vimina visco ,
Sparsit & insidias siliquis , vel farre doloso :
Illiciunt alas fallentia grana , gulamque
Innectunt avidam tortae retinacula setae ,
Molle vel impacitas gluten circumligat alas .
Ast aliae , quas nullus amor prolectat edendi ,
Gressibus innocuis sterili spatiantur in herba ,
Suspectamque cavent oculos convertere ad escam .

D. vero *Ambrosius Lib. V. Hexaemeronis Cap.* XIIII. ita de Turdis scribit : *Turdi denique autumni fine , hiemis confinio , quasi exacta aestate se referunt . Quibus nos inhospitali immanitate moli-*

lamur insidias, & diverso genere, nunc infida decipula decipere, nunc visco eas fallere, nunc laqueis captare, contendimus. Quare S. *Paulinus Poemate* I. de captis & dono missis Ficedulis elegantissime lusit. Et profecto si aves Christiani comedebant, ut S. *Epiphanius*, S. *Hieronymus*, S. *Ambrosius*, S. *Paulinus*, aliique, testantur, cur iis capiendis operam dare nollent, quum adeo innocenter, & facile, possent, haudquaquam intelligo: aliter & a piscatione, quae venatio quaedam est, abstinere debuissent; quam tamen ipsos etiam Sanctos Apostolos exercuisse cognoscimus. Quid quod Deus ipse Judaeos Aucupes quodammodo effecit, quum in eorum castra Coturnices, quibus alerentur, immisit, ut habetur *Exod. Cap.* XVI. 13.? Itaque animadvertendum, quum Venationem Sancti Patres aversantur & improbant, illam atrocem, & crudelem, & periculi plenam, intelligere, quae in Arena exercebatur; & quam tam multis Epigrammatis *Valerius Martialis* describit, & de qua *Samuel Pitiscus in Lexico*. Hinc D. *Augustinus* superius *pag.* 182. laudatus, Aurigam, Venatorem, & Histrionem, coniungit, quasi Theatrales omnes artifices. Non aliter Sanctus *Ambrosius Lib.* II. *Officior. Cap* XXI. facere videtur, quum scribit: *Prodigum est popularis favoris gratia exinanire proprias opes. Quod faciunt, qui ludis Circensibus, vel etiam Theatralibus, & muneribus Gladiatoriis, vel etiam Venationibus, patrimonium dilapidant suum, ut vincant superiorum celebritates, quum totum illud sit inane, quod agunt.* Et *Oratione De obitu Valentiniani* litteris mandavit: *Aiebant aliqui, ferarum eum Venationibus occupari, atque ab actibus publicis intentionem eius abduci. Omnes feras uno momento iussit interfici.* Haud secus *Tertullianus* Aurigae nomine Agitatorem Circi tantum intelligit, quum Libro *De Spectaculis* scribit: *Tunc magis Tragoedi audiendi, magis scilicet vocales in sua propria calamitate: tunc Histriones cognoscendi, solutiores multo per ignem: tunc spectandus Auriga in flammea rota totus ruber: tunc Xystici contemplandi, non in gymnasiis, sed in igne iaculati.* Loquitur de horum omnium post mortem infernali punitione. Quod si & ferarum per agros silvasque Venatio deinde a Christianis improbata est, in Clericis tantum damnata fuit, ne a divinarum rerum contemplatione diverterentur, nec

opes,

opes, pauperibus erogandas, in Canes & Accipitres & superfluum famulitium impenderent. Ceterum *S. Germanus* Autissiodorensis magno venandi studio, antequam sacrae militiae nomen daret, detentus fuisse perhibetur a *Vincdutio Bellovacensi* in *Speculo Histor. Lib. XX.* *Sidonius Apollinaris Libro* I. *Epistola* II. de venatione *Theodorici* Regis: „ Si venatione nunciata procedit, arcum lateri innectere citra gravitatem regiam iudicat: quem tamen, si cominus avem feramque aut venanti monstres, aut vianti sors obferat, manui post tergum reflexae puer inserit, nervis lorove fluitantibus: quem sicut puerile computat gestare thecatum, ita muliebre accipere iam tensum. Igitur acceptum modo insinuatis e regione capitibus intendit, modo ad talum pendulum nodi parte conversa, languentem chordae laqueum vagantis digito superlabente prosequitur, & mox spicula capit, implet, expellit: quidve cupias percuti, prior admonet: eligis quid feriat, quod elegeris ferit: & si ab alterutro errandum est, rarius fallitur figentis ictus, quam destinantis obtutus. „ Et *Lib.* IV. *Epistola* IX. de *Vectio* illustri viro agens: „ illa leviora, quod ipse, quem loquimur, in Equis, Canibus, Accipitribus, instituendis, spectandis, circumferendis, nulli secundus . . . . Ferarum carnibus abstinet, cursibus adquiescit: itaque occulte delicateque religiosus venatu utitur, nec utitur venatione. „ Vide VENATORES.

XVI. AVLICI. *Aulicorum* nomine intelligo servos ministros & officiales omnes, qui in domo Regia seu Augusta variis muneribus & officiis fungebantur. Sic apud *Capitolinum* in *Antonino Pio*. *Aulici ministri* occurrunt; & apud *Suetonium* in *Nerone Cap.* XLV. *Lusstat aes Aulicus* ostendere est. Idem in *Othone Cap.* II. scribit: *Libertinam Aulicam gratiosam, quo efficacius coleret, etiam diligere simulavit.* In *Domitiano* vero *Cap.* IV. *Aulicus adparatus* ab eo adhibetur. Et si iterum consulas *Capitolinum* laudatum in *M. Antonino Philosopho*, *Aulicam adringentiam* offendes. Aula enim a Latinis usurpatur pro Regia, & domo Principis. *Virgilius Lib.* V. *AEneid.*

No-

—— Nostra si parvus in aula
Luderet AEneas, patrem & tantum ore referret.

Lucanus Lib. VIII.

—————— Exeat Aula
Qui volet esse pius: virtus & summa potestas
Non coeunt.

Sed etiam *Domus Aulica* adpellabatur. *Spartianus in Hadriano: Familiarius se tunc egerunt, quam reverentia Domus Aulicae postulabat.* Et *Capitolinus* in *M. Antonino Philosopho: Adoptatusque in Aulicam Domum, omnibus parentibus suis tantam reverentiam, quantam privatus exhibuit.* At cur, dicet aliquis, in artificum, viliumque hominum, colluviem Aulicos coniicis, quos melius in honoratorum, & dignitate illustrium, album referres? Ideo facio, quod Aulici ministri, qui domus Augustae privata officia, & ministeria domestica, obibant, servi plerique omnes & liberti erant, ut elucet ex antiquis Inscriptionibus apud *Gruterum*, *Reinesium*, *Fabrettum*, *Gudium*, *Donium*, *Muratorium*, *Gorium*, aliosque vetustorum Epigrammatum Collectores: & ex iis, quae tradit *Laur. Pignorius De Servis* commentans; & *Iacobus Gutherus De Officiis Domus Augustae* scribens. Quare iam liquet, arbitror, qui nam & quales Christiani illi essent in domo Caesaris, quorum meminit *Paullus Epist. ad Philippenses Cap.* IV. *vers.* 22. ubi ait: *Salutant vos omnes Sancti, maxime autem, qui de domo Caesaris sunt.* Hoc est de familia Caesaris *Neronis*, ut *Io. Chrysostomus* & *Theodoretus* exponere videntur; quae quidem familia servis & libertis constabat, ut iam demonstravimus; quare Sanctos illos de domo Caesaris, servos & libertos fuisse, iure *Hugo Grotius* ὁ πριτικώτατος censuit. Nam quum *Paullus*, etsi in carcerem a Caesare coniectus & vinctus, novam religionem, nova sacra, denunciaret, eius doctrina sensim etiam in Praetorium, ut a Graecis Imperatoris palatium, viris doctissimis observantibus, adpellabatur, manavit pervasitque, servitio & familia Principis curiosa, ad novam inauditamque praedicationem concurrente,

&

& novo dogmati inhaerente facillime. Scribit enim ipse Apostolus eiusdem *Epist. Cap. I. v. 12. 13. Scire autem vos volo, Fratres, quia quae circa me sunt, magis ad profectum venerunt Evangelii: ita ut vincula mea manifesta fierent in Christo IN OMNI PRAETORIO & in ceteris omnibus*. Confirmatur, quia, *Familiae* nomine, *Servi* veniebant; quo pertinet Rubrica in *Pandectis Si familia furtum fecisse dicatur*; quare *Ulpianus* in *L. XXV. De Aedilit. Edicto* scribit *Familiae adpellatione omnes, qui in servitio sunt, continentur*. Familia autem Caesaris *Famulitium Aulicum* dicebatur; *Capitolinus* in *Pertinace: Supervenerant autem Pertinaci, quum ille Aulicum famulitium ordinaret*. *Spartianus* vero in *Severo: Et postera die occurrente omni famulatio Aulico*. Quum vero *Paedagogia* etiam nomine servi dicti sint, hinc *Tertullianus* in *Apologetico* scribit: *Quum de Paedagogiis Aulicis nescio quem cynaedum, Deum facitis*. Et quidem Sanctos illos, famulos, & libertos, fuisse, vel ex ipsis exemplis eminebit. *Io. Chrysostomus Homil. LIV. in Acta Apostol.* memoriae prodidit, ab Apostolo, inter alios *Neronis* domesticos, eius exoletum pocillatorem & concubinam ad salutarem Christi sapientiam adductos fuisse; quis autem ignorat eiusmodi homines servili genere ac conditione ut plurimum fuisse? Sed & *Epaphroditus* ille, cuius meminit *Paullus Epistola ad Philippenses* & *ad Philemonem*, servus, & deinde libertus, ex familia *Neronis*, & ipsi a libellis, sicuti postea *Domitiano*, *Paullo* suadente, Christi consulta sectatus fuisse videatur; qua de re multa vir eruditissimus *Carol. Daubuzius Par. III. Libri I. De Testimonio Iosephi &c.* acute probabiliterque dissertat; & vero quamsimillimum reddit, eumdem utrumque esse, & quod tempora conveniant, & quod in domo Caesaris plures Christiani essent, & quod *Epaphroditus* Paulli in vincula coniectus sit & συναιχμάλωτος dicatur; & quod Phryx fuerit, eiusque nomen decurtatum Ἐπαφρᾶς servili modo proferatur: qui quidem *Epaphroditus* Philosophi *Epicteti* herus fuit, quare non mirum si ex eius colloquiis tam multa hic hausit Christianis placitis propiora, ac deinde suis commentariis inseruit. Sed ipsa etiam nomina quorumdam Christianorum, qui Romae erant, & quos *Paullus* in Epistola ad Romanos salutat,

tat, quum Graeca plurima sint, perspicue indicant, eorum plerosque mancipia libertosque fuisse; sunt etenim: *Phoebe*, *Epaenetus*, *Andronicus*, *Apelles*, *Herodio*, *Tryphena*, *Tryphosa*, *Persis*, *Asyncritus*, *Phlegon*, *Hermas*, *Patrobas*, *Hermes*, *Philologus*, *Nereus*, *Olympias*. Quid quod, quum dicit: *Salutate eos, qui sunt ex Aristobuli domo*; &, *Salutate eos, qui sunt ex Narcissi domo, qui in Domino*; manifeste innuit, eos fuisse servos qui *Aristobuli* & *Narcissi* familias constituerent? Si vero, quae subtiliter atque ingeniose ab *Daubuzio* disputata sunt, subsistunt, en de domo Caesaris habemus alium, praeter *Paullum*, Romae Evangelii praeconem; nam de *Epaphrodito* ita idem *Paullus* Cap. II. Epist. *Ad Philippenses* vers. 25. scribit. *Necessarium autem existimavi, Epaphroditum fratrem, & COOPERATOREM ET COMMILITONEM meum, vestrum autem Apostolum, & ministrum necessitatis meae, mittere ad vos &c.* Et profecto non dubitaverim, ex familia *Neronis* Christianos quosdam fuisse, qui a *Paullo* edocti Evangelium aliis adnunciarent, talesque etiam inter illos fuisse, de quibus *Paullus* in eadem *Epistola Cap. I.* scriptum reliquit: ut *plures e fratribus in Domino confidentes vinculis meis, abundantius auderent sine timore verbum Dei loqui. Quidam quidem & propter invidiam & contentionem, quidam autem & propter bonam voluntatem, Christum praedicant. Quidam autem ex contentione Christum adnunciant non sincere, existimantes pressuram se suscitare vinculis meis &c.* Item si vera sunt, quae de *Epaphrodito Daubuzius* opinatur, tunc ille Philippensium Episcopus amplius non fuerit, quod *Theodoretus* in *Epistolam ad Philippenses* prodidit, quodque *Tillemontius* admodum dubium & incertum existimat. Hic, quum *Domitiani* iussu caesus fuerit, alios utique servos & libertos, alios Aulicos, Christianos in domo Caesaris reliquerit: vix enim credibile videatur in ea Aula defuisse Christianos, quum ipsi Imperatoris necessarii, & cognati, divinam Christi sapientiam profitebantur; sicque deinceps semper usuvenisse etiam sub aliis Principibus verosimile est, etsi *Hadrianus* Aulicorum servorum & libertorum superbiam licentiam potentiamque depresserit. De eo enim scribit *Spartianus*: *Libertos suos nec sciri voluit in publico, nec aliquid apud se posse, dicto suo omnibus superioribus Principibus vi-*

vitia imputans libertorum, damnatis omnibus libertis suis, quicumque se de eo iactaverant. Unde exstat etiam illud severe quidem, sed prope ioculare de servis. Nam quum quodam tempore servum suum inter duos Senatores e conspectu ambulare vidisset, misit qui ei colaphum daret, & diceret: Noli inter eos ambulare, quorum esse adhuc potes servus. Neronis Aulicus quoque fuisset *Evellius* ille (sed Acta Sancti *Torpetis* fide periclitantur,) de quo ita *Martyrologium Romanum ad d. V. Idus Maii: Eodem die Sancti Evellii Martyris, qui quum esset de familia Neronis, ad passionem Sancti Torpetis in Christum credidit, pro quo & decollatus est.* De Sancto autem *Torpete* idem *Martyrologium ad d. XVI. KL. Junii* ita habet: *Pisis in Tuscia Sancti Torpetis Martyris, qui magnus in officio Neronis primum fuit, unusque ex his, de quibus Paullus Apostolus ab urbe Roma ad Philippenses scribit: Salutant vos omnes Sancti, maxime autem qui de Caesaris domo sunt: sed postea pro fide Christi iubente Satellico alapis caeditur, verberibus durissime afficitur, ac bestiis devorandus traditur, sed minime laeditur: tandem martyrium suum decollatione complevit tertio KL. Maii sed tamen festivitas eius celebrius hac die recolitur ob sui corporis translationem.* Verum, ut innui, Acta S. *Torpetis*, *Tillemontio* iudice, fide indigna esse videntur. Nil autem de *Seneca* dixerim, qui quamvis *Neronis* praeceptor esset, tamen in palatio forte non morabatur, sed proprias aedes incolebat; & plane fabulosum est, illum unquam Christianum exstitisse: quaeque eius & *Paulli* epistolae amoebaeae circumferuntur, procul dubio adulterinae & apocryphae sunt, etsi earum *Hieronymus*, & *Augustinus*, aliique veteres Scriptores Ecclesiastici, meminerint, de quibus consule *Io. Alb. Fabricium in Apocryphis Novi Testamenti*, & in *Bibliotheca Latina; Io. Ernestum Grabium Tom. I. Spicileg. Tillemontium Tom. I. Monum. Eccles. Guillel. Caveum De Scriptor. Eccles.* aliosque. Ex hisce autem nolim quosdam eruere, parum splendoris & dignitatis Religioni Christianae accessisse ex familia Caesaris eam amplexata; licet enim servilis conditio apud Romanos maxime despiceretur, servi tamen & liberti domus Augustae, cum ob gratiam & favorem Caesaris, tum ob divitias & potentiam, tantam amplitudinem praeferebant, ut iis vel ipsi Se-

natores concederent, quemadmodum ex superius adlato exempla patet; &, ut id clarius intelligatur, Scriptores Historiae Augustae evolvere ac percurrere sufficit. Sed ut ad *Domitiani* Aulam revertamur, nescio an *Victorinus* ille, qui in Sanctae *Domitillae* familia probabiliter erat, & eius Nutritor *Auspicius*, & Eunuchi ac Cubicularii *Nereus* & *Achilleus*, quorum mentio est in *SS. Nerei & Achillei Actis*, quae tamen fidei sublestae sunt, inter Aulicos recensendi sint: quamquam enim *Flavia Domitilla* ex *Domitiani* Augusti cognatione erat, in Aula unquam commorata fuisse non videatur. Multos Aulicos Christianos, etiam *Traiano* imperante, fuisse, non sine ratione subspicetur quis ex Epistola S. *Ignatii* ad Romanos, in qua beatissimus ille Martyr Romanorum Christianorum potentiam extollit, & talem, quae iudicis sententiam irritam facere, & Imperatoris indulgentiam demereri, posset, adeoque etiam ne ille bestiis obiiceretur impedire. φοβοῦμαι γὰρ τὴν ὑμῶν ἀγάπην, μὴ αὐτή με ἀδικήσῃ. ὑμῖν γὰρ εὐχερές ἐστιν, ὃ θέλετε ποιῆσαι. ἐμοὶ δὲ δύσκολόν ἐστιν τοῦ Θεοῦ ἐπιτυχεῖν, ἐάνπερ ὑμεῖς φείσησθέ μου κ. τ. λ. *Namque vestram caritatem timeo, ne mihi ipsa noceat. Vobis enim facile est, quod vultis facere: mihi vero difficile est Deum adsequi, siquidem vos mihi parcatis &c.* Post *Traiani* tempora, *Evelpistus* Cappadox in Aula versabatur, qui Caesaris, (*M. Aurelii* scilicet) servus erat, & *Iustini* Philosophi ac Martyris discipulus, tandemque una cum Magistro gloriosum testimonium Christianae legis veritati perhibuit, ut in *Actis S. Iustini* apud *Ruinartum* videre est. Aulicus quoque fuisse videatur fortassis Christianus ille, cuius Epitaphium apud *Aringhium Tom. I. Romae Subterran. Lib. III. Cap. XXII. Reinesium pag. 953. n. CCXXXVIII. Mabillonium Itiner. Italic. pag. 135. Boldettum Lib. I. Observat. in Coemet. Cap. III. Mamachium Origin. & Antiq. Christ. Lib. II. Cap. VIII. §. II. n. V.* aliosque, ita habet:

ALA-

ALAXANDER · MORTVVS · NON · EST · SED · VIVIT · SVPER · ASTRA ET · CORPVS · IN · HOC · TVMVLO · QVIESCIT · VITAM · EXPLE VIT · CVM · ANTONINO · IMP · QVI · VBI · MVLTVM · BENEFITII ANTEVENIRE · PRAEVIDERET · PRO · GRATIA · ODIVM · REDDIT GENVA · ENIM · FLECTENS · VERO · DEO · SACRIFICATVRVS · AD SVPPLICIA · DVCITVR · O · TEMPORA · INFAVSTA · QVIBVS · IN TER · SACRA · ET · VOTA · NE · IN · CAVERNIS · QVIDEM · SALVA RI · POSSVMVS · QVID · MISERIVS · VITA · SED · QVID · MISERIVS IN · MORTE · CVM · AB · AMICIS · ET · A · PARENTIBVS · SEPELI RI · NEQVEVNT · TANDEM · IN COELO · CORVSCAT · PARVM · VI XIT · QVI VIXIT · IV · X · TEM.

Hic autem *Antoninus* Imperator, *Marcus Aurelius*, an *Antoninus Pius*, an *Elagabalus*, an *Caracalla*, fuerit, non liquet. *Tertullianus Libro ad Scapulam Cap. IV.* ita ſcribit: *Ipſe etiam Severus, pater Antonini, Chriſtianorum memor fuit, nam & Proculum Chriſtianum, qui Torpacion cognominabatur, Evoduae Procuratorem, qui eum per oleum aliquando curaverat, requiſivit, & in palatio ſuo habuit, uſque ad mortem eius, quem & Antoninus optime noverat, lacte Chriſtiano educatus.* En heic Aulicos duos Chriſtianos habemus, *Proculum Torpacionem*, & *Antonini Caracallae* Nutricem. *Diocletiani & Maximiani* Caeſarum Cubicularii aliique miniſtri Chriſtiani erant plerique, & martyrium illuſtre conſummaverunt, auctore *Euſebio Lib. VIII. Hiſtor. Eccleſ. Cap. VI.* πάντων δὲ ὅσοι τῶν πώποτε ἀνυμνοῦνται θαυμάσιοι καὶ ἐπ' ἀνδρείᾳ βεβοημένοι, εἴτε παρ' Ἕλλησιν εἴτε παρὰ βαρβάροις, θείους ἤνεγκε ὁ καιρὸς καὶ διαπρεπεῖς μάρτυρας τοὺς ἀμφὶ τὸν Δωρόθεον βασιλικοὺς παῖδας· οἳ καὶ τῆς ἀνωτάτω τιμῆς παρὰ τοῖς δεσπόταις ἠξιωμένοι, γνησίων τε αὐτοῖς διαθέσει τέκνων οὐ λειπόμενοι· μείζονα πλοῦτον ὡς ἀληθῶς ἥγηνται τῆς τοῦ βίου δόξης καὶ τρυφῆς τοὺς ὑπὲρ εὐσεβείας ὀνειδισμούς τε καὶ πόνους· καὶ τοὺς ἐπικαινουργημένους ἐπ' αὐτοῖς

πο-

πολυτρόπους θανάτους. „ Verum prae omnibus, qui unquam „ sive apud Graecos, sive apud Barbaros, admiratione digni „ & ob fortitudinem celebres, exstiterunt, gloriosos atque il- „ lustres Dei Martyres ea tempestas tulit, Dorotheum scilicet „ & reliquos Cubicularios pueros. Qui tametsi summi hono- „ ris praerogativa ab Imperatoribus ornati essent, nec minus „ ab iisdem diligerentur quam filii, probra tamen pro pieta- „ te tolerata, & aerumnas, ac diversa mortis genera adver- „ sus ipsos excogitata, maioris revera pretii esse duxerunt, „ quam gloriam ac delicias huius seculi. „ Sub eodem *Diocletiano* martyrio defunctus est *Adauctus*, *claro in Italia genere ortus, Romana dignitate conspicuus, & per omnes honorum gradus in Imperatorum palatio progressus, quippe qui procurationem summae rei, & Magistri, ut vocant, ac Rationalis officium integerrime gessisset*, ut scribit idem *Eusebius* eodem *Libro Cap.* XI. cuius primigenia verba sunt: *καί τις ἕτερος Ῥωμαϊκῆς ἀξίας ἐπειλημμένος, Ἀδαύκτος ὄνομα, γένος τῶν παρ' Ἰταλοῖς ἐπισήμων, διὰ πάσης διελθὼν ἀνὴρ τῆς παρὰ βασιλεῦσι τιμῆς, ὡς καὶ τὰς καθόλου διοικήσεις τῆς παρ' αὐτοῖς καλουμένης μαγιστρότητός τε καὶ καθολικότητος ἀμέμπτως διελθεῖν*. Hic certe non illiberalis generis erat, nec servus, aut libertus, ut plerumque apud Caesares erant, qui huiusmodi officiis fungebantur, quemadmodum ostendit *Laur. Pignorius De Servis* adlata Inscriptione, in qua *Augusti* libertus, *Procurator Augusti a rationibus* dicitur; quamquam Procurator summae rei ab eiusmodi Rationalibus differat, & officium sit honoratius, ut demonstrant *Gutherus De Officiis domus Augustae*, & *Pancirolus in Notit. Dignitat. Imperii*. Horum, Aulae Caesarum *Diocletiani & Maximiani* Ministrorum, Christianorum meminit etiam *Lactantius De Mortibus Persequutorum*, ubi de *Maximiano* §. X. agit, ita scribens: „ Quum ageret in partibus Orientis, ut „ erat prae timore scrutator rerum futurarum, immolabat pe- „ cudes, & in iecoribus earum ventura quaerebat. Tum qui- „ dam Ministrorum scientes Dominum, quum adsisterent im- „ molanti, imposuerunt frontibus suis immortale signum, quo „ facto, fugatis daemonibus, sacra turbata sunt. Trepidabant „ Auspices, nec solitas in extis notas videbant, & quasi non

„ li-

„ litassent, saepius immolabant. Verum identidem mactatae „ hostiae nihil ostendebant, donec magister ille Auspicum „ Tagis, seu subspicione seu visu ait, idcirco non responde- „ re sacra, quod rebus divinis profani homines interessent. „ Tunc ira furens, sacrificare non eos tantum, qui sacris „ ministrabant, sed universos, qui erant in palatio, iussit; „ & in eos, si detrectassent, verberibus animadverti (*nota* „ *servilem poenam*) datisque ad Praepositos literis, etiam mi- „ lites cogi ad nefanda sacrificia praecepit, ut, qui non pa- „ ruissent, militia solverentur &c. *Et §. XI.* Erat mater eius „ Deorum montium cultrix, mulier admodum superstitiosa. „ Quae quum esset, dapibus sacrificabat pene quotidie, ac „ vicariis suis epulas exhibebat. Christiani abstinebant; &, il- „ la cum gentibus epulante, ieiuniis hi & orationibus insiste- „ bant. Hinc concepit odium adversus eos &c. *Et §. XIV.* „ Sed Caesar non contentus est edicti legibus, aliter Diocle- „ tianum adgredi parat. Nam ut illum ad propositum cru- „ delissimae persequutionis impelleret, occultis ministris pala- „ tio subiecit incendium, & quum pars quaedam conflagras- „ set, Christiani arguebantur veluti hostes publici; & dum in- „ genti invidia simul cum palatio Christianorum nomen arde- „ bat, illos, consilio cum Eunuchis habito, de extinguendis „ Principibus cogitasse, duos Imperatores domi suae pene vi- „ vos esse combustos. Diocletianus vero, qui semper se vo- „ lebat videri astutum & intelligentem, nihil potuit subspi- „ cari, sed ira inflammatus excarnificari omnes suos protinus „ praecepit &c. *Et §. XV.* Furebat ergo Imperator iam non „ in domesticos tantum, sed in omnes; & primam omnium „ filiam Valeriam, coniugemque Priscam, sacrificio pollui coe- „ git. Potentissimi quondam Eunuchi necati, per quos pala- „ tium & ipse ante constabat &c. „ Vnde huius crudelissimae persequutionis initium fuerit, subindicat pariter *Lactantius Lib. IV. Divinar. Instit. Cap. XXVII.* non dissimilibus verbis, ex quibus eumdem esse auctorem utriusque operis facile conicere est. Ceterum heic observandum, Aulicos *Palatinorum* quoque nomine generaliter venire, quod in palatio Imperatoris versarentur; plerosque autem etiam *Castrensium*, ut docet *Claud.*

Sal-

Salmasius ad Lampridium in Alexandro Severo, quod Imperatorem etiam in Castris sequerentur. Aulicos igitur intellexit *Diocletianus*, quum apud laudatum Auctorem *De mortibus Persequutorum* ait *Maximiano*, *satis esse si Palatinos tantum ac milites ab ea religione prohiberet*. Non alio sensu fortasse *Trebellius Pollio* in *Gallieno*: *Quum iret ad hortos nominis sui, omnia Palatina officia sequebantur*. Denique in mentem revocandum illud *Tertulliani Apolog. Cap. XXXVII.* dictum, supra *pag.* 178. quoque relatum: *Hesterni sumus, & vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, PALATIVM, senatum, forum &c.* Recurrent Aulici saepius, quum de eorum peculiaribus ministeriis & officiis in progressu agemus. Vide igitur ARMIGERI · CAESARIANI · CANDIDATI PRIMICERIORVM · CVBICVLARII · CVSTODES SACRI LATERIS · DIAETARII · EVNVCHI · EVOCATI · GAZOPHYLACES · NVTRICES NVTRITORES · OFFICIALES · PALATINI · PINCERNAE · PRAETORIANI · PRIMICERII · PROTECTORES · SCRINIARII · VESTITORES. aliaque vocabula.

XXX. AVRIFICES, Inscriptio apud *Muratorium pag. MCMXI.* 4.

LOCVS MASVMILLE AVRIFICIS CVM SEVARINO. Nescio unde *Hugo* Cardinalis acceperit, *Iosephum Mariae* Deiparae sponsum, Aurificem fuisse; id enim docet, dum in *Cap. VI. Marci* commentatur. Sed Aurifices inter veteres Christianos fuisse, & illud suadeat, quod in sacris aedibus aurea argenteaque vasa, & pretiosa supellex, exstaret. Hinc Praefectus Vrbis *Laurentio* Levitae ait, apud *Prudentium*:

Hunc esse vestris orgiis
Moremque & artem proditum est;
Hanc disciplinam foederis,
Libent ut auro Antistites.
Argenteis scyphis ferunt
Fumare sacrum sanguinem,
Auroque nocturnis sacris
Adstare fixos cereos.

Tunc

Tunc cura summa est fratribus
(Vt sermo testatur, loquar)
Offerre fundis venditis
Sextertiorum millia &c.

Iam superius *pag.* 156. *& seqq.* aureorum annulorum usum inter antiquos Christianos fuisse probavi; & *pag.* 128. 131. 143. 167. 194. luculenter indicavi, luxum inter eos irrepere secundo & tertio saeculo iam coepisse. Quare *Clemens* Alexandrinus *Lib. II. Paedagogi Cap. III.* usum aureorum argenteorumque vasculorum, gemmeorumque poculorum, in Christianis improbat. Sed ut ad instrumenta & ornatus Ecclesiarum revertar, quae donaria, & quam splendida & pretiosa, sacris ministeriis dedicare Christiani consueverint, vel ex Libro *Pontificali* in Vita S. *Silvestri*, aliorumque sequentium Pontificum, intelligere est. Cuiuscumque enim ille fidei & auctoritatis sit, non video iustam caussam, cur ei in hac parte fidem non adhibeamus, ubi antiquis Christianorum institutis mirabiliter consonat: quare eius auctoritatem ad hoc ipsum adlegavit quoque eruditissimus *Lud. Ant. Muratorius* in D. *Paulini Poemata Dissertat. XVI.* Sed & *Prudentius* in *Hymno S. Hippolyti* argenteam eius reliquiarum aediculam, ut supra *pag.* 201. innuimus, ita describit:

Ipsa illas animae exuvias, quae continet intus
Aedicula, argento fulgurat ex solido.
Praefixit tabulas dives manus aequore levi
Candentes, recavum quale nitet speculum.
Nec Pariis contenta aditus obducere saxis,
Addidit ornando clara talenta operi.

Sic S. *Paullinus Poemate XXI.* ita de arca corporis Sancti *Felicis* loquitur.

Nota loci facies cunctis manet, ut super ipsum
Martyris abstrusi solium, claudente sepulcri
Cancello latus, in medio sit pagina quaedam
Marmoris, adfixo argenti vestita metallo.

Sed & *Poemate XIX.* auream gemmisque baccatam Crucem ab fure in Ecclesia raptam, aliamque argenteam supellectilem, prolixe & copiose decantat. Digna profecto est, quae legatur, laudata Dissertatio XVI. in S. *Paulinum* a *Lud. Ant. Muratorio* in hanc rem conscripta, & *Antonio Magliabechio* dicata. *Eusebius Lib. III. De Vita Constant. Cap.* LVIII. refert, *Constantinum* splendidum, ac magnificum, templum Apostolorum honori Constantinopoli exstruxisse, in immensam altitudinem elatum, vario lapidum genere splendidum, & ab solo ad cameram usque marmoreis crustis adopertum; cameram vero lacunaribus minutissimi operis obduxisse, totamque auro imbracteasse; & solarium reticulatis quibusdam anaglyphis ex aere & auro fabrefactis circumdedisse. S. *Damasus Carm.* III. de S. *Agnete*, tradit, quod *Constantina*

Sacravit templum victricis virginis Agnes,
Templorum quod vincit opus, terrenaque cuncta;
Aurea nam rutilant summi fastigia tecti &c.

Et generaliter D. *Hieronymus Epist. II. ad Nepotianum: Multi aedificant parietes, & columnas Ecclesiae substruunt: marmora nitent, auro splendent laquearia: gemmis altare distinguitur: & ministrorum Christi nulla electio est.* Et *Epist.* VIII. ad *Demetriadem De Virginitate servanda: Alii aedificent Ecclesias, vestiant parietes marmorum crustis, columnarum moles advehant, earumque deaurent capita, pretiosum ornatum non sentientia, & ebore argentoque valvas, & gemmis aurata distinguant altaria &c.* Praeclare igitur S. *Ambrosius Lib. II. Offic. Cap.* XXVIII. indicat, auri & argenti plurimum in Ecclesiis fuisse, dum distrahendum censet & ut captivi redimantur, & pauperibus subcurratur. Nec mirari subeat, quod hic Aurifices cum Argentariis confundere videar, communia enim erant utrisque artificia, & qui argentum laborabat, tractabat quoque aurum atque formabat. Quum autem Aurificum esset gemmas, lapillos, margaritas, auro argentoque colligare, & in splendidas aptasque congeries disponere; harum descriptionem ex S. *Irenaeo in Prooem. Lib.* I. & *Cap.* I. eiusdem libri repetere possumus.

mus. Mira sunt, quae habet *Ioannes Cap.* XXI. *Apocalypseos* de auro, & margaritis, & gemmis, & lapidibus pretiosis, quibus civitas Dei, coelestis Ierusalem, constat & adsurgit. Lapillos vero & gemmas Christianas etiam feminas gestare consuevisse, patet ex iis, quae contra huiusmodi luxum habent *Tertullianus*, *Cyprianus*, *Commodianus*, *Paullinus*, *Hieronymus*, & in primis *Clemens* Alexandrinus *Lib. III. Paedagogi Cap.* II. qui quidem *Cap.* XI. *χρυσοποιοὺς* Aurifices improbare videtur his verbis: *ἀπίτω δὲ καὶ ὁ ἀπὸ τῶν μυροπωλίων, καὶ χρυσοχοΐων, καὶ ἐριοπωλίων ἄλυς, καὶ ἀπὸ τῶν ἄλλων ἐργαστηρίων. Procul autem absit Myropolarum, Aurificum, Lanificum, ceterarumque officinarum caligo.* Verum ea de caussa haec dicit, quod in huiusmodi officinis meretrices adsidere consueverint. Quod vero ad gemmas & lapillos adtinet, consulatur etiam *Cap.* XII. *Libri* II. *Paedagogi*. Vide ARGENTARII. FLATVRARII. LAPIDARII.

XVIII. AVRIGAE. *Philippum* Apostolum Aurigam fuisse, a non nemine proditum fuit, ut superius *pag.* 65. 67. videre est. *Pag.* 182. locum D. *Augustini* protulimus, quo doctissimus ille Theologus *Aurigationem* improbare videtur, dum eam Apostolum dedecuisse significat: sed ut opportune & recte supra *pag.* 214. observabam, veteres Patres, dum Aurigas eorumque officium damnare videntur, non alios Aurigas intelligunt, ut antiqui reliqui, quam Agitatores, qui in ludis Circensibus spectacula Christianis exosa bigis seu quadrigis citatis populo praebebant. Nam, ut scribit *Tertullianus De Spectaculis*, ubi luculente copiose prolixe Circensium ludorum idololatriam arguit, *Deum offendit qualiscumque pompa Circi*. Huc quoque faciunt, quae ex eodem Scriptore superius *pag.* 204. produximus. *Commodianus* autem scribebat:

Cum caterva Mali pergis ad spectacula vana,
Ubi Satanas fragoribus Circo operatur.

Alia caussa erat, cur Aurigatio improbaretur, quia hanc artem exercere turpe apud Romanos, & ingenuo cive indignum, primum habebatur; quamquam, depravata republica, nobiles

deinde adolescentes etiam id factitarunt. Et quidem infames olim fuisse *Aurigas*, indicare videtur *Theophilus*, dum *ἡνιόχους* & *πωλητὰς* famosos facit in suis *Institutionibus*. Nec aliter sentit *Tertullianus De Spectaculis Cap. XXII. Quadrigarios, Scenicos, Xysticos, Arenarios, damnant ignominia, & capitis minutione, arcentes curia, lustris, senatu, equite, ceterisque honoribus omnibus, simul ac ornamentis*. Quamquam vero *Ulpianus L. IV. Digestis De his qui notantur infamia*, negat Agitatores esse inter famosos; tamen vilissimi semper & contemtissimi habiti sunt: quare *Xiphilinus* in *Nerone* scriptum reliquit: *In Circum inierunt, ut vilissimi quique, & equos agitaverunt Equites & Senatores*. Quin Aurigae servi erant, ut demonstrat *Pitiscus*, voce *Auriga*. Sed si Auriga, pro simplici currus moderatore, ludis & spectaculis sepositis, accipiatur, honesto viro, & Christiano homine, indignam Aurigationem numquam existimaverim. Nam & *Philippus* Diaconus currui Eunuchi *Candacis* Reginae se adiunxit, & una cum eo sedit, alio certe equos currui subiunctos regente & agitante, quod quidem munus commodum, utile, & laudabile est: ipse enim *Isaias* prophetiam legebat, quare equos moderari non poterat. Sed tunc, qui ita equos & currus ducit, *Agaso* potius dicendus est, quem tamen etiam *Aurigam* minus proprie *Virgilius Lib. XII. Aeneid.* dixit. Adeatur *Actor. Apostolicor. Cap.* VIII. Ceterum ludi Circenses ab Christianis etiam Imperatoribus editi fuere, ut ab *Constantio*, *Ammiano Marcellino Lib. XIV.* auctore. Sed non sine eorum reprehensione. D. *Ambrosius* in *Oratione Funebri* De obitu *Valentiniani* Imperatoris: *Ferebatur primo, ludis Circensibus delectari: sic istud abstersit, ut ne solemnibus quidem Principum natalibus, vel imperialis honoris gratia, Circenses putaret esse celebrandos*. Circenses vero sub insequentibus Imperatoribus quoque celebratos fuisse, testis locupletissimus est *Sidonius Apollinaris Lib. I. Epist. XI.*, qui insuper in *Carmine XXIII.* Circenses ludos, quadrigarumque cursum, & Aurigarum magisterium, praeclare eleganterque describit. Quamquam S. *Ambrosius*, cuius verba superius *pag.* 214. protulimus, eos improbare non destitit; et horum spectaculorum excusationem aliquam frustra praetendebant Chri-

stia-

stiani aliqui apud antiquum Auctorem Libri *De Spectaculis* inter Opera *Cypriani*, dum illa scribit: *Pudor me tenet, praescriptiones eorum in hac causa, & patrocinia referre. Ubi, inquiunt, scripta sunt ista? Ubi prohibita? Alioquin & Auriga est Israel Elias, & ante Arcam David ipse saltavit: Nabla Aera, Tympana, Tibias, Cytharas, Choros, legimus. Apostolus quoque dimicans, cestus, & colluctationis nostrae adversus spiritalia nequitiae proponit certamen. Rursus de stadiis sumit exempla, coronae quoque collocat praemia. Cur ergo homini Christiano fideli non liceat spectare, quod licuit divinis litteris scribere? Hoc in loco dixerim, longe melius fuisse istis, nullas litteras nosse, quam sic litteras legere...... Nam quod Elias Auriga est Israelis, non patrocinatur spectandis Circensibus, in nullo enim is Circo cucurrit. Et quod David in conspectu Dei choros egit, nihil adiuvat in Theatro sedentes Christianos fideles. Nullam enim, obscenis motibus membra distorquens, desaltavit Graecae libidinis fabulam. Nabla Aera, Tibiae, & Citharae, Deum cecinerunt, non idolum &c.*

§. II.

XIX. BAIULI. *Ammonius* Alexandrinus, *Saccas* cognomento dictus est, a ferendis saccis, & oneribus, quo labore vitam primum toleravit, ut *Suidas* memoriae prodidit; quare eum *Saccam* & *Theodoretus Lib. VI. De curandis Graecor. Adfect.* & *Ammianus Marcellinus Lib. XXII.* adpellaverunt. Philosophus insignis fuit ex parentibus Christianis genitus, & Christianis ritibus usque ad mortem inhaerens, contra quam mendax *Porphyrius* scripserit, ut apud *Eusebium Lib. VI. Histor. Eccles. Cap. XIX.* videre est. Baiulos quoque dixerim (Cathedrarios servos *Sidonius Apollinaris* vocaret) *Cronionem*, qui *Eunus* cognominabatur, & socium, qui *Iulianum* Martyrem podagrae doloribus constrictum, nec stare valentem nec incedere, ad Iudicis tribunal portaverunt. Quorum alter Christum eiuravit, *Cronion* vero una cum *Iuliano*, eidem Christo Deo gloriosum testimonium perhibuit, ut *Dionysius* Alexandrinus apud

pud *Eusebium* laudatum *Lib.* VI. *Cap.* XLI. testatur. Et quidem *Commodianus* pauperes Christianos hortatur, ut operam suam locando victum quaerant.

Sane si non fuerit ars, unde vita regatur,
Aut operam praebe, aut cursum iussu potentis
Non pudeat, neque pigeat, procurasse senum.

Vide CATHEDRARII. GERVLI. GESTORES.

XX. BALNEATORES. Balneorum usus apud Christianos probatus & frequens fuit, ut superius *pag.* 178. & 191. 192. elucet atque eminet. Hinc *Clemens* Alexandrinus *Libro* III. *Paedagogi Cap.* V. illa scribit, & quae lavandi adparatum ostendant, & pompam ac luxum impudentiamque redarguant. Tandem enim ait: *Viris autem & feminis communia aperta sunt Balnea, & ex eo exsuuntur ad intemperantiam . . . . perinde ac sit eis pudor in lavacris obrutus. Quae autem non usque adeo omnem pudorem exsuerunt, externos quidem excludunt, una autem cum suis domesticis lavantur, & coram servis nudae exsuuntur, & ab eis fricantur, quae fortasse cetera pertimescit, libidini securum saltem contactum concedentes &c.* Hactenus *Clemens*, qui hunc promiscuum mulierum cum viris Balneorum usum damnat non aliter, ac *Constitutiones Apostol. Lib. I. Cap.* IX. *Canon. XXX. Concilii Laodiceni, Canon LXXVII. Concilii in Trullo, S. Cyprianus Tractatu De Habitu Virginum, Iustinianus Imperat. Novella XXII. Cap. XVI.* Tale quidem Balneum non fuerit, in quod *Ioannes* Evangelista lavaturus ingressus est, qua de re ita D. *Irenaeus* apud *Eusebium* Caesariensem *Lib.* III. *Histor. Eccles. Cap. XXVIII.* & *Lib. IV. Cap. XIV.* imo *Libro* III. suorum operum: *Et sunt, qui audierunt eum* (Polycarpum) *dicentem, quoniam Ioannes Domini discipulus in Epheso iens lavari, cum vidisset intus Cerinthum, exsilierit de Balneo non lotus, dicens quod timeat ne Balneum concidat, quum intus esset Cerinthus inimicus veritatis.* Christiani Montanistae tamen a Balneis ieiunii tempore abstinebant. Scribit enim *Tertullianus De Ieiunio, lavacri quoque abstinentiam congruentem arido vi-*

Sut suos coluisse, inlicitae a Catholicis novitatis accusandam; quod denotat Orthodoxos ieiunii tempore ab lavacro generaliter per eam tempestatem non abstinuisse; quamquam aliquos austerioris disciplinae professores numquam Balneo in tota vita usos esse, constat, ut de *Isidoro Xenodocho* tradit *Palladius Cap. I. Histor. Lausiacae*; de *Magno Antonio Sozomenus Libro I. Histor. Eccles. Cap. XIII.* de *Fulgentio* Ruspensi Episcopo *Bollandiani in Act. Sanct. Mens. Januar.* Ceterum postea receptum est, ne Christiani esurialibus feriis lavarent, ut late ostendit *Paul. Mar. Paciaudus De Sacris Balneis Cap.* IX. Poenitentes pariter non lavabant, saltem frequenter, dum sua peccata ultricibus lacrimis abstergebant; nam S. *Cyprianus De Lapsis* eos increpans, qui ad Dominum post lapsum redire praesumebant, & desidebant in deliciis, ita scribit: *Lamentari eum putamus ex toto corde; ieiuniis, fletibus, planctibus, Dominum deprecari; qui & primo criminis die, lavacra quotidie celebrat, qui epulis adfluentibus pastus, & sagina largiore distentus, cruditates suas postridie ructat, nec cibos & potus suos cum pauperum necessitate communicat &c.* Nec mirari subit, si Christiani a Balneis minime abhorrerent, quum & iis pro templis interdum antiquitus usi sint; & in iis sacros coetus celebrarent, ut ostendit idem eruditissimus *Paullus Maria Paciaudus De Sacris Balneis Cap. V.* Et quidem in *Actis S. Justini Martyris* apud *Ruinartium* legitur, quod interrogatus *Justinus* a Praefecto, in quem locum ipse & discipuli convenirent, respondit, *convenire ad Balneum cognomento Timotinum.* Hinc iuxta templa & Ecclesias Thermas & Balnea aedificabant, vel dotalia iis donabant: quare *Anastasius*, quum dixisset, *Damasum* constituisse Titulum vel Basilicam, donaria & fundos, quos ei largitus est, enumerat, memoratque etiam Balneum *iuxta Titulum praestans solidos septem & viginti*; & in *Innocentio I.* scribit, ab eo inter alia donatum Titulo Romano, ex delegatione illustris feminae *Vestinae* constituto, fuisse *Balneum in Vico longo, quod cognominatur Templum, praestans solidos quadraginta*. In *Hilaro* autem haec habet: *Hic fecit Balneum & Praetorium Sancti Stephani*. Et in *Symmacho* scribit: *Fecit Basilicam Sancti Pancratii, ubi & fecit arcum argen-*

gen-

genteum, qui pensat libras quindecim, fecit autem in eodem loco Balneum. Inscriptio apud *Arringhium Lib.* III. *Romae Subterran. Cap.* II. occurrit, inqua Balinei in Coemeterio & Basilica siti mentio est; quae pariter a *Reinesio pag.* 1001. *num.* CCCCXLII. profertur, atque ita habet:

.... NOMINE DEI PATRIS OMNIPOT .... S ET DOMINI NOSTRI IESV XP FIL ....
.... ANCTI PARACLETI EVSEBIVS INFA .... OVAVIT CYMITERIV TOTV ....
.... OLVMNAS IN PORTICOS PICTVR .... VAS IN RVINIS ERAT TOTA SE ....
TV CVM TEGVLAS ETTABI ..... N ET ACVTOS ET MATERI ....
TOTA BALINEV MARMO .... QVE MINVS ABVIT ET SCAMNA
..... TRAS SPLECLARA ITEM INS ...... ERIORA MARMORAVIT PAL ....
..... OSTRA INCINOS ET CLABES .... OSVIT VT POTVIT VSQVE D ....
.... SET IN SECVLO FECIT RELIQV .... ABRICA QVANDO EXIVIT D ....
.... CVLOR EMISIT ALVMNIS SVI ..... CVNIA ET IPSI FABRICAVE
RVNT INTROITV AT MARTYRES .... OD EST IN PVBLICV FVND ....
.... BRICABIT MESAS AT MARTYRES .... OTAS FECIT AQVAM IN VALIN ....
.... PER MAGNANA AT CON .... A CVBICVLV ET CANCELLV FEC ....
.... CAVSA FVRES FECIT CIAMVL .... A LA PACENT ITEM SART .....
.... A SVSCEPIT SIGILLA INQVE IN POR .... OSVIT COMPODIOLA

Haec autem Balnea eadem, ac sacros Baptisterii fontes, non fuisse, demonstrat eodem loco laudatus *Paciaudus*. Balnea quoque iuxta templa posita memorantur, & iure asyli gaudere dicuntur, in *Codice Theodosiano Libr. IX. Tit. XLV. De his qui ad Ecclesias confugiunt*. Balinei elegantem, copiosam, integram, curiosamque, descriptionem habes apud *Sidonium Apollinarem Lib. II. Epist. II.* Itaque qui Balnearum curam habebant, *Balneatores* dicebantur. S. *Zeno Invitation. ad Fontes VI.* ἀλληγορικῶς: *Properate, properate, bene loturi fratres. Aqua viva Spiritu Sancto, & igne dulcissimo temperata, blando murmure iam vos invitat. Iam BALNEATOR praecinctus exspectat, quod uncti, quod tersui, opus est, praebiturus.* Ac de servis Balneatoribus multa apud *Laur. Pignor. De Servis*; *Fulv. Vrsinum in Appendice ad Ciacconium De Triclinio*; *Claud. Salmasium* in *Lampridii*

dis Commodum Cap. VII. Nunc tantum animadversum velim, ubi supra *pag.* 180. in *Tertulliani* loco *Fures & Aleatores* ex novissima eius editione lectum est, melius habere editionem veterem *Fures Balneatores*. Celebres enim erant *Fures Balneatorii*, de quibus exstat ff. *Lib.* XLVII. *Tit.* XVII. *Catullus: O furum optime balneariorum*, ad quem locum videndi *Muretus* & *Petr. Victorius Var. Lect. Lib. VII. Cap. XVII.* Hinc ne vestimenta e Balneis auferrentur, Capsarii statuta mercede adhiberi solebant, de quibus *Paullus L. III. D. De Officio Praef. Vig.* Hic etiam adnotaverim, Sanctos Martyres, & Confessores, ad thermarum exstructionem & opera damnatos olim fuisse; quare in *Martyrologio Romano III. Id. Decemb.* legitur: *Romae passio S. Thrasonis, qui quum Christianos laborantes in thermis, aliisque operibus publicis, fatigatos, & in carcere positos, de suis facultatibus aleret, iubente Maximiano tentus, cum aliis duobus Pontiano & Praetextato, Martyrio coronatus est.* Vide ALIPTAE. CAPSARII. FORNACARII.

XXI. BIBLIOPOLAE, qui Graece dicuntur & Βιβλιοκάπηλοι. *Sidonius Apollinaris Lib. V. Epist. XV.* eos cum Librariis confundere videtur: „ Officii sermone praefato, Bibliopolam „ vestrum non gratiose, sed iudicialiter expertus insinuo; cu„ ius ut fidem in pectore, sic in opere celeritatem, circa „ dominum se mihi sibique communem, satis abunde proba„ vi. Librum igitur sui ipse deportat Heptateuchi, scriptum „ velocitate summa, summo nitore, quamquam & a nobis re„ lectum, & retractatum. Defert & volumen Prophetarum, „ licet me absente decursum, sua tamen cura manuque de „ supervacuis sententiis eruderatum &c. „ Et quidem antiquitus illi iidem, qui libros describebant, vendidisse etiam videntur, ut typographi in praesens: quare quae multa de Bibliopolis nunc dici possent, alii loco opportuniori, ubi de Librariis & Calligraphis agemus, reservamus. Nunc tantum observaverim, quosdam antiquitus egregios viros Bibliothecas instructissimas dedicasse, adeoque librorum multum comparavisse. Talis fuit *Alexander* Ierosolymorum Episcopus], qui in sua urbe eiusmodi Bibliothecam construxit, ut *Eusebius Lib. VI. Histor. Eccles. Cap. XX.* testatur. Talis *Pamphilus* Mar-

tyr, Presbyter Caesariensis, de cuius Ecclesiastica Bibliotheca copiosissima idem *Eusebius Lib. VI. Cap. XXXII.* testimonium perhibuit, & de quo ita *Hieronymus* in *Catalogo: Pamphilus, Presbyter, Eusebii Caesariensis Episcopi necessarius, tanto Bibliothecae divinae amore flagravit, ut maximam partem Origenis voluminum sua manu descripserit, quae usque hodie in Caesariensi Bibliotheca habentur.* Talis *Ambrosius* Alexandrinus videatur, qui Notarios & Antiquarios, & chartas, *Origeni* scribenti suis sumtibus ministrabat, ut *Hieronymus in Catalogo, & Epist.* VIII. scribit. Qui quidem *Origenes* profanae litteraturae libros omnes vendidit, ut quotidiana abemtore alimenta subsciperet. Scribit enim laudatus *Eusebius Lib. VI. Cap. III. Deinde prudenti consilio usus, ne alieno subsidio opus haberet, venditis priscae doctrinae voluminibus, quae apud se habebat elegantissime elaborata, contentus fuit quatuor obolis, qui ab emtore voluminum ipsi in dies pendebantur.* Et eius Bibliothecam commemorat *Hieronymus De Scriptoribus Ecclesiasticis* in *Origene*, Bibliothecam habuerit & *Florentius*, ad quem ita scribit idem *Hieron. Epist.* VI. *Heliodorus Frater mihi indicavit, te multa de Scripturis quaerere, nec sic invenire. Aut si omnia habes, incipit sibi plus caritas vindicare, plus petere.* Quid autem de ipsius *Hieronymi* copiosa Bibliotheca pronunciaverim, quam ut amplius instrueret, non tam ipse describebat libros sua manu, quam Antiquarios, qui id praestarent, habebat, ut in eadem Epistola dicit, cuius sunt & illa verba: *Largiente Domino multis sacrae Bibliothecae codicibus abundamus; impera vicissim, & quoscumque vis mittam. Nec putes mihi grave esse, si iubeas. Habeo alumnos, qui Antiquariae arti serviunt?* Alio sensu, quam Bibliopolae, usurpat vocem βιβλιοκάπηλοι Concilii in Trullo Canon LXVIII. ubi decernit, *nulli ex omnibus licere Veteris & Novi Testamenti librum, nec sanctorum & eximiorum Praeconum & Doctorum corrumpere vel consciendere, vel librorum Cauponatoribus βιβλιοκαπήλοις, vel iis, qui dicuntur Unguentarii, vel alicui alii ex omnibus, ad eum perdendum, tradere. Βιβλιοκαπήλους hic Canon, inquit Zonaras, non vocat eos, qui libros vendunt, sed qui eos delent, vel aliter utuntur libris ad ea, quae iis committuntur, perdenda & abolenda.* Bibliothecas plurimas perdidit Diocletianea persecutio.

XXII. Bi-

XXII. BIGARII. Vide, AVRIGAE. CISIARII, &c.

XXIII. BVBVLCI. Satis de Bubulcis dictum putabitur, quum prolixe & copiose de Agricolis superius egerimus: agricultura enim sine bubus vix exercetur. At mihi temperare non possum, quin *Sidonii Apollinaris* locum elegantissimum heic referam ex *Lib.* VIII. *Epist.* VIII. *ad Syagrium*. *Quousque te Taionnacus patritiae stirpis lassabit agricolam? quousque prati comantis exsuvias biberius novalibus, non ut Eques, sed ut Bubulcus, abscondis? quousque pondus ligonis obtusi, nec perfossis antibus ponis? quid Serranorum aemulus & Camillorum, quum regas stivam, dissimulas optare palmatam? &c.* Vide AGRICOLAE. COLONI. PASTORES. RVSTICI.

§. III.

XXIV. CAELATORES quosdam inter Christianos fuisse, indicat *Tertullianus* superius *pag.* 179. 181. Aerarii, Argentarii, Marmorarii, aliique, esse tales vix poterant, nisi simul & Caelatores exsisterent. Vide SCVLPTORES.

XXV. CALCEOLARII. Vide SVTORES.

XXVI. CAEMENTARII, iidem sunt ac Structores, qui domos, & aedificia, construunt. *Hieronymus Lib. II. Commentariorum in Matthaeum Cap. XII. In Evangelio, quo utuntur Nazareni, & Ebionitae (quod nuper in Graecum de Ebraeo sermone transtulimus, & quod vocatur plerisque Matthaei authenticum) homo iste, qui aridam habet manum, Caementarius scribitur, istiusmodi vocibus auxilium precans: Caementarius eram manibus victum quaeritans: precor te, Iesu, ut mihi restituas sanitatem, ne turpiter mendicem cibos.* Caementariorum meminit idem Doctor *Epistola CIII. ad Paullinum*. Caementarius fuit & famigeratus ille Abbas *Ioannes*, qui sub *Theodosio Seniore* floruit, de quo ita *Palladius Histor. Laus. Cap. XLIV.* *Γέγονέν τις ἰωάννης ὀνόματι ἐν λύκῳ τῇ πόλει, ὃς ἐκ παιδίου ἔμαθεν τὴν τεκτονικήν. οὗ ἀδελφὸς ὑπῆρχεν βαφεύς.* *Fuit quidam Ioannes in urbe Lyco, qui a puero quidem didicit artem Caementariam, cui fuit frater Tinctor.* Vide ARCHITECTI. CAMERARII. STRVCTORES.

XXVIII. CAESARIANI. *S. Cyprianus Epist.* LXXXII. de Rescripto *Valeriani* Augusti ad Senatum contra Christianos agens scribit, *rescripsisse Valerianum ad Senatum, ut Episcopi, & Presbyteri & Diacones incontinenti animadvertantur: Senatores vero, & Viri Egregii, & Equites Romani, dignitate amissa etiam bonis spolientur; & si ademtis facultatibus Christiani esse perseveraverint, capite quoque mulctentur: Matronae ademtis bonis in exsilium relegentur: Caesariani quicumque vel prius confessi fuerant, vel nunc confessi fuerint, confiscentur, & vincti in Caesarianas possessiones descripti mittantur.* Caesariani & Caesarienses dicuntur Officiales Procuratoris Caesaris, qui & Catholiciani vocantur, *L. Prohibitum, & L. Defensionis Cod. De Iure Fisci Lib. X. & L. Penult. §. Final. Cod. De Bonis proscript. Gothofr. ad Novel. I. Cap. IV. §. 2. Verb. Imperialis.* Eos Exsecutores, Nuncios, Fiscales interpretatur *Alciatus L. Final. Cod. de Pact.* Caesarianae autem possessiones erant praedia ad Caesarem pertinentia, *Leg. Ultim. D. De Officio Procur. Caesaris.*

XXIX. CAMELARII. *Palladius Histor. Lausiac. Cap. XL.* de Monasterio Panopoleos loquens, ita scribit: ἐν τούτῳ τῷ μοναστηρίῳ ἑώρακα ῥάπτας δεκαπέντε, χαλκεῖς ἑπτὰ, τέκτονας τέσσαρας, καμηλαρίους δώδεκα, κναφεῖς δεκαπέντε. ἐργάζονται δὲ πᾶσαν τέχνην, ἐκ τῶν περισσευμάτων οἰκονομοῦντες καὶ τὰ τῶν γυναικῶν μοναστήρια, καὶ φυλακάς. Τρέφουσι δὲ καὶ χοίρους. ἐμοῦ δὲ ψέγοντος τὸ πρᾶγμα, λέγουσί μοι· ἐν τῇ παραδόσει παρειλήφαμεν ὅτι τρέφονται μὲν διὰ τὰ σιτιάσματα, διὰ τὰ ἀποκαθαρίσματα τῶν λαχάνων, διὰ τὰ ῥιπτόμενα ἀφ' ἑκάστου πιπτόμενα, ἵνα μὴ ζημιῶνται. καὶ θύονται οἱ χοῖροι, καὶ τὰ κρέας μὲν πιπράσκεται, τὰ δὲ ἄκρα τοῖς νοσοῦσι καὶ τοῖς γέρουσιν ἀναλίσκονται, διὰ τὸ εἶναι μικρὰν τὴν χώραν καὶ πολυάνθρωπον. τὸ γὰρ ἔθνος τῶν Βλεμμύων αὐτοῖς παροικεῖ. ἀναστάντες οὖν οἱ ἑβδομαδεύοντες ὄρθριοι· οἱ μὲν περὶ τὸ μαγειρεῖον ἀσχολοῦνται· οἱ δὲ περὶ τὰς τραπέζας γίνονται. ἑτοιμοῦσιν δὲ αὐτὰς μέχρι τρίτης ὥρας ἀπαρτίσαντες. ἐπιθέντες κατὰ τράπεζαν ἄρτους, λαχάνας, συνθέτους ἐλαίας, τυρὸν βοῶν, τὰ ἄκρα τῶν κρεῶν, καὶ λεπτολάχανα . . . . οὕτως δὲ αὐτῶν καὶ τὰ ἔργα. ὁ μὲν ἐργάζεται γῆν γεωργῶν. ἄλλος κῆπον. ἄλλος χαλκεῖον. ἄλλος ἀρτοκοπεῖον. ἄλλος τεκτονεῖον. ἄλλος χαρτεῖον. ἄλλος βυρσεῖον. ἄλ-

ἄλλος πλέκων σπυρίδας τὰς μεγάλας, ἄλλος τὰ λεγόμενα μαλά-κια τὰ σπυρίδια τὰ μικρά. „ In hoc monasterio vidi Sar-
„ tores quindecim, Fabros ferrarios septem, Fabros lignarios
„ quatuor, Camelarios duodecim, Fullones quindecim. Exer-
„ cent autem omnem artem, & ex iis, quae supersunt, aedi-
„ ficant etiam mulierum monasteria, & custodias; & sues
„ etiam alunt: quod quum ego reprehenderim, hoc ex tradi-
„ tione maiorum se subscepisse dicebant. Aluntur sues ne cri-
„ bratarum frugum excrementa pereant, & purgatorum ole-
„ rum folia, & cetera quae proiiciuntur purgamenta, ne ia-
„ ctura eorum fiat. Et mactentur sues, ut carnes vendantur,
„ ungulae tamen & extremae partes in aegrorum & senum
„ epulas reserventur, quod in ea regione mediocris sit rerum
„ copia & ingens hominum frequentia. Blemmyas enim vici-
„ nos suis finibus habent. Mane ergo surgentes ii, quibus sua
„ vice hoc munus obtingit, alii quidem sunt occupati in cu-
„ lina; alii vero versantur in mensis parandis, mensae impo-
„ nentes panes & olera agrestia, olivas compositas, caseum bo-
„ villum, & extremas carnium partes, & comminuta olera &c. Sic
„ autem erant eorum quoque opera: Alius quidem laborat in a-
„ gro colendo, Alius in horto, Alius in pistrino, Alius in aeris
„ officina, Alius in fabricando, Alius in arte fullonia, Alius
„ in parandis coriis, Alius contexebat magnas sportas, Alius
„ canistros & sportulas. „ *Eusebius De Martyribus Palaestinae Cap. XII.* tradit, Praesides quosdam Ecclesiarum & Episcopos, ex Pastoribus rationalis Christi gregis, quem non rite ac legitime gubernaverant, Curatores camelorum, & equorum Imperatoris constitutos fuisse, de quibus consulenda, quae perpendit *Tillemontius* in *Persequut. Diocletiani Artic.* XXXVII. Huiusmodi ministerii meminit *Metaphrastes* in *Actis Indi & Domnae Martyrum*, quod quidem etsi inter munera personalia recenseatur in Pandectis *Titulo De Muneribus & Honoribus*, tamen heic pro poena accipitur, ad quam Episcopi illi damnati fuerant, & tunc servitutis species quaedam erat.

XXX. CAMPSORES. Vide ARGENTARII.

XXXI. CALIGARII. Inscriptio apud *Muratorium pag. MCMXVII.*

DO-

DOMINVS CALIGA
RIVS CVM CONIVGE
SVA SEVERA.....
RVNT PEDES......

De Caligis Christianorum quaedam nos delibavimus superius *pag.* 163. Vide SVTORES.

XXXII. CANDIDATI milites erant ostensionales ex iis, quos staturae proceritas & forma commendabat. Milites enim fortes & insignes, qui in pugna Imperatorem circuibant & propugnabant, candida veste induti erant. *Hieronymus* in *Vita Hilarionis: Candidatus Imperatoris Constantii, rutilus coma, & candore corporis indicans provinciam, &c. Victor Tunnunensis* in *Chronico: Cui nepos Iustinus vocabulo fuit, Candidati militia functus.*

XXXIII. CANTORES & CANTRICES. Nihil antiquius cantu in sacris coetibus apud Christianos. Hymnos Deo canere exemplo suo praeiverat *Iesus* Servator, apud *Matth. XXVI.* 30. *Marc. XIV.* 26. & confirmaverat Apostolus *Ephes. V.* 19. scribens: *Et nolite inebriari vino, in quo est luxuria; sed implemini Spiritu Sancto; loquentes vobismetipsis in psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus, cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino.* Et *Colossens.* III. 16. *Verbum Christi habitet in vobis abundanter, in omni sapientia, docentes & commonentes vosmetipsos, psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Deo.* Hinc non mirum si *Plinius* ipse testatur, Christianos in matutinis coetibus hymnos canere solitos *Christo* tamquam Deo, ut ex eius verbis supra *pag.* 194. relatis liquido constat. Nec mirum si Auctor Dialogi *Philopatris* inscripti Christianos ἐπὶ παννυχίους ὑμνῳδίας ἐναγρυπνοῦντας dicat. Sed hisce melior testis *Ignatius* Martyr *Epistola ad Romanos: ἵνα ἐν ἀγάπῃ χορὸς γενόμενοι, ᾄσητε τῷ Πατρὶ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ* &c. *ut in dilectione chorus effecti cantetis Patri in Christo Iesu, &c.* Et a Christo & Apostolis cantum Ecclesiasticum deducit S. *August. Epist.* CXIX. *Cap.* XVIII. Hunc Christianorum usum

lu-

Iuculente confirmant *Tertullianus* supra *pag.* 207. *Prudentius* in *Hymno Hemitheris & Chelidonii*, & *Hymno Fructuosi & Augurii &c.* & in *Apotheosi*, ubi illa carminum omnium materiem Christum praedicantia:

Quidquid in aere cavo reboans tuba curva remugit,
Quidquid in arcano vomit ingens spiritus haustu,
Quidquid casta chelys, quidquid testudo, resultat,
Organa disparibus calamis quod consona miscent,
AEmula pastorum, quod reddunt vocibus antra,
Christum concelebrat, Christum sonat, omnia Christum
Muta etiam fidibus sanctis animata loquuntur.

Idem docet & S. *Paullinus, Poemat.* V. & XIV. & XVII. & XVIII. & XXI. & passim ceteri omnes Patres. Nec Psalmos Davidicos tantum canebant, verum primitivi Christiani cantica & hymnos omni metrorum & rhythmorum genere in Dei honorem conficiebant, ut scribit *Eusebius Lib.* II. *Histor. Eccles. Cap. XVII.* & *Lib. V. Cap. XXVIII.* Superest adhuc hymnus huiusmodi a *Clemente* Alexandrino elaboratus, aliusque viri alterius sanctissimi opus. Primum autem in Ecclesiis uterque sexus cantabat, ut ex *Prudentio* & *Paullino* locis citatis docet, & disertissime testatur *Isidorus Pelusiota Lib.* I. *Epist.* XC. Erant tamen in Ecclesia & certi Cantores, qui verba saltem praeibant, cantumque auspicabantur, quos *Canonicos Cantores* Concilii Laodiceni XV. Canon adpellat. De hisce autem consuli possunt *Io. Bona De Divina Psalmodia, Cap.* I. §. III. *&* IV. *& Cap.* XVII. §. III. & *Suicerus* in voce ψάλμος, & ψάλτης. Sed & profani, & qui libera ac lasciva carmina canerent, scenici Cantores, inter Christianos erant. Indicat id perspicue *D. Hieronymus Epistola ad Salvinam*, his verbis: *Non ambulet iuxta te calamistratus Procurator, non Histrio fractus in feminam, non Cantoris diabolici venenata dulcedo, non iuvenis cultus & nitidus. Nihil artium scenicarum, nihil tibi in obsequiis molle iungatur.* Et *Epistola ad Furiam*: *Iuvenum fuge consortia. Comatulos, comptos, atque lascivos, domus tuae tecta non videant. Cantor pellatur, ut noxius. Fidicinas & Psaltrias & istiusmodi chorum Diaboli, quasi mortifera Sirenarum carmina,*

pro-

proturba ex aedibus tuis. Et *Epistola ad Gaudentium* de Pacatulae infantulae educatione: *Vocis dulcedines per aurem animam vulnerantes, Puellarumque lascivia, repellantur, quae quanto licentius adeunt, tanto difficilius evitantur: & quod didicerunt, secreto docent; inclusamque Danaen vulgi sermonibus violant. Sit ei Magistra Comes, Paedagoga Custos, non multo vino dedita, non iuxta Apostolum otiosa, atque verbosa, sed sobria, gravis, Lanifica, & ea tantum loquens, quae animum puellarem ad virtutem instituant*. Huiusmodi Psaltriae & Cantrices innui videntur in antiqua Inscriptione apud *Aringhium Tom.* I. *Romae subter. Lib.* III. *Cap.* XXII. *pag.* 610.

CNISMI · SVTORIS · ET
PELORINIS · CANTRICIS
VIX · ANN · XXX

De hisce S. *Ambrosius Lib. I. Officior. Cap. X. Qui canendi suavitatem, & vocis adfectant praestantiam, prius sensim canendo vocem excitant*.

XXXIV. CAPSARII. Vide supra *pag.* 233.

XXXV. CARBONARII. Inscriptio apud *Muratorium pag. MDCCCXX*. 1.

..... ACILIV · CARBONARIV
.....II · KAL · AGT · IND · XI ·

C · DIMTAE RELICIT

San-

Sancti *Alexandri* ab arte, quam exercuerat, cognomento *Carbonarii*, *ἀνθρακέως*, Episcopi Comanae in Ponto, iam Philosophi disertissimi, laudes videre est apud *Gregorium Nyssenum* in *Vita S. Gregorii Thaumaturgi*, quam quidem artem *ταπεινοφροσύνης* studio, & continentiae amore, praeelegerat, non aliqua necessitate compulsus, de quo agit etiam *Martyrolog. Romanum* ad *d. III. Idus Augusti*.

XXXVI. CARNIFICES. Martyrologium Romanum Pridie Kalendas Iunii: *Apud Comanos in Ponto S. Hermeae Militis, qui sub Antonino Imperatore, ab innumeris & saevissimis tormentis ope divina liberatus, Carnificem ad Christum convertit, & eiusdem Martyrii coronae participem fecit, quam tamen ipse primum gladio obtruncatus accepit*. Et Idibus Iulii: *Sebastae Sancti Antiochi Medici, qui sub Hadriano Praeside capite obtruncatus est; quumque ex eo lac pro sanguine manaret, Cyriacus Carnifex conversus ad Christum, & ipse Martyrium subiit*. Idem *Martyrologium V. KL. Decembris*, *S. Irenarchi* Carnificis meminit, qui *Acacii* Presbyteri, & septem mulierum, constantiam admiratus, *Christi* consulta & sacra amplexus est, cui etiam testimonium sanguine fuso perhibuit. Vide, APPARITORES. SPICULATORES.

XXXVII. CARRUCARII. Vide AURIGAE. ESSEDARII.

XXXVIII. CASTRENSES. Consule superius *pag.* 223. 224.

XXXIX. CATHEDRARII Servi erant, qui cathedram, vel sellam gestatoriam & fertoriam gestabant, quorum meminit *Sidonius Lib. I. Epist. XI. pag. 18. Solus Curio meus in transfugarum perfidiam invectus, quum advesperasceret, per Cathedrarios servos Vespillonibus teteriores, domum raptus, ac reportatus est*. Tales erant illi, quorum mentio apud *Eusebium Lib. VI. Histor. Eccles. Cap. XLI.* & de quibus egimus superius *pag.* 219. Vide BAIULI. GERULI. GESTORES.

XL. CATHOLICIANI. Vide CAESARIANI.

XLI. CAUPONES. Necessarium ministerium non improbat *Clemens* Alexandrinus *Lib. II. Paedagog. Cap.* XI. sed Caupones Christianos docet, quomodo iis vivendum sit. *Licet in administranda Republica versari; quin etiam, quae sunt in mun-*

do, honeste ex Dei sententia auferre, minime est prohibitum. Qui aliquid vendit, aut emit, earum, quae a se venduntur, aut emuntur, nunquam dicat duo pretia. Verum autem ut simplex dicitur, & vera dicere studeat, si id non consequitur, dum veritatem adsequitur, recta enim adfectione dives est. Absit autem iusiurandum auctor omnium, quae venduntur. Absit autem etiam in aliis iusiurandum, & ita philosophentur Negotiatores forenses, & Caupones. ϰαὶ οὕτω φιλοσοφείτωσαν οἱ Ἀγοραῖοι ϰαὶ οἱ Κάπηλοι. Et quidem non probare non poterat, quod Christus Servator ante commendaverat, cuius mater Maria, & Ioseph, in requisito diversorio ἐν τῷ ϰαταλύματι locum non invenere. Diversorium autem hospitium publicum significare, probat etiam Io. Maldonatus ad Lucae Cap. II. vers. 7. adeoque πανδοχεῖον Graece recte diceretur, quale erat illud, in quod misericors Samarites duxit hominem ab latronibus vulneratum, & semivivum relictum, qui etiam altera die protulit duos denarios, & dedit Stabulario τῷ πανδοχεῖ, & ait: Curam illius habe: & quodcumque supererogaveris, ego cum rediero reddam tibi. Si fabulatori Abdiae fides habenda esset, hic Lib. I. §. XIV. narrat, quum Petrus Apostolus ad Stabulum ire vellet, ab honesto viro, ut in sua domo maneret, compulsum fuisse, quod etiam habetur Lib. IX. Recognitionum Cap. XXXVIII. Idem Abdias Lib. III. §. XXV. Andream Apostolum Patris in diversorio moratum fuisse, memoriae prodit. Huiusmodi autem Stabularios, & πανδοχεῖς, a Cauponibus parum differre, statim & primore adspectu intelligitur: quin & docet pluribus Caspar Suicerus in πανδοχεῖον, nihil hoc a caupona differre. Ulpianus Iuris Consultus: Caupones & Stabularios eos accipimus, qui cauponam vel stabulum exercent. Seneca Lib. I. De Benefic. Cap. XIV. Nemo se Stabularii aut Cauponis hospitem iudicat. Apuleius Libro I. Ego vero quod primum ingressus stabulum conspicatus sum, accessi, de quadam anu Caupona illico percontor. Quare S. Augustinus Tract. XLI. in Ioan. scribit: Utere mundo, non te capiat mundus: quod intrasti, iter agis, exiturus venisti, non remansurus. Iter agis, stabulum est haec vita. Utere nummo, quomodo viator in stabulo utitur mensa, calice, urceo, lectulo, dimissurus, non permansurus. Hinc Sanctus

Mar-

Martyr *Theodotus* Ancyranus Caupo fuit, de quo *Nilus* testis oculatus ita in eius Actis apud *Ruinartum*: „ Obiiciunt ali„ qui, communem vivendi modum amplexum esse Martyrem, „ nec ab usu voluptatum remotum; qui & mulieri legitimo „ nuptiae sibi iunctae convixit, & Cauponariam exercuit quae„ stus gratia. Sed extremum certamen Martyris priorem quoque „ vitam facit insignem &c. . . . . . Cauponaria, praeter mo„ rem, erat ei in vili habitu pro munere Episcopali; quum „ iniuriam passis pro virili succurreret, infirmus collaboraret, „ afflictis compateretur, particeps ipse passionum alienarum, „ & caritate plenus . . . . . . Non enim Cauponariam, ut „ quidam aiunt, lucri causa exercebat ad congregandas pecu„ nias; sed industria utens cogitabat, quomodo caupona sua „ fieret portus salutis persequutionem patientibus, communi „ omnium securitati praeparatus . . . . . . Erat ergo domus „ iusti caupona simul & portus tranquillus religionis illuc con„ fugientibus, ibidemque abditus ad orationem locus muni„ tus. Adsumto enim cauponarii quaestus praetextu in oc„ casionem exercendae pietatis, aliquandiu mansit inobserva„ tus, &c. „ Monachos vini venditores in monte Nitriae extitisse, tradit *Palladius Histor. Lausiac. Cap. VIII.* Tabernis & stabulis Christianos uti, ut reliquos, proclamat *Tertullianus Apologet. Cap. XLII.* cuius verba superius *pag.* 91. 92. opportune protulimus; calumniatur tamen, quum *Libro De Ieiunio*, Orthodoxorum esse ait, in carceribus popinas exhibere Martyribus, quod convivia, & epularum solatia vinctis illis ministrarent, ut supra *pag.* 108. videre est. Ceterum cauponarium exercere reprehensibile non est; sed in tonstrinis & cauponis versantes viros, suavibus blandisque verbis nugari, & adsidentes mulieres quandoque venari, &, ut risum moveant, maledicere, merito reprehendit, & damnat, *Clemens* loco citato, quemadmodum etiam *Palladius Histor. Lausiac. Cap. XXXIII.* Cur autem *Cauponari* in sacris litteris malo sensu interdum usurpetur, vide apud laudatum *Suicerum* in καπηλεύω. Quum vero sacri Canones Clericis in cauponis, & tabernis, popinisque, versari vetant, non necessitatis instantiam excludunt, sed crapulae ac temulentiae vitium exhorrent; quos

consulere est apud *Gratianum Distinctione XLIV*. Vide STABVLARII, TABERNARII.

XLII. CELLARII erant, qui rem cibariam in penu exstantem adservabant; nam & Penum *Cellarium* dicimus. *Cellaepromae* huc referendae sunt, quarum meminit *Tertullianus De Resurrectione Carnis* illis verbis: *In Cellispromis caro salita, & usui reposita, servatur, depromenda illinc suo tempore*. Cellarii occurrerent in Inscriptione apud *Aringhium Tom. I. Romae subter. Lib. III. Cap. III.* & *Gruterum pag. MLIV.* 8. si fides quibusdam habenda esset, qui Quadratarii errore CENARIORVM scriptum fuisse putant pro CELLARIORVM. Inscriptio enim ita habet.

HIC IACET NOMINE MATRONA C · F · IN PACE
VXOR CORNELI PRIMICERI CENARIORVM
FILIA PORFORI PRIMICERI MONETARIO
RVM QVE VIXIT FL · M · AN · XXIIII QVE RECESSIT
DIE MERCVRIS ORA VIII ET DEPOSITA DIE
IOVIS IDVVM MAIARVM IN CONTRA
COLOMNA VII CONS · FL · HERCVLANI VC

Aringhius putat legendum SCENARIORVM, hoc est, eorum, qui scenas & tabernacula fabricarent. Vide PROMICONDI.

XLIII. CERDONES. Consule superius *pag.* 90. 91. ubi viri doctissimi *Th. Mar. Mamachii* suffragium exhibuimus, pro ea opinione, quae in adlato *Iuvenalis* loco *Cerdonum* nomine Christianos intelligit. Sed sicut me nebulo quidam ob hoc ipsum calumniatus fuerat, ita Auctores Trevoltiensium Ephemeridum *Mamachium* criminati sunt. Sed mea defensio contra opicum illum, quam ibidem protuli, etiam *Mamachio* contra Trevoltienses proderit, cui nunc addere lubet, ipsum *Eusebium* Caesariensem *Lib. III. Histor. Eccles. Cap. XVII.* meae interpretationi favere quamplurimum, quum de persequutione *Domitiani* paria paene habeat, ac *Lactantius* & *Iuvenalis*.

XLIV. CHAR-

XLIV. CHARTARII. Inscriptio apud *Muratorium* MDCCCCLIV. 1.

LOCVS
VALERIANI
CHARTARI

Chartarii fuerunt Custodes chartarum Principis aut Reip. iidemque fere videntur atque Chartulari, Scriptores nempe Tabularum, sive Instrumentorum, ad Imperatorem spectantium, ut adnotat eo loco *Muratorius*. *Athalaricus* Rex apud *Cassiodorum Var. Lib. VIII.* 23. nominat *Chartarius sedis Bergamini Comitis Patrimonii*. Sunt igitur qui a Graecis Χαρτοφύλακες dicuntur, & cum Scrinlarius confunduntur, qui ideo a *Chartularius* distinguuntur, quorum nomen Graece Χαρτογράφοι, quibus de agit in Graeca Constitutione *Iustinianus*.

XLV. CHARTVLARII. Vide CHARTARII. Vtrorumque autem munus honoratum.

XLVI. CHORAVLAE dicebantur omnes, qui cum choro tibiis canebant, sive in scena, dum saltaretur; sive in comoediis, quando chorus canebat. Postea Choraulae a comoedia se segregarunt, & res suas, partesque, seorsum in scena agere coeperunt, ut & Pythaulae, & Pantomimi, ut tradit *Sam. Pitiscus in Lexico*. Apud *Apuleium Lib. I. Floridorum* Choraulae Monumentarii dicuntur, qui tibiis defunctos ad sepulcra canebant, quos antiquitus Siticines vocitarunt. Choraules erat Sanctus *Philemon* Martyr, cuius Acta apud *Ruinartum*, seu potius *Rufinus De Vitis Patrum Cap. XIX.* produnt, hunc Choraulam famosissimum, omni populo amabilem, a Sancto *Apollonio* Monacho & Martyre, ad Christi fidem fuisse conversum, statimque veritati illustre testimonium in mare cum *Apollonio* demersum perhibuisse. Christianorum, ut videtur, Choraularum meminit *Sidonius Apollinaris Carmine XXIII.* ad *Consentium* canens:

Quid

Quid dicam Citharistrias, Choraules,
Mimos, Schoenobatas, Gelasianos,
Cannas, plectra, iocos, palem, rudentem,
Coram te trepidanter explicare?

Eorum autem artificium venuste describit *Libro IX. Epistola XIII.*

Date ravulos Choraulas,
Quibus antra per palati
Crepulis vestanda buccis
Gemit aura tibialis.

Vide supra *pag.* 229.

XLVII. CIRCITORES. Circitoris meminit Inscriptio apud *Reinesium pag.* 995. *num.* CCCCXXIV. & *Fabrettum pag.* 736. *num.* 470. quae ita habet:

LOCVS OPORTV
NI CIRCITORIS CON
IVGISQVE EIVS ALBI
NAE ATQVE FILIORVM
EORVM PALATINAE
ET VRBICI
REQVIESCENTIVM
IN PACE

Erant autem Circitores ex illis Institoribus, quibus Vestiarii, vel Lintearii, vestem circumferendam & distrahendam, dabant. *Circitores* tamen *Cacabarii* sunt, qui vasa aerea detrita, hiulca, pertusa, sarciunt, eique rei vicos perambulant. *Circitor*, vel *Circumitor* horti, est eius Custos. *Circitores* dicebantur etiam, qui in militia vigilias circuibant, de quibus *Vegetius Lib. III. Cap. VIII.*

XLVII. CI-

XLVIII. CISIARII. Vehiculorum usus probatus fuisset *Andreae* Apostolo, si vera narraret *Abdias Babylonius Lib. III.* §. *VI.* ubi scribit, *Andream* adscenso vehiculo ad Achaiae civitatem venisse. Vide AVRIGAE, saepe enim iidem sunt, sicut & CARRVCARII.

XLIX. CISTELLARII Artifices. Vide supra *pag.* 189. & 237.

L. CITHAROEDI. Vide superius CANTORES, ubi elegantes *Prudentii* de Citharoedis agentis versiculos protuli *pag.* 239. Vocalium instrumentorum quorumdam usum permittit *Clemens* Alexandrinus *Lib. I. Paedag. Cap. IV.* quorumdam damnat. Permittit autem lyram & citharam. *Κἂν πρὸς κιθάραν ἐθελήσῃς ἢ λύραν ᾄδειν καὶ ψάλλειν, μῶμος οὐκ ἔστιν. Et si ad citharam velis aut lyram canere & psallere, nulla est reprehensio.* Improbat vero tibias, cymbala, tympana, fistulas, tubas, pectudas, cornua, quibusdam rationibus adlatis, quae multum roboris & firmitatis habere, non omnibus videantur. Et profecto, qui cithara reprobetur, si *Ioannes* in *Apocalypsi Cap.* V. & XIV. vidit Seniores ante thronum Dei habentes singulos citharas; & audivit vocem, sicut Citharoedorum citharizantium in citharis suis? Citharam vero & tibiam, tubamque, prope cum laude commemorat Apostolus *Paullus I. Corinth. Cap. XIV. S. Paullinus Poemate XXI.* ἀλληγορικῶς.

Magnificate Deum mecum, & sapienter honestis
Vnanimes pueri psallite carminibus:
Vt decachorda sonent pulsis psalteria nervis,
Et paribus coeant dissona fila modis.
Sic pia compagis nostrae testudo resultet,
Tanquam uno triplex lingua sonet labio &c.
Ergo novem cunctis socia cum prole parentes,
Pectore concordi simus ut una chelys;
Omnes ex nobis citharam faciamus in unum
Carmen, diversis compositam fidibus.
Aemulus veniat decimus. Tunc denique pleno
Concinet in nobis mystica lex numero.

H

Hoc etenim numeri in capite, in testudine pacis
Viva salutiferum chorda loquetur opus.
Huic citharae plectrum Felix erit. Hoc decachordam
Christus ovans citharam pectine percutiet &c.

Citharoedorum artem miram, & ingeniosum magisterium, describit graphice *Cassiodorus Lib. II. Variar. Epist. XL. & XLI.* Consulendus *Io. Bona Divin. Psalmodiae Cap. XVII. §. II.* Vide supra CHORAVLAE. & *pag.* 229 239. & 246.

LI. COENARII. Vide Inscriptionem superius *pag.* 244.

LII. COLLACTANEI servi & vernae plerumque erant, & *Collactei*, *Colatiique*, etiam dicebantur, ut *Laur. Pignorius* testatur. *S. Lucas* in *Actis Apost. Cap. XIII. Erant autem in Ecclesia, quae erat Antiochiae, Prophetae, & Doctores, in quibus Barnabas, & Simon, qui vocabatur Niger, & Lucius Cyrenensis, & Manahen, qui erat Herodis Tetrarchae Collactaneus, & Saulus.* S. *Emerentiana* Virgo & Martyr Sanctae *Agnetis* Collactanea fuerat, ut tradit *Martyrologium Romanum X. KL. Februarias*; & de ea consulendus Divus *Ambrosius*. Vide ALVMNI. NVTRICES.

LIII. COLLECTARII. S. *Augustinus Lib. XXII. De Civit. Dei Cap. VIII. Irenaei* cuiusdam Collectarii, hoc est, tributorum & vectigalium Exactoris, & Christiani hominis, meminit.

LIV. COLLYBISTAE. Vide ARGENTARII.

LV. COLONI proprie dicuntur, qui agrum certa pecunia conductum colunt, auctore *Columella Lib. I.* seu liberi homines erant, qui ea conditione agros colebant, & ut certam eorum nomine pensionem praestarent, neque unquam ab illis discederent. Servi item proprii, per quos praedia coluntur, Colonorum nomine denotantur. Colonorum Christianorum conditionem intelligere est ex D. *Gregorio Lib. I. Epistola XLII. & Sidonio Apollinari Lib. V. Epist. XIX.* S. *Cyprianus Epist. LII.* de lapsis in persequutione agens: *Ille qui Inquilinos vel amicos suos ad facinus compulit, & qui Inquilinis & Colonis pepercit.* Generatim vero ad Agricolas pertinent, de quibus supra suo loco tempestive egimus, cui argumento nunc addere

re possumus, Agriculturam a *Clemente* Alexandrino *Lib. III. Paedag. Cap. X.* laudari; & Agricolam ac ovium Pastorem fuisse S. *Spiridionem*, memoriae prodidere *Sozomenus Lib. I. Histor. Eccles. Cap. XI.* & *Cassiodorus Histor. Tripart. Lib. I. Cap. X.* Agricola quoque & Vinitor fuit *Paullus* ille Monachus, quo de agit *Palladius Histor. Lausiac. Cap. XXX.* ex quo auctore alios quoque Monachos rustici operis exercitores superius *pag.* 237. exhibuimus. S. Martyrem *Barlaam* Rusticum nobis describunt *Basilius Magnus*, & *Ioannes Chrysostomus*; & Rusticorum Vinitorum opus copiose eleganterque depingit S. *Zeno Tract. XXVII.* Vide AGRICOLAE, RVSTICI, VINITORES, & *pag.* 206. 237.

LVI. COMITES. Ancillae & famulae ita ab D. *Hieronymo* vocantur in *Epitaphio Marcellae*, seu *Epistola* XVI. & alibi passim. *Semper in Comitatu suo virgines, & viduas, ac ipsas graves feminas, habuit; sciens ex lasciviâ Puellarum saepe de dominarum moribus iudicari, & qualis quaeque sit, talium consortio delectari.* Ex *Epistola XXVII. Si qua erat nobilis, non permittebatur de domo sua habere Comitem; ne veterum actuum memor, & lascivientis infantiae errorem refricaret antiquum, & crebra confabulatione renovaret.* Ex *Epist. XII.* quid de Comite praecipiat, supra *pag.* 240. videre est. Ex his *Hieronymi* locis colligere est, *Puellarum* etiam nomine Ancillas venire, quod confirmatur iis, quae scribit D. *Gregorius Lib. II. Indict. XI. Epist. XXXIX.* & *Lib. III. Epist. XII.* Sed & *Epistola VIII. Hieronymus* ipse scripserat: *Eunuchorum quoque tibi, & Puellarum, ac servulorum, mores magis eligantur, quam vultus elegantia: quia in omni sexu & aetate & truncatorum corporum violenta pudicitia, animi considerandi sunt, qui amputari nisi in Christi timore non possunt.* Comes Armiger memoratur supra *pag.* 213. Vide ANCILLAE, FAMVLAE, ORNATRICES.

LVII. COMOEDVS. *Sidonius Apollinaris Carmine XXIII. ad Consentium*, de eius patre ita cecinit:

Hic si syrmate cultus & cothurno
Intrasses semel Atticum Theatrum

Cef-

Cessissent Sophocles & Euripides.
Et si pulpita personare socco
Comoedus voluisset, huic levato
Palmam tu digito dares, Menander.

Vide CANTORES. CITHAROEDI. CHORAVLAE. HISTRIONES. FIDICINES. SALTATORES. TIBICINES.

LVIII. COMMENTARIENSES erant Scribae, qui *Commentarium* Principis conficiebant. Commentarius autem Principis erat libellus, in quo Princeps nomina omnium perscribi iubebat, quibus aliqua reipub. administratio tradita erat. *Commentariensis* etiam dicebatur, qui diurna iudiciorum acta excipiebat, qui & manu adnotabat, si eorum potestas postularetur. *Commentariensis* quoque vocabatur, qui carceribus praeerat. In castris vero erat, qui obsequia militum, excubias, commeatusque, & alia huiusmodi, in commentarios referebat; & hi etiam *Actarii* & *Actuarii* dicebantur, de quibus superius, verbo ACTVARII. Servum carceris custodem cum tota familia Christianum evasisse, tradit *Lucas* in *Actis*, ut superius *pag.* 91. 111. videre est. S. *Apronianus* Martyr Commentariensis erat, quum adhuc Ethnicus esset, & S. *Sisinium* in carcere custodiverat, ut habetur in *Martyrologio Romano a. d. IV. Non. Februarii*. Commentariensis quoque fuit Sanctus Martyr *Cronidas*, eodem *Martyrologio a. d. VI. KL. Aprilis* auctore. Vide CVSTODES.

LIX. COPIATAE. Vide FOSSARII.

LX. COQVI. De Coquis Monachis loqui sumus superius, *pag.* 236. 237. In coquendo obsonio versari honestas feminas, vult *Clemens Alexandrinus Lib. III. Paedagogi Cap. X.* modo id sit marito gratum; neque enim id dedecori iis est. Nimium delicatiorum ciborum studium taxat reprehenditque *Prudentius* in *Hamartigenia* illis versibus:

———Numquid madido sapor inditus ori
Vivit ob hanc causam, medicata ut fercula pigram
Ingluviem, vegetamque gulam, ganeonis irritent?
Per varios gustus instructa ut prandia ducat
In noctem? Lassetque gravem sua crapula ventrem?

Coquum memorat S. *Augustinus Lib. XXII. De Civit. Dei Cap. VIII.* Coquos Monachos in medium adduximus superius *pag.* 237.

LXI. CORIARII. De *Simone* Coriario Ioppensi vide, quae scripsi superius *pag.* 70. 91. 111. *Eusebius Lib. V. Histor. Eccles. Cap.* XXVIII. memoriae prodidit, *Asclepiodotum*, & *Theodotum* Argentarium, haereticos, discipulos fuisse *Theodoti* illius Coriarii, qui primus ob pravam doctrinam, seu insaniam, qua *Christum* esse merum hominem docebat, ab *Victore* Romano Episcopo ab Ecclesiae communione remotus est. S. *Epiphanius Lib. II. Haeres. LIV. Theodotum* illum vocat, aitque, hominem adprime litteris eruditum fuisse, sed cum aliis plerisque ab urbis Praefecto comprehensum in quaestione fidem negavisse, novae haereseos auctorem futurum. Monachos in parandis coriis occupatos exhibuimus supra *pag.* 237.

LXII. CUBICULARII. Servi sunt, qui domini cubiculum observant, & ad eius corpus tuendum praepositi destinatique sunt, ut recte observat *Laurent. Pignorius De Servis. Maximus*, *Almachii* Praefecti Cubicularius, ad Christi fidem a *Valeriano* & *Tiburtio* Martyribus conversus est, ut habetur in vulgatis *Sanctae Caeciliae Actis. Eusebius Lib. VIII. Histor. Eccles. Cap. VI.* Cubicularios Imperatorum in *Diocletiani* & *Maximiani* persequutione martyrio coronatos fuisse prodit, ut superius *pag.* 221. 222. vidimus; ubi vocem *βασιλικοὺς παῖδας Henr. Valesius Cubicularios pueros* interpretatur. Et profecto tales inter alios erant inclyti *Martyres Dorotheus*, *Petrus*, *Gorgonius*. *Lucianus* vero Cubiculariorum *Diocletiani* Praepositus, ad quem *Theonas* Alexandrinus Episcopus scripsit, eiusque Epistola in *Spicilegio Acheriano* exstat, eam persequutionem animam Christo reddidisse videtur, de quo *Tillemontius Tomo V. Monum. Eccles. in Persequut. Diocletiani Art. III.* Antiquior est *Hyacinthus*, *Traiani* Imperatoris Cubicularius, qui accusatus quod Christianus esset, plagis variis adflictus, & in carcerem trusus, ibi consumptus fame exspiravit, ut legitur in *Martyrologio Romano V. Non. Iul. Alexandri Severi* Ministri aulici fere omnes Christiani erant, ut adfirmat *Eusebius Lib. VI. Histor. Eccles. Cap. XXIII.* adeoque ii etiam, qui e Cubiculo Caesaris e-

rant. Inscriptiones apud *Muratorium pag. MDCCCLVII.* 2. 3.

LOC · DEC · CVBICVLARII · HY......
QVIESCIT CARO MEA NO......
P · M · CREDO RERVSC......
XV · KAL. IVN · ET ITERP.....

Altera vero est:

DESIDERI CVBICVLARI AVG.....
REQVIESCIT CARO MEA NO......
PM CREDO RESVSC..........
V · KAL · IVN · ET IT..........

Apud eundem *Muratorium pag. CCCCXI.*

HIC REQVIESCIT IN PACE ANTHEMIVS
CVBICVL · QVI VIXIT ANNOS LX. DEPO
SITVS IIII · NON · OCTOBR CONS · PROBIANI

Hoc est anno Christi CCCCLXXI. Alia Epigraphe est insequens, scripta anno DXLI.

HIC REQVIESCIT IN PACE VIR SBL
SEDAIGNVCVS ET CVBICVLARIVS RE
GIS THEODERICI QVI VIXIT ANN PLM
XL DEPOSITVS EST SVB D · IIII. ID
MARTIAS BASILIO IVN · VC CONS
INDICTIONE QVARTA

Femina quoque Cubicularia occurrit in Inſcriptione apud eumdem Collectorem *pag. CCCXCVIII.* 1.

HIC REQVIESCIT IN PACE......
QVI VIXIT ANNOS XXXIII · M......
XV · ORAS VI · RECESSIT......
DN · ONORIO AVG · V ·
CVBECVLARIA HVNC TITVLVM
POSVIT

Haec autem Inſcriptio refertur ad annum CCCCII. Vide EVNVCHI.

LXIII. CVRATORES. S. *Cyprianus Epiſt. LXVI.* graviter & iniquo animo ſe ferre ſcribit, quod *Geminius Victor*, de ſeculo excedens, *Geminium Fauſtinum* Presbyterum tutorem teſtamento ſuo nominaviſſet, quum iampridem in Concilio Epiſcoporum ſtatutum fuiſſet, ne quis de Clericis & Dei Miniſtris, tutorem vel Curatorem teſtamento ſuo conſtitueret. Alii erant Curatores civitatum, ſeu Logiſtae, quorum mentio apud *Euſebium Lib. VIII. Hiſtor. Eccleſ. Cap. XI.*

LXIV. CVRIALES multi fuiſſe Chriſtiani perhibentur ab *Euſeb. Lib. II. Vitae Conſtantini Cap. XXX.* ubi de pace ab eo Eccleſiae data, reſciſſiſque Ethnicorum Iudicum ſententiis, agens ſcribit, omnes, ſeu qui patriam extraneo ſolo commutaverant, eo quod Dei cultum ac fidem, cui ſe tota mente dicaverant, prodere noluiſſent, crudelibus Iudicum ſententiis quocumque tempore damnati; ſeu qui in album Curiae relati fuerant, quum antea non eſſent ex numero Curialium, tunc patriis fundis & conſueto otio, liberatori omnium Deo gratias referre. Qui Curiis enim addicti erant (ſolebant autem ditiſſimi quique in eas adſcribi) eorum praedia Curiis mancipabantur. Itaque, tametſi fuga ſemet ſubtraherent, nihil proficiebant, quum fundos Curia occuparet. De peſſima Curialium conditione conſulan-

tur *Pitiscus* & *Calvinus* in *Lexicis*; quamvis in opidis & municipiis iidem ac Decuriones essent. In Actis Sanctae *Symphorosae*, quae sub *Hadriano*, Imperatore una cum septem filiis passa est, apud *Ruinartum* traditur, illius corpus a fratre eius *Eugenio*, principali Curiae Tiburtinae, collectum, in suburbana eiusdem civitatis sepultum fuisse.

LXV. CVRSORES servi erant, qui dominis praecedebant praecurrebantque; quique currentes epistolas, & quidquid epistolas comitabatur, perferebant. Vide *Lauren. Pignorium De Servis*, & *Pitiscum* ac *Calvinum* in *Lexicis*. Cursores indicat *Commodianus* cuius versus supra *pag.* 230. protulimus. Graece Ταχύδρομοι adpellabantur, quorum mentio in titulo Epistolae *Abgari* apud *Ernestum Grabium Tom. I. Spicilegii pag.* 6. Ἀντίγραφον ἐπιστολῆς γραφείσης ὑπ' Ἀβγάρου τοπάρχου τῷ Ἰησοῦ, καὶ πεμφθείσης αὐτῷ δι' Ἀνανία ταχυδρόμου εἰς Ἱεροσόλυμα: *Exemplar epistolae scriptae ab Regulo Abgaro ad Iesum, & ad eum missae Ierosolyma per Ananiam Cursorem.* Item in titulo Epistolae *Iesu* ad *Abgarum*: Τὰ ἀντιγραφέντα ὑπὸ Ἰησοῦ δι' Ἀνανία ταχυδρόμου τοπάρχῃ Ἀβγάρῳ. *Rescriptum Iesu ad Abgarum Regulum per Ananiam Cursorem.* Haec tamen omnia habentur apud *Eusebium Lib. I. Histor. Eccles. Cap. XIII.* ubi non Ἄβγαρος sed Ἄγβαρος legitur. Christiana Inscriptio apud *Browerum* in *Treveri*:

VRSACIVS CVRSOR DOMINICVS

Cursores, qui non pedibus, sed vehiculis, iter accelerabant, publici erant, & Frumentarii veteribus dicti sunt, ut scribit D. *Hieronymus in Abdiam Cap. I.* sed eius aetate *Agentes in rebus*, vel *Veredarii*, dicebantur. Consulatur Titulus *Codicis Theodosiani De Cursu publico*, & *Sidonius Lib. I. Epistola V.* Graecis sunt Ἀγγελιαφόροι, & γραμματοφόροι, atque etiam πτεροφόροι. Adeundi *Suicerus* in Φρουμεντάριος, & *Pitiscus* in *Lexico*. *Cursoris*, seu *Viatoris*, qui in Praetorio *Pilati Iesum* reveritus est, fabella exstat in Apocrypho *Nicodemi* Evangelio.

LXVI. CVSTODES, diversi generis fuerunt, ut apud

Pr-

Pignorium De Servis, & *Pitiscum* in *Lexico*, aliosque. *Custodes ovium*, *teneraeque propaginis agnum*, ut vetus Poeta ait apud *Gellium Lib. XIX. Noct. Attic. Cap. XI.* Pastores sunt. Hinc D. *Lucas Cap. II. vers. 8. Et Pastores erant in regione eadem vigilantes*, *& Custodientes vigilias noctis super gregem suum*. *Custodes Actorum* memoravimus superius *pagina* 185. *Purpurei Custos lateris*, hoc est corporis Imperatoris, occurrit pariter superius *pag.* 213. *Custos personarum* idem videtur esse, ac *Commentariensis*, seu *Custos Carceris*, in *Actis S. Quirini* apud *Ruinartum*, ubi *Marcellus* Custos personarum, quum media nocte magnum splendorem in carcere, in quo S. *Quirinus* erat, miratus esset, aperuit carcerem, & prostravit se ad pedes B. *Quirini*, dicens cum lacrimis: *Ora pro me Dominum*, *quia credo non esse alium Deum*, *nisi quem tu colis*; quare *B.* Episcopus multum hortatus consignavit eum in nomine Domini nostri *Jesu Christi*. Hac de re consulendum est supra, verbo *Commentarienses*. *Custodes Cubiculi* vide in *Cubicularii* & *Excubiae*. *Custodis Virginum* mentio iniecta est superius *pag.* 240. *Custos* autem *Carinarum* occurrit in Inscriptione apud *Aringhium Tom. I. Rom. subterran. Lib. III. Cap. XXII. pag.* 605.

VICTORINA TVMVLAVIT · ERACLIO
MARITO · BM · FECIT MECVM AN · XI.
D · VII · VIX · AN · XXXXI M · II HABET · DE
POSSONE III · ID · IVL · CVM FAVSTO
CARO SVO CVSTODI CARINARVM
IN PACE

§. IV.

LXVII. DELATORES. Delator ille, qui *Iacobum Zebedaei F.* accusavit, & tribunali obtulit, ὁ κατήγορος, ut habet *Suidas*, & ὁ εἰσαγαγὼν αὐτὸν εἰς δικαστήριον, ut

ut scribit *Eusebius Lib. II. Histor. Eccles. Cap. IX.* quum Apostoli virtutem subspexisset, resipiscens, veniam ab Apostolo precatus, & in Christum credens, una cum Apostolo meruit martyrii coronam reportare. Vide LICTORES.

LXVIII. DIAETARII sunt, quibus Diaetae, seu Zaetae, seu coenationem, coenatiunculam vocat *Sidonius Lib. II. Epist. II.* (nos *Tinellum* dicimus) seu triclinii, cura commissa est. Dicuntur autem etiam *Zaetarii*, quod Diaeta *Zaeta* quoque nuncupetur, converso, ut fieri adsolet, D in Z. Non enim S. *Cyprianus* & *Lactantius* & S. *Paulinus*, & S. *Hilarius*, atque *Ambrosius* tantum, *Zabulum* pro *Diabolum*, & *Commodianus*, *Zacones*, pro *Diacones*, dixerunt; sed ipse *Plinius Lib. II. Epist. XVII.* & *Lib. V. Epist. VI.* iuxta quasdam editiones *Zaetam*, & *Zaetulam*, pro *Diaetam*, & *Diaetulam* habet; licet *Sirmondus* ad *Sidonium*, & ad *Phoebadium Barthius*, meliores Codices MSS. *Zothecam*, & *Zothecolam*, habere testentur. *Lampridius* quoque in *Elagabalo* Zaetam habet; & in Inscriptione apud *Muratorium pag. MDCLXXI. 1. Zebus*, pro *Diebus* legitur. *Zemarchus* pro *Demarchus*, est apud D. *Gregorium Magnum Lib. I. Epist. XIII.* Sic Graeci ζάκορος pro διάκορος, ζαβάλλειν pro διαβάλλειν, interdum usurpant, teste *Plutarcho*. Videndi *Cellarius ad Plin. Epist. II. XVII. 12. Spanhemius ad Callimachum Hymno Dianae*, *Listerius ad Apicium Coelium*, *Fabricius* ad *Lib. V. Abdiae Babylonii §. XVII.* ubi hic *ex coruscantibus gemmis Zaetas instructas* memorat; & in primis consulatur *Antonii Velsero* de Zeta & Zetario Epistola, quae in calce libri *De Servis*, a *Pignorio* compositi, adnexitur; & ubi demonstratur, Diaetarios servos fuisse. *Martyrologium Romanum VII. KL. Aprilis: Romae via Lavicana Sancti Castuli Martyris, qui quum esset Zetarius Palatii, & hospes Sanctorum, a persequutoribus tertio adpensus, tertio auditus, in confessione Domini perseverans, missus est in foveam, & demissa super eum massa arenaria, martyrio coronatus est.* Diaetae tamen nomine coenationem significari, perpetuum non est; ea enim adpellatione alia loca interdum veniunt, ut *Velserus* laudatus ostendit. Confer etiam quae habet *Pitiscus* in *Lexico*.

LXIX. DISPENSATORES. *S. Ambrosius Lib. II. Offic. Cap.*

XVI.

XVI. *Scio plerosque Sacerdotes, quo plus contulerunt, plus abundasse: quoniam quicumque bonum operarium videt, ipsi confert, quod ille suo officio dispenset; securus quod ad pauperem sua perveniat misericordia. Nemo enim vult, nisi pauperi, proficere suam collationem. Nam si quem, aut immoderatum, aut nimis tenacem, Dispensatorem viderit, utrumque despiciet, si aut superfluis erogationibus dissipet alieni fructus laboris, aut recondat sacculis.* Apostolus *Paullus I. Corinth. Cap. IV. 2. Requiritur in Dispensatoribus, ut fidelis quis inveniatur.* Graece ἐν οἰκονόμοις. *S. Hieronymus Epist. XXII.* de Coenobitis agens: *Opus diei statum est: quod Decano redditum, fertur ad Oeconomum: qui & ipse per singulos menses patri omnium cum magno timore reddit rationem.* Vide ARCARII. OECONOMI.

LXX. DOLIARII. Exstat apud *Aringhium Tom. II. Rom. subter. Lib. IV. Cap. XXXVII. pag.* 259. Inscriptio, in qua dolium etiam & figura virilis cum marsupio & clava incisa sunt; quare eam ad Doliarium aliquem pertinere arbitratus sum. Epigramma ita habet.

GAVDENTIO FECERVM
FRATRI QVI VIC SIC ANNIS
XXVIIII. M. VIII. D. XVII. DM

Doliarius est servus, cui doliorum cura commissa est, de quo *Pignorius De Servis*.

§. V.

LXXI. ab EPISTVLIS. *Tertius* Apostolo *Paullo* ab Epistolis fuit, & Epistolam ad Romanos scripsit, ut inferius *Cap. XV.* huius operis videre est; quod *Caput* totum est consulendum, nam & *Titus* eiusdem *Paulli* Interpres seu Amanuensis parebit; & *Glaucias*, & *Silas* seu *Silvanus*, *Petri*; & *Prochorus*, & *Caius*, *Ioannis*. Inter Epistolas *Cypriani* est sextadecima ab *Moyse* & *Maximo* Presbyteris, aliisque

Confessoribus, scripta, in cuius fine ita habet: *Praesente de Clero, & Exorcista, & Lectore, Lucianus scripsit.* Epistola LXXX. quae est Martyrum quorumdam ad *Cyprianum*, ab *Iadere* qui etiam subscripsit, exarata fuisse videatur, ita enim definit: *Iader subscripsi, Polianus legi: dominum meum Eutychianum saluto.* Num hic servus erat, qui dominum salutat? S. *Hieronymus* Romano Pontifici *Damaso* ab Epistulis fuisse videtur; ita enim Epistola ad *Ageruchiam* scribit: *Ante annos plurimos, quum in chartis Ecclesiasticis iuvarem Damasum, Romanae urbis Episcopum, & Orientis atque Occidentis Synodicis consultationibus responderem &c.* Vide hic EXCEPTORES, & alibi AMANVENSES. INTERPRETES.

LXXII. EQVITES. Miles equo vehens, eques est, cuius armaturae descriptio elegans apud *Sidonium Lib. III. Epist. III.* ubi ita *Ecdicium* adloquitur: *Hinc iam per ostium in urbem reduci quid tibi obviam processerit officiorum, plausuum, fletuum, gaudiorum, magis tentant vota conicere, quam verba reserare. Siquidem cernere erat, refertis capacissimae domus atriis, illam ipsam felicissimam stipatis reditus tui ovationem: dum alii osculis pulverem tuum rapiunt, alii sanguine ac spumis pinguia lupata suscipiunt, alii sellarum equestrium madefacta sudoribus fulcra resupinant, alii de concavo tibi cassidis exituro flexilium lamminarum vincula diffibulant, alii explicandis ocrearum nexibus implicantur, alii hebetatorum caede gladiorum latera dentata pernumerant, alii caesim atque punctim foraminatos circulos loricarum digitis livescentibus metiuntur.* Equites mysticos videt in *Apocalypsi Ioannes Cap. VI.* qui etiam equo vectus iuvenem latronum ducem persequutus est, ut Christo iterum lucrifaceret, auctore *Clemente* Alexandrino apud *Eusebium Lib. III. Histor. Eccles. Cap. XXIII.* Vide, MILITES.

LXXIII. ESSEDARII, qui esseda regunt ac moderantur. Sunt autem iidem atque Agasones, qui currus, & carpenta, ducunt, quos etiam Aurigas *Virgilius* minus proprie adpellavit. Vide AVRIGAE. CISIARII. HELCIARII.

LXXIV. EVNVCHI. Servi erant, qui cubiculis feminarum & gynecaeis, ut plurimum praeerant; licet & aliis ministeriis interdum fungerentur, ut apud *Pignorium De Servis* le-

te videre est. Eunuchus potens *Candacis* Reginae Aethiopum, qui erat super omnes gazas eius, lustrali aqua ab *Philippo* Diacono tinctus est, & Christianus effectus, ut prodit *Lucas Actor. Cap. VIII.* & de eo agitur etiam superius *pag.* 228. & inferius *Cap. VI.* Sancti Martyres *Nereus* & *Achilleus* fratres, *Flaviae Domitillae* Eunuchi erant, & in Insula Pontia cum ea longum pro Christo duxerunt exilium, ut legitur in *Martyrol. Romano IV. Id. Maii*; quamquam eorum Acta subiectae fidei esse videntur *Tillemontio*; & eorum meminimus etiam superius *pag.* 220. Martyres quoque *Calocerus* & *Parthenius* Eunuchi erant, & eorum prior Praepositus cubiculi uxoris *Decii* Imperatoris, posterior vero alterius muneris Primicerius, ut idem *Martyrologium XIV. KL. Iunii* testatur; quod pariter tertio Eidus Septembris commemorat Eunuchos Beatae *Eugeniae*, *Protum* & *Hyacinthum* pariter Martyres. Christianorum Eunuchorum in Aula Imperatorum *Diocletiani* & *Maximiani* versantium mentionem fecimus superius *pag.* 223. *Usthazades* senex Eunuchus, Nutritor *Saporis* Persarum Regis fuit, & variis muneribus in eius aula functus est, & glorioso martyrio Christianam veritatem confirmavit, ut *Sozomenus Lib. II. Histor. Eccles. Cap. IX.* memoriae prodidit. Idem Auctor *Lib. VIII. Cap. XXIV.* narrat, *Tigrium* quemdam natione barbarum, & Eunuchum, sed non ab ortu ipso, libertatem consequutum, ad Presbyterii dignitatem evectum fuisse, quod scribit etiam *Nicephorus Lib. XIII. Histor. Eccles. Cap. XV.* S. *Hieronymus Epist. XXVI. ad Pammachium*: *Et, quum omnia, quae dixi, feceris, ab Eustochio tua, Paulaque, vinceris, si non opere, certe sexu. Ego quidem Romae non eram, & tunc me tenebat eremus, atque utinam pertenuisset, quando, socero tuo vivente Toxotio, saecula serviebant: sed tamen audio, quae immunditias platearum ferre non poterant, quae Eunuchorum manibus portabantur, & inaequale solum molestius transcendebant, quibus serica vestis oneri erat, & solis calor incendium; nunc sordidatae, & lugubres, & sui comparatione forticulae, vel lucernas concinnant, vel succendunt focum, pavimenta verrunt, mundant legumina, olerum fasciculos in ferventem ollam deiiciunt, apponunt mensas, calices porrigunt, effundunt cibos, huc illucque discurrunt.* Quaedam e-

iuſdem de Eunuchis protuli ſuperius *pag.* 249. & alia habet etiam *Epiſtola XXVII.* Eunuchis non ſatis eſt aequus *Clemens* Alexandrinus *Lib. II. Paedagog. Cap. IV.* eoſque tamquam impudicos voluptatum miniſtros depingit illis verbis: *Eunuchi multi, iique lenones; quod eis non poſſe libidini operam dare credibile ſit, iis, qui voluptati vacare volunt, citra ullam ſubſpicionem inſervientes. Eunuchus autem verus eſt, non qui non poteſt, ſed qui non vult dare operam voluptati.* Non meliorem de Eunuchis opinionem habuit S. *Baſilius*, qui Epiſtola LXXXVII. ita ſcriptum reliquit: *Ignominioſum illud, ac modis omnibus pernicioſum Eunuchorum genus: genus hoc, inquam, nec femineum, nec maſculinum, inſaniens in mulieres, invidioſum, vilis pretii, animo feroci, effeminatum, ventri deditum, auri cupidum, ſaevum, coenae iacturam plorans, inconſtans, illiberale, quidvis ſubſcipiens, inſatiabile, furioſum & zelotypum: & quid amplius dicendum? cum ipſa ſtatim generatione ad ferrum damnatum.* Nec aequior iis eſt *Gregorius* Nazianzenus *Orat. XXI.* & *Ioannes Chryſoſtomus Homil. LXII. in Matthaeum.* Huiuſmodi Eunuchus ſervus cenſendus eſt ille, cuius nomen in Inſcriptione apud *Muratorium pag. MMII.* 7.

QVIESCIT GENEROSVS EVNVCHVS QVI VIXIT ANN

PL M...... DEPOSIT IN PACE VII IDVS OCTOBR

BOETIO VC ETS.....CONS LOC D

Quae nota Chronica congruit anno CCCCLXXXVII. Inſcriptiones Eunuchorum ſunt etiam apud *Reineſium pag.* 920. *n. XCI.* quae quidem Inſcriptio iam a nobis ſuperius *pag.* 197. producta fuit, in qua *Reineſius*, ubi *Aringhius Galliae Nuntius* legit, *GALLI EVNVCHVS* ſubſtituit, *Galli* Caeſaris videlicet; & *pag.* 970. n. CCCXIII. Inſcriptio haec ita habet, forte non alia, ac Muratoriana.

GENEROSVS EVNVCHVS DEPOSI

TVS IN PACE VII · ID · OCTOB · BOE

TIO V · C · CONS.

Non omnes tamen Eunuchi servi erant, vel quia servi excisi fuerunt. Quidam enim tales nascuntur, ut *Dorotheus* Antiochiae Episcopus, de quo ita *Eusebius Lib. VII. Histor. Eccles. Cap. XXXII. Sub hoc Dorotheum virum doctissimum, Antiochenae tunc Ecclesiae Presbyterum, cognovimus. Qui, quum studiosissimus esset Sacrarum Scripturarum, Ebraicam quoque linguam addidicit, adeo ut ipsos etiam Ebraicos codices peritissime legeret. Erat hic ingenio admodum liberali, & humanioribus disciplinis apprime eruditus: ceterum ab ipso matris utero Eunuchus.* Alii vero aliis de caussis mutilati sunt. Sanctus *Iustinus* Martyr *Apolog. II.* nunc I. scribit, nostrorum quemdam, ut Ethnicis persuaderet, non esse mysterium apud nos promiscuum concubitum, obtulisse libellum *Felici* Alexandriae Praefecto rogans, ut Medico licentiam daret testes ipsi resecandi. *Felicem* autem omnino subscribere noluisse, & adolescentem in continentia & virginitate permansisse. *Origenes* illud *Matthaei XIX.* 12. *Sunt Eunuchi qui seipsos castraverunt propter regnum coelorum*, aliquanto simplicius & nimis puerilitet interpretatus, ut loquitur *Eusebius Lib. VI. Histor. Eccles. Cap. VIII.* seipsum sponte abscidit. Aliud enim est, esse Eunuchum spiritu, quod intelligit Christus; quo sensu *Tertullianus De Monogamia Cap. XVII. Ioannem* Evangelistam *Christi Spadonem* vocat; aliud est fieri carnis abscissione Eunuchum. *Montanus* quoque haereticus Eunuchus erat, ut D. *Hieron. Epist. LIV.* testatur, & *Leontius* Antiochenus presbyterio privatus est, quod genitalia sibi exsecuisset, auctoribus *Socrate Lib. II. Hist. Eccles. Cap. XXI. Theodoreto Lib. II. Histor. Eccles. Cap. XIX. Nicephoro Lib. IX.* eiusdem *Histor. Cap. XXIX.* Fuerunt & haeretici *Eunuchi*, qui, *Origenis* forte exemplo, pietatis zelo, se ipsos castrarent, de quibus *Epiphanius Haeres. LVIII. Augustinus Haeresi XXVII. Nicetas in Thesauro Orthodoxae Fidei Lib. IV. Cap. XXX.* agunt. Et profecto Christianorum disciplina mutilationem huiusmodi minime necessariam semper detestata est, ut constat ex *Canon. XXII. & XXIII. Apostolorum*, & ex *Canon. I. Concilii Nicaeni*. De Eunuchis vide superius *pag.* 249. & 251. ubi in quarta Inscriptione forte Eunuchus occurrit; illud enim SEDAIGNVCVS dividendum, subspicor, & legendum, SE-

DAI.

DAI. EVNVCHVS ET CVBICVLARIVS &c. Vide & CVBICVLARII.

LXXV. EVOCATI erant, veterani, gnari, prudentésque militiae, qui expletis stipendiis sponte in gratiam Consulum, aut Ducum, militiam iterum sumebant. Occurrunt in Inscriptionibus apud *Aringhium Lib. IV. Romae subter. Cap. XVIII.* & *Reinesium pag.* 901. *num. XIIX. &* 902. *num. XIX.* quae ita habent:

CONIVGI BENEMERENTI
VICTORINE AVR · HERMOGENES
EX EVOCATO QVE VIX MECVM
ANN · XI · ET MS III · ET DIES XV

AVR · HERMOGENES EX EVOCATO
QVI VIXIT ANNIS P · M · L · AVR ·
PROPINQVVS · ET · VAL ·
CAIANVS · ET VAL · DIOGENES CONTVB ·
MERENTI · FECER ·

LXXVI. EXACTORES. Vide superius *pag.* 210. & COLLECTARII.

LXXVII. EXCEPTORES erant, qui acta iudiciorum scribebant, coram Praefecto Praetorio. Beatissimus *Cassianus*, Martyr Tingitanus, *Aureliano Agricolano* Agenti Vices Praefectorum Praetorio militaris Exceptor fuit, eo tempore quo Sanctum Martyrem (*Marcellum*) auditurus erat, eiusdemque parebat officio; sed iniquam Iudicis in sanctum virum sententiam scribere non sustinuit, & graphium codicemque proiecit in terram, & sub Christiana confessione martyrii triumphum obtinuit, ut habent eius *Acta* apud *Ruinartum*, & *Martyrologium Romanum III. Non. Decemb.* Inscriptio apud *Muratorium pag. MDCCCLXIX.* 10.

OMNIVM AMICO FAVSTO . . . . CO . . . .
PARCO FIDEI MITISSIMO MEO CA
RISSIMO EXCEPTORI OFER QVI VI
XIT ANNOS XVIII. MENSIS I DP EST IIII IDVS IVNIAS

Alia Inscriptio est apud *Gruterum pag. MCLXIV.* 11. quae S. *Damasi* est, qui Exceptorem nominat, sed forte Ecclesiastici Antistitis, non profani Iudicis aut Praefecti.

Hinc Pater, Exceptor, Lector, Levita, Sacerdos
Creveras hinc meritis, quoniam melioribus actis
Hinc mihi provecto Christus, cui summa potestas,
Sedis Apostolicae voluit concedere honorem.
Archivis, fateor, volui nova condere tecta,
Addere praeterea dextra laevaque columnas,
Quae Damasi teneant proprium per saecula nomen.

§. VI.

LXXVIII. FABRI memorantur ab *Augustino* superius *pag.* 182. & *pag.* 183. inter primitivos Christianos *Fabros* recenset *Blanchinius*. Sed, quod pluris est, *Iesus* ipse *Fabri* filius dictus est; & *Iosephus*, Deiparae vir, fabrilem artem professus est. Quare *Matthaeus Cap. XIII. v.* 55. scribit: *Et veniens in patriam suam docebat eos in synagogis eorum, ita ut mirarentur & dicerent: Unde huic sapientia haec & virtutes? Nonne hic est Fabri Filius?* Immo *Marcus Cap. VI. v.* 3. tradit, ipsum etiam *Iesum* Fabrum ab suis popularibus vocatum fuisse: *Nonne hic est Faber, filius Mariae, frater Iacobi, & Iosephi, & Iudae, & Simonis?* Quod quidem indicio esse potest, *Iesum* quoque *Iosephi* patris artem aliquando exercuisse, quod censet *Iustinus* Martyr; & mirum ab *Origene Lib. VI. contra Celsum* adseverari, nusquam *Iesum* in Evangeliis *Fabrum* adpellatum fuisse: nisi in loco Marci pro ὁ τέκτων, ὁ τοῦ τέκτο-

νος,

ne, legit. Nam & *Evangelium Infantiae*, Apocryphum quidem, sed perantiquum, *Iesum* una cum *Iosepho* fabrilia opera perfecisse testatur. Faber igitur erat *Ioseph*, quod & superius *pag.* 183. *Augustini* verbis expressimus; & Fabrum generatim eum vocat *Tertullianus Lib. De Spectaculis Cap. VII.* aliis verbis iniquissimam Iudaeorum calumniam exhibentibus: *Hic est ille (dicam) Fabri aut quaestuariae filius &c.* Operarium simpliciter adpellat D. *Hieronymus Epist. ad Heliodorum*: *Hic est ille Operarii, & quaestuariae filius.* Rex Persarum *Hormisdae* Confessori apud *Theodoretum Lib. V. Histor. Ecclesf. Cap. XXXIX.* dixit: Ἀρνῆσαι τὸν τέκτονος υἱόν. *Fabri filium pernega.* Sed qualisnam Faber fuerit? Sunt qui Fabrum lignarium seu materiarium fuisse tradant. Antiquissimum *Infantiae Evangelium* ex Arabico translatum §. XXXVIII. *Iosephus autem per totam urbem circumiens Dominum Iesum secum ducebat, quum propter artificium eius homines illum arcesserent, ut portas ipsis aut mulctralia, aut cribra, aut arcas, conficeret &c.* *Iustinus* Martyr *Dialogo cum Tryphone* ita scribit: *Et quum venisset Iesus ad Iordanem, & Iosephi Fabri filius crederetur, ac informis, ut praedicabant Scripturae, videretur, Faberque ipse existimaretur (haec enim fabrilia opera faciebat, quum inter homines versaretur, aratra & iuga, his rebus etiam iustitiae insignia, & vitam actuosam, docens) Spiritus Sanctus propter homines, ut iam dixi, in specie Columbae in eum involavit.* D. *Ambrosius Lib. III.* in *Lucam num.* 2. tradit *Iosephum*, igne & spiritu operatum fuisse: caedendis arboribus, & domibus struendis, incubuisse; ferreorumque instrumentorum, quibus utebatur, meminit sequentibus verbis: *Pater Christi igne operatur & spiritu, & tamquam bonus animae Faber vitia nostra circumcidat, cito securim admovens arboribus infecundis, scire dolare exigua, cacumina servare sublimia, rigida mentium spiritus igne mollire, & in varios usus omne humanum genus diversa ministeriorum qualitate formare.* Si autem Faber materiarius erat *Ioseph*, oportet, ut domus, quas exstruebat, ligneae essent, quae apud varias gentes in usu sunt. Apud *Theodoretum Lib. III. Histor. Ecclesf. Cap. XXIII.* legitur, Antiochenum quemdam adolescentium Paedagogum, quum esset eruditus, quam vulgus Pae-

da-

dagogorum solet, adeoque familiaris celeberrimi illius Sophistae *Libanii*, ab hoc religionem nostram deridente interrogatum fuisse; *Quid nam ageret Fabri filius?* illum vero respondisse, *Loculum fabricatur huius universi conditor, quem tu Fabri filium per ludibrium adpellas*. Nec multis post diebus, nuntius de morte *Iuliani* Augusti adlatus est, & ipse in loculo iacens advectus; quod omne refert etiam *Sozomenus Lib. VI. Cap. II. &c.* Hinc non mirum, si *Auctor* quoque *Imperfectus in Matthaeum Homil. I.* & D. *Thomas*, & recentiores plurimi, *Iosephum* Fabrum fuisse Lignarium existimarunt. E contrario D. *Hilarius in Matthaeum*, *Petrus Chrysologus Serm. XLVIII. Venerabilis Beda in Marcum Cap. VI.* Fabrum Ferrarium fuisse arbitrati sunt, quod confirmatur etiam auctoritate Ebraici Evangelii D. *Matthaei*, quod *Tillius* in vulgus prodidit. Nec horum sententiae adversantur *Theophilus* Antiochenus, aut D. *Ambrosius*, qui eum folli & igne laborasse dixerunt. *Hugo* Cardinalis in *Cap. VI. Marci* Aurificem potius fuisse putat, nec Fabrum Lapidarium fuisse improbat; forte, quod Aurifices lapillos etiam & gemmas aptarent inter se, auroque includerent ac colligarent, de quo consulendum est superius in *Aurifices*, & plura alia adnotabimus inferius in FLATVRARII & LAPIDARII.

LXXIX. FABRI ARGENTARII. Vide ARGENTARII.

LXXX. FABRI CAEMENTARII. De iis *S. Paulinus Poemat. XXI.* Vide CAEMENTARII.

LXXXI. FABRI FERRARII. *Palladius Histor. Lausi. Cap. LXI.* scribit, *Apellem* Abbatem, fabricae aerariae artem primum tractavisse, & exinde Monachum factum, ad Monachorum usum, eamdem artem exercere pertexisse. Consule superius *pag.* 89. 90. & 237. AERARII. CAMELARII. FABRI.

LXXXII. FABRI LIGNARII. Vide *pag.* 232. 237. & FABRI.

LXXXIII. FABRI QVADRATARII. Inscriptio apud *Fabrettum Cap. X. pag.* 739. *num.* 495. ut ipse interpretor, quum enim Inscriptio mutila & manca sit, exploratum certumque esse non potest, inibi QVADRATARIVS subplendum esse.

EVPANDRIO · FABER · QV · · · · · · ·
VIXIT · ANNOS · P. M. LV
DEPOSITVS IMPACE REFREGERO
VII. KL. DEC. DIE · MARTIS · COSTASI · · · ·

Multos crediderim Quadratarios inter Christianos fuisse, quum tot Epigrammata Christiana marmoribus incisa passim occurrant; quae tamen non diffiteor, & ab Ethnicis incidi potuisse; sed non omnia putaverim. *Sidonius Apollinaris Lib. III. Epist. XII. Posco ut actutum, me quoque absente, tua cura, sed meo sumtu, resurgat in molem sparsa congeries, quam levigata pagina tegat. Ego venerabili Gaudentio reliqui pretium lapidis, operisque mercedem. Carmen hoc sane, quod consequetur, nocte proxima feci, non expolitum, credo, quod viae non parum intentus. Quod peto, ut tabulae quantulumcumque est celeriter mandatur. Sed vide ut vitium non faciat in marmore lapidicida, quod factum sive ab industria, seu per incuriam, mihi magis, quam Quadratario, lividus lector adscribat.* Vide LAPIDICIDAE. MARMORARII. SCVLPTORES.

LXXXIV. FAMVLI. Vide pag. 217. 249. ANCILLAE. CVBICVLARII. EVNVCHI. SERVI.

LXXXV. FENARII. Inscriptio apud *Muratorium pag.* CCCCXXXVIII. 6. . . . . .

HIC REQVIESCIT MAXIMVS FENARIVS
VIXIT PM. ANN. XIII. DEP. ID. MARTIAS FL..
TIO VC. CONS IND. . . . . .
MISSE A FOSSORE SVSTVAVRISO IIII, T. . .

LXXXVI. FIGVLI. Si Apocryphis Scripturis credendum esset, ex *Evangelio Infantiae, Iesum* prope Figulum haberemus. Narrat enim, puerum *Iesum*, quum ex aquarum ripa molle lu-

lutum subſtuliſſet, ex illo paſſerculos numero duodecim formaviſſe; & eo iubente, avolaviſſe paſſerculos, & cum clamore egreſſos eſſe. Alia quoque animalia ex luto finxiſſe, quae motu ingreſſuque mirabiliter impertiebat. *Aurelius Victor* memoriae prodidit, *Valentinianum I.* Auguſtum, fingere terra, ſeu limo, ſimulacra adprime noviſſe. Figuli artificium eleganter deſcribit S. *Avitus* in *Poematis, Lib. I.* dum hominis primum conditi figmentum declarat:

—— Fragilem dignatus tangere terram
Temperat humentem conſperſo in pulvere limum,
Moliturque novum dives ſapientia corpus.
Non aliter, quam nunc opifex, cui artis in uſu eſt
Flectere laxatas per cuncta ſequacia ceras,
Et vultus implere manu, ſeu corpora gypſo
Fingere, vel ſegni ſpeciem componere maſſa.
Sic Pater omnipotens victurum protinus arvum
Tractat, & in lento meditatur viſcera caeno.

Vide SCVLPTORES.

LXXXVII. FIDICINES. Vide *pag.* 239. 247. CANTORES. CITHAROEDI.

LXXXVIII. FLATVRARII. Inſcriptio apud *Muratorium pag. MDCCCLXIX.* 6.

FABIANVS FLATVRARIVS

Flaturarii diverſi modi erant. Flaturarius enim in genere dicebatur, qui flando aliquid conficiebat. Gloſſae veteres: χωνάτης. *Conflator*. Flaturarius etiam vocabatur auri argentique Monetarius, cuius meminit *Conſtantinus Cod. Theodoſ. L. VI. De Falſa Monet.* Flaturarius vero Sigillarius erat, qui anulos conflabat ex auro argentoque, aut metallo alio, & iisdem ſimul gemmas includebat, aut ſigna gemmis aut metallo incidebat & inſculpebat; Graecis Δακτυλιογλύφος. D. *Hieronymus in Ieremiam Cap. XXIV. Artificem, & incluſorem auri, atque gemmarum*, vocat. D. *Auguſtinus Lib. XXI. De Civit. Dei Cap. IV. Artificem & inſignito-*

torem gemmarum adpellat. Multa huc facientia praediximus, ubi de *Argentariis*, *Aurificibus*, & *Fabris*, egimus: superest tantum ut de *Lapidariis* pauca delibemus, quando, qui gemmas & lapillos laborabant atque sculpebant, ita quoque adpellabantur. Subficiet autem insignis *Palladii* locus in *Historiae Lausiacae Cap.* VII. ubi de Virgine avara agit, circa quam ὁ ἁγιώτατος Μακάριος ὁ πρεσβύτερος, καὶ προηγούμενος τοῦ πτωχείου τῶν λελωβημένων, σοφίζεται δρᾶμα τοῦτο. ἦν γάρ ἐν νεότητι αὐτοῦ λιθουργός, ὃν λέγουσι λαβιδάριον, καὶ ἀπελθὼν λέγει αὐτῇ. λίθοι ἀναγκαῖοι σμάραγδοι καὶ ὑάκινθοι ἐμπεπτώκασί μοι· καὶ οὐκ οἶδα εἰ κλεψιμαῖοι ἢ ἐμπορικοί, εἰπεῖν οὐκ ἔχω. τιμῇ οὐχ ὑποβάλλονται, καὶ ὑπὲρ διατίμησιν ὄντες. πιπράσκει δ' αὐτὰς πεντακοσίων νομισμάτων ὁ ἔχων. ἐὰν οὖν δόξῃ σοι αὐτὰς λαβεῖν, δὸς τὰ πεντακόσια νομίσματα κ. τ. λ. *Sanctissimus Macarius Presbyter & Praefectus Ptochotrophii eorum, qui sunt corpore mutilati, talem actum excogitat. Erat enim a iuventute gemmarum artifex, quem Lapidarium dicunt. Ad eam autem accedens dicit: In me inciderunt pulcrae gemmae, Smaragdi & Hyacinthi: nec scio an sint furtivi, an alicuius mercatoris. Non constituitur enim eis pretium, quum aestimationem superent. Qui habet autem vendit eas quingentis solidis. Si ergo tibi visum fuerit eas accipere, da quingentos solidos &c.* Flaturarios Sigillarios fuisse antiquos Christianos, vel ex iis elucere potest, quae de annulorum caelaturis superius *pag.* 159. *& seqq.* adstruximus, & quae de Caelatoribus commemoravimus. Multa de gemmis, quibus se Christianae feminae onerabant, suppeditant *Tertullianus*, *Cyprianus*, *Commodianus*, *Paullinus*, *Hieronymus*, *Avitus*. Sed huc tantum transcribere fert animus, quae vetustus Auctor libri *De Bono pudicitiae*, olim *Cypriano* tributi, recte sapienterque declamat: *Cultus etiam mulieris pudicae pudicus sit: adulterium fidelis nec in coloribus noverit. Vestibus aurum intexere, quasi pretio est vestes corrumpere. Quid inter fila flammina delicata, rigida faciunt metalla? Nisi ut fluentes humeros premant, & luxuriam infeliciter animi iactantis ostendant? Quid quum cervices peregrinis lapidibus urgentur, & absconduntur? Quorum pretia etiam sine artibus Kalendarium cuiusvis excedunt? Non ornatur mulier, sed vitia mulieris ostenduntur. Quid quum di-*

Digiti tali auro onerati, nec intrare possunt, nec egredi? Verum usus exposcitur, an patrimoniorum manus pompa monstratur? Mirum negotium, mulieres ad omnia delicatae, ad vitiorum sarcinas fortiores sunt viris. Quum autem Flaturarii sint omnes, qui aliquid flando ex quolibet metallo conficiunt, eos saepe Christianos fuisse evincunt, tot ahenea signa, & Lucernae, aliaque id genus monumenta Christiana, quae apud *Boldettum*, *Aringhium*, *Fogginium*, *Victorium*, *Marangonium*, *Mamachium*, *Maffeium*, aliosque eruditae Christianae antiquitatis promoscondos, occurrunt. S. *Anastasius Persa*, qui *Heraclii* temporibus floruit, Faber Argentarius fuit & Flaturarius, cuius res gestas apud *Metaphrasten*, *Lipomanum*, & *Surium*, legere est. In antiquis Christianorum domibus multum auri fuisse, easque deauratas late coruscavisse, innuit vetustus Auctor Dialogi *Philopatris* inscripti. Vide *pag.* 226. 227. AERARII. ARGENTARII. AVRIFICES. CAELATORES. FABRI. LAPIDARII. LAPIDICIDAE. SCVLPTORES.

LXXXIX. FOENERATORES. Quum Argentarios, & Numularios, seu Trapezitas, inter veteres Christianos extitisse, ubi de Argentariis egimus, demonstraverimus, Foeneratores pariter inter eos fuisse, perspectum exploratumque est. Foeneratores enim sunt, qui foenus locant, & mutuam pecuniam dant sub usuris; quod quidem Argentarii & Trapezitae faciebant. Hinc S. *Gregor. Magnus Lib. I. Indict. IX. Epist. XLII.* Auctionarios publicos memorat, a quibus, qui pecunia indigebant, mutuo accipiebant, & gravia commoda (usuras scilicet) pro eodem beneficio persolvebant; nec huiusmodi hominum professionem damnat ullatenus. Et quidem nulla antiqua Christianorum constitutione generaliter cautum est, ne Christianis hominibus foenerari liceret; & in ipsis Canonibus Poenitentialibus, quos novimus ab Ecclesia peccatoribus esse praescriptos, ne unum quidem reperire est, quo digna poena Foeneratoribus infligatur: quamquam & alia crimina in illis praetereuntur. Nec opponatur, quum apud Romanos foenerari lege Genucia vetitum esset, credibile non esse, Christianos in Orbe Romano contra leges facere voluisse; quum Romani peiorem civem existimarent Foeneratorem, quam furem, ut *Cato De Re Rustica*

in

in *Praefatione* scriptum reliquit. Adde, quod Christianorum disciplina severior, & cautior, etiam ab licitis plerumque abstinebat; tantum abest ut illicitis implicari voluisset. Ast, quidquid de lege Genucia dicendum sit, certum compertumque est, foenus legibus duodecim Tabularum fuisse permissum, modo tenue ac mite esset, quod *Appianus Lib. I. De Bello Civili* perspicue indicat, dum quosdam narrat acerbius usuras exegisse, contra quam cautum esset antiquis legibus. Atque id in caussa fuisse videtur, cur *L. Genucius* Tribunus Plebis ferret ad populum, ne foenerari liceret, ut *Livius Lib.* VII. memoriae prodidit. Quum autem sine foenore & versura humana coniunctio & societas subsistere non possit (quotusquisque enim est, qui detracta spe lucri & accessionis ex foenore, mutuam alteri pecuniam dare velit?) legem illam observatam diu fuisse, non est credibile; ut recte *Salmasius De Modo Usurar. Cap.* VII. observavit. Hinc perpetua est in Historia Romana Argentariorum, & Foeneratorum usurarumque memoria; quas & Imperatores deinceps, & ipsi Christiani Principes, adprobarunt, ut in *Codice Iustinianeo Titulo De Usuris* videre est; modo earum modus honestus, & mediocritas utilis, servaretur. Obiicietur fortasse, ipso Christi mandato foenus vetitum abolitumque fuisse, ubi *Lucae Cap. VI. v.* 32. *&c.* praecepit: *Et si diligitis eos, qui vos diligunt, quae vobis est gratia? Nam & peccatores diligentes se diligunt. Et si benefeceritis his, qui vobis benefaciunt, quae vobis est gratia? Siquidem & peccatores hoc faciunt. Et si mutuum dederitis his, a quibus speratis recipere, quae gratia est vobis? Nam & peccatores peccatoribus foenerantur, ut recipiant aequalia. Verumtamen diligite inimicos vestros, benefacite, & mutuum date, nihil inde sperantes: & erit merces vestra multa, & eritis filii Altissimi, qui ipse benignus est super ingratos & malos.* Sed qui haec omnia perlegit, perpendit, examinat, omne aliud a Christo prohiberi primore adspectu comprehendit, praeter foenus; quum insuper illud *mutuum dederitis danistam*, recte *foeneraveritis*, ut *Tertullianus* fecit, verti possit; quod totum perspicue, late, erudite, demonstrat Vir doctissimus *Scipio Maffeius Libro I. De Negotiatione pecuniae Cap. IV.* Sed nec obstant antiquorum Concilio-

ciliorum Canones, qui foenerari Clericis tantummodo prohibent; non enim qui Deo militat, implicat se negotiis saecularibus: & alia plura Laicis permissa, Clericis, iustis de caussis, interdicta fuerunt; adeoque haec exceptio firmat regulam, licitum Laicis fuisse foenus facere, modo id leniter fieret, & pauperum indigentiae parceretur, quod praeclare & luculenter ostendit laudatus *Maffeius Libro II. citati operis Cap. III.* Quare S. *Augustinus* foenerandi exercitium inter ea collocat, quibus licite & honeste vita humana toleratur; nam in *Psalmum LXII.* ita scribit: *Alius elegit sibi vitam negotiandi, alius vitam rusticandi, alius vitam FOENERANDI, alius vitam militandi, alius illam, alius illam.* Nec aliter *Sidonius Apollinaris Lib. I. Epist. VIII.* quum perversa omnia in Ravennate palude esse festiviter declararet, inter alia, *vigilant fures*, ait, *dormiunt potestates, foenerantur Clerici, Syri psallunt, negotiatores militant, milites negotiantur &c.* Adeo autem non esse illicitum Christiano homini foenerari, primis saeculis communis opinio fuisse videtur, ut viri & feminae sanctitatis fama percelebres, & disciplinae severitate cautissimi, versuram facere, & sub usuris pecuniam mutuam accipere, haudquaquam refugerent. Quod quidem numquam, vel rarius, fecissent, si occasionem peccandi praebere se Foeneratoribus credidissent, foenusque illicitum exsecrandumque existimassent: & praecipue, quum non indigerent ipsi aliquando, nec ad mutuandam foenebrem pecuniam urgenti necessitate compellerentur. S. *Ambrosius* enim *De Tobia Cap. X.* de usuris immanibus & exitialibus loquens scribit: *Vtrinque peccatur, & foeneratur & debetur.* Insigne exemplum nobis suppeditat sanctissima illa mulier, & egregiis virtutibus spectatissima, *Paulla*, quam miris sed dignis laudibus effert D. *Hieronymus*, in cuius *Epitaphio ad Eustochium*, dum tantas feminae virtutes explicat & recenset, hoc etiam praedicat: *Liberalitas sola excedebat modum. Et usuras tribuens, versuram quoque saepius faciebat, ut nulli stipem rogantium denegaret. Fateor errorem meum: quum in largiendo esset profusior, arguebam, illud proferens de Apostolo: Non ut aliis refrigerium, vobis autem tribulatio: sed ex aequalitate in hoc tempore, ut vestra abundantia sit ad illorum inopiam, & illorum abundantia sit ad vestram inopiam. Et*

hoc

hoc de Evangelio Salvatoris: Qui habet duas tunicas, det alteram non habenti. Et providendum esse, ne, quod libenter faceret, semper facere non posset: multaque huiuscemodi, quae illa mira verecundia, & sermone parcissimo, dissolvebat, testem invocans Dominum, se pro illius nomine cuncta facere; & hoc habere voti, ut mendicans ipsa moreretur; ut unum nummum filiae non dimitteret, & in funere suo aliena sindone involveretur. Ad extremum inferebat: Ego, si petiero, multos inveniam, qui mihi tribuant: iste mendicans si a me non acceperit, quae ei possum etiam de alieno tribuere, & mortuus fuerit, a quo eius anima requiretur? Ego cautiorem in re familiari esse cupiebam: sed illa ardentior fide, toto Salvatori animo iungebatur; & pauperem Dominum pauper spiritu sequebatur, reddens ei, quod acceperat, pauper pro ipso effecta. Denique consequuta est, quod optabat; & in grandi aere alieno filiam dereliquit; quod hucusque debens, non suis viribus, sed Christi se confidit misericordia redditurum. En hic Sancta *Paulla* versuram facit, usuras tribuit, & quidem saepius, & per totius vitae curriculum, ita ut in grandi aere alieno filiam dereliquerit. Et D. *Hieronymus*, qui adeo effusam liberalitatem non probabat, ut matronae securitati consuleret, modum quo illa aes alienum contrahebat, non damnat; imo errorem suum fuisse fatetur, quum eam, quod in largiendo esset profusior, arguebat. Non aliter *Desideratus* Virodunensis Episcopus, morum sanctitate praeclarus, quum in sua dioecesi multi valde pauperes atque destituti essent, *Theodericum* Regem rogavit, ut mutuam pecuniam iis daret, qua se in artificiis & mercatura exercerent, quamque deinde cum usuris legitimis redderent; ut *Gregorius* Turonensis *Lib. III. Histor. Franc. n. XXXIV.* memoriae prodidit; quod quidem Episcopus ille numquam facturus fuisse fortasse videatur, si mediocres & utiles usuras *Christi* praecepto prohibitas fuisse credidisset. Sed quando superius voce *Argentarii* varias Inscriptiones produxi ad Argentarios spectantes, aliam hic referre iuvat, quae ad manus tunc non erat, Ravennae existentem, & quam in vulgus prodidi in *Ephemeridibus Litterariis anno MDCCL. col.* 807.

BEATI VITALIS MARTYRIS BASILICAM MANDANTE
ECCLESIO VIRO BEATISSIMO EPISCOPO A FVNDAMENTIS
IVLIANVS ARGENTARIVS AEDIFICAVIT &c.

XC. FORNACARII. Servi erant, qui fornacis ignem tuebantur, ne evagaretur.

XCI. FOSSARII. *Ioseph. Binghamus Lib. III. Origin. Eccles. Cap. VIII.* de Fossariis, seu Copiatis, vel Decanis, agit, quibus exsequiae curae erant, & mortuis honestam sepulturam prospiciebant. At quum hi potius Clericis accensendi sint, quod hoc munus Clericis demandaretur, & *Constantini* demum aetate institui primum videantur, de iis nos amplius non loquemur, & tantum animadvertemus, ab *M. Ant. Boldetto Lib. I. Observat. in Coemet. Cap.* XV. & *Lud. Ant. Muratorio Thes. Inscript. pag. MDCCCCLXIX.* Fossarios cum Fossoribus confundi, quum hi ab illis valde diversi fuerint fortassis; licet & *Ducangius in Glossario* eosdem putet. Fossarii Inscriptio apud *Boldettum* & *Muratorium* locis citatis:

FELIX FOSSARIVS IN P.

Si autem aliquando *Fossores* vere dicti sunt, certe huic nomini alia significatio subiiciebatur, quam quum denotabantur ii, de quibus modo agemus.

XCII. FOSSORES erant, vel qui terram ad cultum fodiebant; vel qui fossilia, & metalla, e terrae visceribus eruebant; vel qui cuniculos subterraneos moliebantur, aliave da caussa terram effodiebant, excavabantque. Primi generis Fossores iidem sunt, ac Coloni & Agricolae; quare *Prudentius Praefatione Hamartigeniae* de *Abelo*, & *Caino*, agens canit:

Fratres ephebi, Fossor, & Pastor, duo
Quos feminarum prima primos procreat,
Sistunt ad aram de laborum fructibus
Deo sacranda munerum primordia,
Hic terrulentis, ille vivis, fungitur.

Metallorum Fossores, quos *Statius* memorat, fuerunt saepe Sancti Martyres, qui in metalla damnabantur. *Dionysius* Corinthiorum Episcopus, Epistola ad *Soterem* Papam, eum laudat, quod fratribus, qui in metallis opus faciebant, necessaria subpeditarit, ut apud *Eusebium Lib. IV. Hist. Eccles. Cap. XXIII.* videre est. D. *Cyprianus Epist.* LXXVII. ad Martyras in metallo constitutos haec inter cetera scribit: „ Quid vero mi-
„ rum si vasa aurea, & argentea, in metallum, idest, auri
„ & argenti domicilium, dati estis, nisi quod nunc metallo-
„ rum natura conversa est, locaque, quae aurum & argen-
„ tum dare ante consueverant, accipere cooperunt? Impolue-
„ runt quoque compedes pedibus vestris, & membra felicia
„ ac Dei templa infamibus vinculis ligaverunt; quasi cum
„ corpore ligetur & spiritus, aut aurum vestrum ferri con-
„ tagione maculetur . . . . Non fovetur in metallis le-
„ cto & culcitris corpus; sed refrigerio & solatio Christi fo-
„ vetur. Humi iacent fessa laboribus viscera; sed poena non
„ est cum Christo iacere. Squallent sine balneis membra situ
„ & sorde deformia; sed spiritaliter intus abluitur, quod fo-
„ ris carnaliter sordidatur. Panis illic exiguus; at non in so-
„ lo pane vivit homo, sed in sermone Dei. Vestis algenti-
„ bus deest; sed qui Christum induit, & vestitus abundanter &
„ cultus est. Semitonsi capitis capillus horrescit; sed quum
„ sit caput viri Christus, qualecumque illud caput deceat
„ necesse est, quod ob Domini nomen insigne est . . . . . .
„ . . . . Exemplum vestrum sequuta multiplex plebis
„ portio, confessa est vobiscum pariter, & pariter coronata
„ est, connexa vobis vinculo fortissimae caritatis, & a praepo-
„ sitis suis nec carcere, nec metallo, separata. Cuius numero
„ nec virgines desunt, quibus ad sexagenarium fructum cen-
„ tenus accessit, quasque ad coelestem coronam gloria gemina-
„ ta provexit. In pueris quoque virtus maior aetate annos
„ suos confessionis laude transscendit, ut martyrii vestri bea-
„ tum gregem & sexus & aetas omnis ornaret. „ B. *Spiridio*, Trimithuntis in Cypro Episcopus, unus ex illis Confessoribus fuit, quos *Maximinus* dextro oculo effosso, & sinistro poplite succiso, in metalla damnaverat, ut habetur in *Martyrologio*

Romano XIX. KL. Ianuarii. Eiusmodi quoque erant *Paphnutius* Aegyptius, & *Maximus* Episcopus Ierosolymitanus, ut *Sozomenus Lib. I. Histor. Eccles. Cap. X.* scriptum reliquit. *Antonius Magnus* Alexandriam cum fratribus perrexit, & Christianis, carceribus inclusis, vel in metallo laborantibus, inserviens solatia ferebat, ut in eius vita *Athanasius* auctor est. Sed Confessores ex ipsa Aegypto ad metalla fodienda in Ciliciam abductos fuisse, prodit *Eusebius De Martyribus Palaestinae Cap. VIII.* qui quidem Scriptor de hac poena Christianis irrogata agit etiam *Lib. II. Vit. Constant. Cap. XXXII.* In *Historia Sanctorum Anthimi & Sisinnii* apud *Bollandum XI. Maii* legimus, *Pinianum* Asiae Proconsulem Christianos plurimos in metalla & ergastula damnavisse. Fossionis metallorum descriptionem elegantissimam habes apud *Cassiodorum Lib. IX. Variar. Epist. III.* Qui autem in metalla damnabantur, *Metallici* dicebantur, *L. VIII. §. In ministerium D. De Poenis*, ubi *Vlpianus* ita scribit: *In ministerium Metallicorum feminae in perpetuum vel ad tempus damnari solent: & siquidem in perpetuum fuerint damnatae, quasi servae poenae constituuntur, &c.* Fossores ceteri varii generis esse possunt. *Martyrologium Romanum XI. Martii: Romae Sanctorum Martyrum ducentorum sexaginta, quos iussu primo Claudius pro Christi nomine damnatos extra portam Salariam arenam fodere, deinde in Amphitheatro militum sagittis interfici.* Fossores alii fortasse fuerint, qui subterranea coemeteria Christianorum aut fodiebant atque excavabant, aut certe aptabant, ut & Christianorum ac praecipue Martyrum sepulturae congruerent, & Synaxibus celebrandis convenirent; ut censet etiam *Lud. Ant. Murator. Thesaur. Inscript. Pag. MDCCCCLXIX.* & quod indicare potest Inscriptio apud eumdem pagina sequenti, quae ita habet:

LEO FOSSOR FECIT SIBI ET VIR
GINIAE SVAE

Et in *Ephemeridibus Florentinis Anni MDCCXLVIIII. pag. 358.*

FELIX FOSSOR POSVIT
SIBI & COIVCI SV
AE STRATONICIN......
IN PACE

Et apud *Boldettum*, ex quo pleraque sumsit *Muratorius*, *Lib. I. Cap. XV.*

IVNIVS FOSSOR AVENTINVS
F · S ·

De hisce omnibus late agit *Paullus Aringhius Lib. I. Romae Subterraneae Cap. XXXI.* & *M. Anton. Boldettus Lib. I. Obsservat. in Coemeter.* atque huiusmodi operta ac penita sepulcreta eleganter de more describit *Prudentius Hymno S. Hippolyti*. Istiusmodi Fossoris, qui lucerna ardente adposita terram ligone cavat persoditque, figura in Coemeterio *SS. Marcellini* & *Petri* reperta ab laudato *Aringhio Lib. IV. Cap. XIV.* exhibetur. Sed omnium pulcerrima est, quae exstat apud *Boldettum* citato Capite, & de qua mox dicetur. Fossorum autem mentio passim occurrit in Christianis Inscriptionibus apud *Aringhium*, *Reinesium*, *Fabrettum*, *Boldettum*, *Muratorium*, measque *Litterarias Ephemeridas*. Et quidem apud *Muratorium* exstant insequentes. *Pag.* MDCCCCXXX. 8.

QVIRACE SE BIBA
FECIT ET EMIT AP
ARIONTAIME FOSSO
RE PRIMITIVS CVM
TERVVA PIATINA

Et

Et *pagina* MDCCCCXXXII. 2.

PRIMoRIDo · FE · MENSE APRIL · XVIIII KAL·
MAIAS BARBARIS DEFVNCTVS
CV BISOMI EMTV AB VRSV FOSSORE

Et *pag.* MDCCCCLXX. 8. 9.

FELIX FAVSTINIAN
VS EMIT SIBI ET VX
ORI SVAE FELICITATI
FELICI FOSSORI
IN BALBINIS BASILI
CALOCVM SVBTE
GLATA SE VIBVM

FOSSOR AQVILINVS
VINDIDIT LOCVM VISO
MVM SABINIANETI ET
DICESSIT MAXIMIANVS
IN KAL · FEB · ET VIXIT AN
NOS PLVS MINVS
LXXIII.

Et haec quidem ex *Muratorio* protulimus mendis & erroribus, ut plurimum, scatentia, seu descriptoris incuria, seu vitio & rusticitate Quadratarii, seu saeculi ipsius ignorantia & barbarie, non aliter ac quae sequuntur.

Apud

Apud *Fabrettum pag.* 739. *num.* 492.

LOCVS BENENATI ET GAVDIOSAE
COMPARAES ✠ SE VIVI
COMPARABERVNT
AB ATHANASIO ET ANTHIOCHO FS

Hoc est *Fossoribus*. Alia ibidem.

FL· STELLICONE VC SVB DIE X KAL
SEPTENBRES EMIT SOTERES SE
VIVA ET MARITO SVO
VERNACOLO COMPARI SVO EMIT
A CELERINO FOS·

Ex hisce Epitaphiis edifcimus, Fossores non coemeteria & sepulcreta tantum in agro Romae suburbano effodisse, ac loculos & tumulos in eis excavasse & fabricasse; sed etiam sepulcra suo labore & industria facta vendere solitos fuisse. Fossores autem in Christianorum castris militasse, insequentes Inscriptiones apud laudatum *Muratorium pag.* MDCCCCLXIX. docent:

LVCILIO FOSSOR MAXIMINVS
FRATER POSVIT QVI BIXIT A· XXXX·
IN PACE

PATERNO FOSSORI BENEMERENTI
BIXIT A· P· M· XXXVI
· QVIESCIT IN PACE

FRIGIANVS ET HERCVLEVS FOS
SORES RVFIO FOSSORI BENE QVE
SCENTI LEGITIMA FRATRI KA
RISSIMO POSVIT · VIXIT ANNO
XXXI· CVM PACE

DIOGENES FOSSOR IN PACE DEPOSITVS
OCTABV · KALENDAS OCTOBRIS

Visitur ibi effigies Fossoris ipsius, lucernam ardentem sinistra, & ligonem dextra, tenentis, quibus in subterraneis effossionibus utebatur. Ad latus hinc inde instrumenta varia fossoria cernuntur cum circino, quae omnia consideratione digna sunt, & ab *Boldetto* erudite explicantur.

SERGIVS ET IVNIVS FOSSORES
B · N · M · IN PACE · BISOM ·

Apud *Aringhium Lib. IV. Romae subter. Cap. XXVII. pag.* 175. & *Reinesium pag.* 926. n. CXXII.

MAIO FOSSORI NEPOTES
ET BONO NVTRITOR....
PROCLVS QVI VIXIT ANNIS
XCII · ET DORMI .....
VI IDVS MAIAS IN PACE
ET FOSSOR ....
CALLIGONVS FOSSOR
PATRI

XCIII. FRUMENTARII. Si *Frumentarii* pro *Cursoribus* accipiantur, consulendum est superius voce CURSORES; si vero Frumentarii ii sunt, qui frumenta comparant, & communi indigentiae prospiciunt, aliquid simile fecisse videantur Apostoli, eorumque discipuli, tradente *Luca Actor. Cap. XI.* quod, quum Propheta *Agabus* significasset per spiritum famem magnam futuram in universo orbe terrarum, quae facta est sub *Claudio*, discipuli, prout quis habebat, proposuerunt singuli in ministerium mittere habitantibus in Judaea fratribus: quod & fecerunt mittentes ad seniores per manus *Barnabae* & *Sauli*. Quae expendens D. *Augustinus De Opere Monachorum* scribit: *Nam illis fame imminente, & per Prophetas, qui tunc erant, ante publicata, boni fideles ex Graecia frumenta miserunt, ex quibus credo quod illi panes sibi fecerunt, aut certe faciendum curaverunt &c.* Et ex intervallo: *Cur tanto ante fame imminente frumenta Sanctis Patribus missa sunt &c.*

XCIV. FULLONES. Sanctus *Menignus*, qui sub *Decio* passus est, Fullo erat, ut *Martyrologium Romanum Id. Martii* testatur. Fullo pariter fuit *Anastasius* Martyr Salonitanus, cuius *Acta* apud se habuisse *Theodoric. Ruinartus in Praefatione ad Acta Martyrum* testatus est. *Origenes Lib. III. Contra Celsum* verba *Celsi* referens de Christianis loquentis: *ὁρῶμεν δὲ καὶ κατὰ τὰς ἰδίας οἰκίας ἐριουργοὺς, καὶ σκυτοτόμους, καὶ κναφεῖς, καὶ τοὺς ἀπαιδευτοτάτους τε καὶ ἀγροικοτάτους κ. τ. λ.* *Et in privatis aedibus videre est Lanifices, Sutores, Fullones, imperitissimum quemque & rusticissimum &c.* *Theodoretus* in *Religiosa Historia Cap. I.* scribit, *Iacobum* Nisibitam Monachum, quum in Persidem venisset, & fontem quemdam forte transmitteret, puellas, quae in eo pannos lavabant & vestes pedibus emundabant, novum ac decentem eius habitum nihil veritas, & impudentibus oculis eum conspicientes, digna poena castigavisse, quum eius exsecratione fons statim & fluentum evanuisset, earumque crines nigrum colorem immatura canitie mutaverint. Monachos Fullones habes superius *pag.* 237.

XCV. FUNARII. *Aurelius Victor* in *Valentiniano I. Huius pater Gratianus mediocri stirpe ortus apud Cibalos, Funarius appellatus est eo, quod venalitium funem portanti quinque milites nequi-*

qui-

quirent extorquere; eo merito adscitus in militiam usque ad Praefecturae Praetorianae potentiam conscendit. Huius rei meminit etiam *Ammianus Marcellinus Lib. XXX. Cap. XXIV.* Et *Paul. Diaconus De Gestis Romanorum Lib. XI. Palladius Histor. Lausi. Cap. II.* memoriae prodidit, *Dorotheum* Thebanum ascetam vitam asperrimam transegisse, & tota nocte sedentem contexuisse funem σειρὰν ex ramis palmarum, ut ex eo sibi victum pararet. Idem *Cap. XXIX.* scribit, *Magnum Antonium*, & *Paullum Simplicem*, simul eiusmodi funem contexere solitos fuisse.

XCVI. FVRNARII. Panis subigendi, signandi, ponderandi, coquendi, rationem explicat egregie & eleganter Sanctus *Zeno Tract. XLIV. Exsultemus, Fratres, in Christo, tantique proventus reditu ditati, Deo Patri omnipotenti laudes & gratias referamus: qui zizania, lolium, lappas, tribulos, in laeta frumenta mutavit, quae diligenti cultu purgata, molarisque lapidis pondere feliciter fracta, ordinabiliter creta, omni furfure abjecto, mirifico splendore in farinam candidam succreverunt: quae nullo adulterata fermento est, conspersa ac subacta diligenter. Sal inditum est illi: levigata est oleo chrismali, officiis competentibus temperata, in panes azymos reddita. Hi, quos videtis, egregia coctura suave redolentes, qui excocti sunt non furno, sed fonte; non humano, sed igne divino: non illos aura corrupit, non fumus amarus infecit, non frigus elisit: quod plus est, sine fermento levati sunt. Certe cacabatti non sunt, non crustati, non usti, non crudi, non mucidi. Lacteus illis color est, lacteus sapor est. Sed fortassis, quod nonnulli forma videntur minores, si secus aliquid de Pistore sentiatur, mea nihil interest, Fratres: quia etsi pauper sum, tamen frontem meam tueor, & fidem meam novi. Certe, si quid sciunt, dicant operarii, qui mecum sunt. Lucro gaudeo, sed sine furti conscientia, sane confiteor. Denique & vos retinetis pondus antiquum: habetis agnum: exagium facite, quemadmodum vultis: singulos ponderate: invenietis nullum habere minus. Tripondes sunt omnes, numismatis sacri una libra signati, qui mensae deserviunt*. Panem unanimitatis indicium pro Eulogia mittit S. *Paullinus Epist. IV. & V.* Vide PISTORES.

XCVII. FVSORES. Vide superius *pag. 186.*

§. VII.

CXVIII. GAZOPHYLACES. De Eunucho Gazophylace *Candacis* Reginae Aethiopum, vide supra in *Eunuchi*, & infra *Cap. VI. S. Lucianus*, qui Cubiculariorum *Diocletiani* Imperatoris Praefectus erat, multos aulicos Ministros Christianos effecit, & inter alios Gazophylaces, qui Caesarei thesauri, pretiosaeque omnis supellectilis, custodiam habebant, ut ex Epistola *Theonae* Episcopi Alexandrini ad ipsum *Lucianum*, & *Tillemontio Tom. V. Monument. Eccles. Art. III. Persequutionis Diocletianeae*, intelligere est.

CXIX. GELASIANI. Sunt ridiculi Sanniones, qui distorto ore rident, ut rideantur. Vide superius *pag.* 246.

C. GERULI. *Sidonius Lib. IX. Epist. XIII.*

Geruli caput plicantes
Anaglyptico metallo
Epulas superbiores
Humeris ferant onustis.

Gerulas vocabant veteres mulieres, quae infantes gestabant. S. *Hieronymus Lib. I. Advers. Iovinianum: Vocanda domina, celebrandus natalis eius, iurandum per salutem illius, ut sit superstes optandum, honoranda Nutrix eius & Gerula.* Et *Epistol. ad Laetam: Nutrix ipsa non sit temulenta, non lasciva, non garrula; habeat modestam Gerulam, Nutricium gravem.* Gestores quoque vocari possunt, talesque etiam fuisse puto, quos Cathedrarios, a Cathedris seu Sellis Gestatoriis ferendis, *Sidonius* adpellat, de quibus Sellis idem *Sidonius Lib. VIII. Epist. VIII.* Vide BAIULI. NUTRICES. NUTRITORES.

CI. GESTORES. Vide GERULI.

CII. GLADIATORES. Sancti Confessores Gladiatores agere interdum cogebantur, ut apud *Eusebium De Martyr. Palaestinae Cap. VII. & VIII.* videre est. Ex Actis Sanctae *Martianae* colligi videtur, ab ea artem Gladiatorum edisci,

&

& exerceri, inimicos Christiani nominis voluisse. Consulantur apud *Bollandum die IX. Ianuarii*.

CIII. GYMNICI. *Clemens* Alexandrinus *Lib. III. Paedagog. Cap. X. Adolescentibus autem sufficit Gymnasium, etiamsi adsit Balneum .... neque vero hic sunt deducendae mulieres ab labore corporis, sed non ad luctam & cursum exhortandae sunt; verum in lana & tela sunt exercendae, & ut pistrici adsint, si opus sit .... Ex viris autem alii quidem nudi luctentur: alii vero parvo quoque globo ludant, eo ludo, quem Pheninda dicunt, maxime in sole .... Iam vero lucta quoque, quam admisimus, non adsumatur gratia inutilis contentionis & vanae gloriae cupiditatis, sed ut viriles excernantur sudores, &c.*

§. VIII.

CIV. HELCIARII sunt, qui navim per amnes fune trahunt. *Sidonius Lib. II. Epist. X.*

Hinc sese pedes atque eques reflectit
Stridentum & moderator essedorum:
Curvorum hinc chorus Helciariorum,
Responsantibus Alleluia ripis,
Ad Christum levat amnicum celeuma;
Sic sic psallite Nauta, vel Viator, &c.

CV. HISTRIONES. *Canon Apostolorum XVIII.* ita statuit: *Siquis viduam aut eiectam acceperit, aut meretricem, aut ancillam, vel aliquam de iis, quae publicis spectaculis mancipantur, non potest esse Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut ex eorum numero, qui ministerio sacro deserviunt.* Histrionum exercitium damnat etiam *Tertullianus*, cuius verba superius *pag.* 214. protulimus; damnat & *Hieronymus*, cuius auctoritas superius *pag.* 239. adducta est. Sanctus *Cyprianus Epist. LXI.* ad *Eucratium* ita scribit: *Pro dilectione tua, & verecundia mutua, consulendum me existimasti, frater carissime,*

quid mihi videatur de Histrione quodam, qui apud vos constitutus in eiusdem adhuc artis suae dedecore perseverat, & magister & doctor non erudiendorum, sed perdendorum, puerorum, id quod male didicit, ceteris quoque insinuat; an talis debeat communicare nobiscum. Puto nec maiestati divinae, nec Evangelicae disciplinae congruere, ut pudor & honor Ecclesiae tam turpi & infami contagione foedetur. Nam quum in lege prohibeantur viri induere muliebrem vestem, & maledicti eiusmodi iudicentur; quanto maioris est criminis, non tantum muliebria indumenta accipere, sed & gestus quoque turpes, & molles, & muliebres, magisterio impudicae artis exprimere? Nec excuset se quisquam si a theatro ipse cessaverit, quum tamen hoc ceteros doceat. Non potest enim videri cessasse, qui vicarios substituit, & qui pro se uno plures succedaneos subgerit: contra institutionem Dei erudiens & docens, quemadmodum masculus frangatur in feminam, & sexus arte mutetur, & Diabolo divinum plasma maculanti per corrupti atque enervati corporis delicta placeatur. Quod si penuriam talis & necessitatem paupertatis obtendit: potest inter ceteros, qui alimentis Ecclesiae sustinentur, huius quoque necessitas adiuvari; si tamen contentus sit frugalioribus, sed innocentibus, cibis. Nec putet salario se esse redimendum, ut a peccatis cesset, quando hoc non nobis, sed sibi praestet. Ceterum quantum velit inde quaerat, qualis quaestus est, qui de convivio Abraham, Isaac, & Iacob homines rapit, & male ac perniciose in saeculo saginatos, ad aeternae famis ac sitis supplicia deducit? Et ideo quantum potes, eum ab hac pravitate, & dedecore ad viam innocentiae atque ad spem vitae suae revoca; ut sit contentus Ecclesiae sumtibus, parcioribus quidem, sed salutaribus: quod si illic Ecclesia non sufficit ut laborantibus praestet alimenta, poterit se ad nos transferre, & hic quod sibi ad victum atque ad vestitum necessarium fuerit accipere: nec alios extra Ecclesiam mortalia docere, sed ipse salutaria in Ecclesia discere. Opto te, fili carissime, semper bene valere. Si qui igitur Histriones erant, ubi ad Christianum dogma accedebant, eiusmodi esse desinebant. Ita fecit *Genesius* Romanus, de quo *Martyrol. Romanum VIII. KL. Augusti: Romae Sancti Genesii Martyris, qui primum sub gentilitate Mimus, quum in theatro, spectante Diocletiano Imperatore, myste-*

ſteriis Chriſtianorum illuderet, a Deo inſpiratus, repente conversus ad fidem, & baptizatus eſt, &c. Ejus Acta ſincera exhibet *Ruinartus*, quae ita incipiunt: *Beatus Geneſius, quum eſſet in urbe Roma Magiſter Mimithemelae* (lege *Mimithymelae*) *Artis, qui ſtans cantabat ſuper pulpitum, quod Themele* (lege *Thymele*) *vocabatur, & rerum humanarum erat Imitator*, &c. hoc eſt *Mimus*, Μῖμος, quod *Imitator* Graece ſonat. Idem fere, quod Romae *Geneſio*, Heliopoli *Gelaſio* ſeu *Gelaſino*, contigit, ut refertur in Chronico Paſchali ad annum XIII. *Diocletiani* Imperatoris. Is quippe ſecundus *Mimus* (ſic enim in Chronico adpellatur) Chriſtianorum Baptiſmo illudens, ab aliis Mimis in Balneum, ut Chriſtianorum ceremonias imitarentur, projectus, & alba veſte indutus, repente ita mutatus eſt, ut ſe Chriſtianum inclamans, & theatro ejectus, & a populo lapidibus obrutus, mortem fortiter ſtrenueque pertulerit. Haud diſſimile exemplum Sancti *Porphyrii*. Idem *Martyrologium XVII. KL. Octobris: Sancti Porphyrii Mimi, qui coram Iuliano Apoſtata per jocum Baptiſmum ſuſcipiens, Dei virtute derepente mutatus, Chriſtianum ſe eſſe profeſſus eſt, ac mox, jubente eo, ſecuri percuſſus, martyrio coronatur*. Idem *XVIII. KL. Maii: Sancti Ardalionis Mimi, qui quum ſacris Chriſtianorum in theatro illuderet, derepente mutatus, ea non ſolum verbis, ſed & teſtimonio ſui ſanguinis comprobavit*. De hiſce omnibus Martyribus conſulendus *Tillemontius Tom. IV. Monum. Eccleſiaſtic. Palladius Hiſtor. Lauſiac. Cap. LXXXIV.* memoriae prodidit, *Serapionem Sindonitem* Aſcetam, ſe Hiſtrionibus vendidiſſe, ut eos ad Chriſtianum dogma deduceret; quod & contigit. Quare illi baptiſati cum univerſa familia, a theatro receſſerunt, & honeſtae piaeque vitae rationem amplexi ſunt. *Theodoretus Lib. VIII. De Curandis Graecor. adfectionibus* obſervat, Scenicos plures, hominesque theatris mancipatos, exemplo ad Chriſtiana conſulta converſos, pro iis fortiter ſtrenueque decertaſſe, & martyrii coronam retuliſſe. Quid de Scenicorum converſione & baptiſmo ſtatutum fuerit Legibus Imperatoriis, videatur in Titulo *De Scenicis Codic. Theodoſ.* At tandem & Chriſtiani Hiſtriones agebant, de quibus *Sidonius Carmine XXIII. ad Conſentium* ita canit:

Iam

Iam si seria forte terminantem
Te spectacula ceperant theatri,
Pallebat Chorus omnis Histrionum,
Tamquam si Arcitenens, novemque Musae,
Propter pulpita iudices sederent.
Coram te Caramalus, aut Phabaton,
Clausis faucibus, & loquente gestu,
Nutu, crure, genu, manu, rotatu,
Toto in schemate vel semel latebit &c.

Christianos etiam Histriones describere videtur *Cassiodorus Lib. I. Variarum Epist. XX. XXXI. XXXII. XXXIII. Hanc partem (Pantomimorum scilicet) Musicae disciplinae mutam nominavere maiores, scilicet quae ore clauso manibus loquitur, & quibusdam gesticulationibus facit intelligi, quod vix, narrante lingua, aut scripturae textu, possit adgnosci.*

CVI. HORREARII. Qui Horreis praesunt, quales fortasse fuerunt Sancti Martyres Suessones *Rufinus* & *Valerius*, de quibus, *Tillemontius Tom. IV. Monum. Eccles.* Inscriptio apud *Muratorium pag. CCCCXXI.* 2.

HIC IACET IN PACE CONSTANTINVS HOR
REARIVS QVI VISET PM ANN. XLVII. DI-
POSITVS EST VII. KA
DEC. CONS. FL. LAMPADII ET OREST S VV. CC.

CVII. HORTVLANI. De Hortulanis, & Olitoribus, quaedam in antecessum delibavimus superius *pag.* 188. 189. 237. 246. ubi de Agricolis egimus. Nunc adnotandum venit, huiusmodi homines sibi honori ducere posse, quod *Iesus* noster Servator e sepulcro excitatus *Mariae Magdalenae* quaerenti in horto, ubi humatus fuerat, Hortulanus visus seu creditus sit, rem *Ioanne* Evangelista *Cap. XX.* prodente. *Tertullianus De Spectaculis* in fine, ita scribit, ut ad hanc historiam adlusisse videatur, dum ea vel Haeretici quidam, vel Ethnici ipsi ad veritatis eversio-

nem

nem abuterentur. *Hic est, quem clam discentes subripuerunt, ut resurrexisse dicatur; vel Hortulanus detraxit, ne lactucae suae frequentia commeantium adlaederentur.* *Maria*, enim quem Hortulanum crediderat, an abstulisset, interrogavit. Sanctus *Felix* Presbyter & Martyr Nolanus hortum coluisse traditur a S. *Paullino Natal. XIII.* illis versibus:

Nam cui paupertas tua, quam pro nomine sancto
Proscriptis opibus gaudens Confessor adisti,
Ignorata manet, & qua praeditus usque senectam
Conducto Felix coluisti semper in horto?

Hortulanus fuit etiam S. *Serenus* Martyr, cuius *Acta* apud *Ruinartum* hoc exordio inchoantur: *Apud Sirmiensium civitatem Serenus peregrinus, Graecus civis, quum de locis peregrinis venisset, hortum colere coepit, ut inde vitam suam transigeret, eo quod aliam artem non nosset, &c.* Item S. *Phocas* Martyr Sinopensis eamdem artem exercuit, Beatus enim *Asterius* Amasenus Episcopus, apud *Ruinartum*, ita scribit: *Vitae studium ei erat horti cultura, quem ibi ante portam civitatis in isthmi ostio possidens, diligenter colebat, ut sibi ac indigentibus esset vitae solatium.* Sanctus *Amon* quoque Anachoreta, antequam ascesin amplecteretur, in castitate cum coniuge domi manens toto die vacabat horto & balsameto. Operabatur enim balsamum; quae balsamus instar vitis plantatur, ut in qua colenda & amputanda multum laboris ponatur. Vespere autem domum ingrediens, & faciens orationes, cum uxore comedebat; & rursus nocturnas preces fundens, & synaxin peragens, summo mane ibat in hortum, ut *Palladius Histor. Lausiac. Cap. X.* memoriae prodidit. Inscriptio, apud *Io. Baptistam Donium pag. 540. num. 76.*

ASCASIVS · ORTOLANVS
ID · IVLIAS · DECI · VC COS

Hor-

Horti elegans descriptio est apud *Sidonium Carmine XXIV.*

Nostrum hic invenies Apollinarem,
Seu contra rabidi Leonis aestus
Vestit frigore marmorum penates:
Sive hortis spatiatur in repostis,
Quales mellifera virens in Hybla,
Quales Coricium senem beantes
Fuscabat picei latex Galesi:
Sive inter Violas, Thymum, Digustrum,
Serpillum, Casiam, Crocum, atque Calthum,
Narcissos, Hyacinthinosque flores,
Spernit, quam pretii petitor ampli
Glebam thurifer advehit Sabaeus.
Seu ficto potius specu quiescit &c.

CVIII. HYPOMNEMATOGRAPHI. Vide ACTUARII.

CIX. HYPOMNEMATOPHYLACES. Vide ACTUARII.

§. VIIII.

CX. INQUILINI. Vide COLONI *pag.* 248.

CXI. INSPECTORES. Horum meminit *Auctor Philopatridis*, ubi quis *Cratonem* Christianum indicans, ait, *αἰσθάνομαι νῦν, τὸν ἐξεταστὴν τῶν εἰρηκας. Intelligo, quem dicis, Inspectorem videlicet illum.*

CXII. INSTITORES. Vide superius *pag.* 246.

§. X.

CXIII. LANARII, seu
CXIV. LANIFICI. De Lanificio Virginum Christianarum ali-

aliquid innuimus superius *pag.* 93. 94. Quid de Lanificis Christianis *Origenes Contra Celsum* scribat, videre est superius *pag.* 280. Lanificam mulierem probat D. *Hieronymus* superius *pag.* 240.

CXV. LANII. De horum exercitio agitur superius *pag.* 237. *Clemens* Alexandrinus *Lib. II. Paedag. Cap. I.* *ὁμοίως δὲ καὶ τὰ ἐκ μακέλλου ἀνεξετάστως ὠνεῖσθαι προστάττει. Similiter autem iussit nos ea, quae sunt in macello, citra ullam curiosam indagationem emere*, scilicet, *Christus*.

CXVI. LAPIDARII. Vide AVRIFICES. FLATVRARII.

CXVII. LAPICIDAE. *Iacobum Alphaei* arte Lapicidam fuisse, quibusdam accreditum est, ut superius *pag.* 65. 67. observabamus. *Martyrolog. Romanum XV. KL. Septembris: In Illyrico Sanctorum Martyrum Flori & Lauri, Artis Lapicidinae, qui consummato martyrio eorum magistris Proculo & Maximo, sub Lycione Praeside post multa tormenta in profundum puteum sunt demersi*. Anaglyphum cum instrumentis, seu Lapicidae, seu Fabri Lignarii, exstat apud *Aringhum Tom. II. Romae subter. Lib. IV. Cap. XXXVII. pag* 160. Vide FABRI QVADRATARII. MARMORARII. MVSIVI OPERIS &c.

CXVIII. LIBERTI. Multos primitivorum Christianorum servos fuisse, demonstravimus superius *pag.* 87. 88. 89. 90. quare consectanium est, & Libertos fuisse multos, de quibus in voce *Aulici pag.* 216. *& seqq.* quaedam praelibavimus. De Liberto Christiano, sed facinoroso, agit D. *Cyprian. Epist. XLVIII. Invigiletur ergo, ut omnibus Coepiscopis nostris & fratribus innotescat; Nicostratum multorum criminum reum, & non solum patronae suae carnali, cuius rationes gessit, fraudes & rapinas fecisse, verum etiam, quod est illi ad perpetuam poenam reservatum, Ecclesiae deposita non modica abstulisse, &c.* Animadvertendum est *Io. Chrysostomum Homil. XI. in Acta Apostol.* denotavisse, nusquam scriptum occurrere, primitivos Christianos servos suos venumdedisse, ut pretium, quemadmodum aliarum facultatum, ante pedes Apostolorum deponerent, quia eos, ut videtur, manumittentes libertate donabant. In *Actis Sancti Sebastiani* legimus, *Agrestium Chromatium*, Praefectum Vrbis, quum divino lavacro tinctus est, MCCCC. servos manumisisse,

qui omnes pariter deinde baptissati sunt; quum indignum existimaret eos, qui Deum patrem habere coeperant, homini servire mancipia. Sancta *Melania Iunior* manumisit servorum, qui voluerunt, octo millia, reliqui enim noluerunt, sed maluerunt servire fratri eius, cui illa concessit, si Latino *Palladii* Interpreti credendum est: nam Graecus contextus *Histor. Lausiac. Cap. CXXI.* numerum servorum manumissorum non exprimit. Liberti autem memorantur in Inscriptionibus apud *Gruterum pag. MLIV.* 3. & *Fabrettum pag. 569. num.* 126.

EX . BENEFICIO · S · ✠ · PER
IOHANNEM · EPISCOPVM · ET
PER · ALBERTVM · S · ✠
CASATVM · FACTVS · EST
LIBER · LEMBERTVS
TESTE · HAC · SANCTA
ECCLESIA

M · ANTONIVS
APELLES · EXITVM
FECIT VENVSTAE
CONLIBERTAE · SVA
E · VIX. ANN XI

Manumissio quaedam servorum praescribitur Decreto Civitatis Ariminensis, quod productum fuit in *Ephemeridibus Litterariis Florentinis* Ann. MDCCXLVIII. *col.* 579. licet mutilum, & sequioris aetatis.

CXIX. LI-

CXIX. LICTORES. Apud *Ruinartum* Sanctus *Basilius Homil. De Sanctis Quadraginta Martyribus*, qui in stagnum glacie concretum nudi demissi sunt, narrat, eorum unum frigoris impatientia ad ethnicam impietatem defecisse, atque in ejus locum Lictorem, cui eorum custodia credita erat, in stagnum desilientem, se esse Christianum proclamasse, atque ita cum reliquis martyrii palmam consequutum fuisse. Sed antiquior Lictor, seu Apparitor, ille, qui *Iacobum* Zebedaei Apostolum iudicio obtulit, quique, quum illum vidisset *Christi* fidem libere confitentem, commotus viri constantia, se quoque Christianum esse adfirmavit, & una cum Apostolo ad supplicium ductus martyrio coronatus est, ut ex *Clemente* Alexandrino *Eusebius Lib. II. Histor. Eccl. Cap. IX.* memoriae prodidit; qui tamen voce *ὁ εἰσαγαγὼν*, ad eum indigitandum, utitur, quae tam Apparitorem, quam Accusatorem, significare potest, ut *Henr. Valesius* observat, in secundum significatum proclivior. Vide APPARITORES. CARNIFICES. COMMENTARIENSES. DELATORES. SPICVLATORES.

CXX. LIGNARII. Vide FABRI LIGNARII.

CXXI. LIGNATORES. De iis consule superius *pag.* 90. & adeundus *Mamachius Libr. I. Orig. & Antiquit. Christian. Cap. III. §. XXVI.* qui marmoris figuram refert, in quo Christi monogramma, cuneus, & securis, Lignatorum instrumenta.

CXXII. LINARII sunt, qui lini artem exercent. *Pignorius De Servis* ita scribit: *Collare autem vidi Romae, ut dixi, apud Lael. Paschalinum cum huiusmodi Inscriptione:* TENE ME QVIA FVGI ET REVOCA ME DOMINO MEO BONIFATIO LINARIO A ΩX.

CXXIII. LINTEARII. Eos memoravimus superius *pag.* 246. *Eusebius Vita Constant. Lib. II. Cap. XXXIV.* Gynecaeorum & Linoyphiorum, in quae Sancti Confessores contrusi fuerant, & ubi durum & aerumnosum laborem perferebant, mentionem facit. Lintearii autem sunt, qui vestes lineas texunt, vel vendunt. Vide CIRCITORES. TEXTORES.

§. XI.

CXXIV. MACELLARII. Vide LANII.

CXXV. MAGI. *Tamen* Christiani interdum facti sunt, damnata tamen ac detestata, quam profitebantur, doctrina. Si *Abdiae* Babylonio fides *Lib. IV. §. IV.* habenda esset, *Hermogenes* Magus ab *Iacobo Zebedaei* F. Apostolo ad Christi fidem conversus fuisset. Sanctus *Cyprianus* Antiochenus Magus fuit primum, & deinde artem vanissimam detestatus, & Christi legem amplexus, eiusdem Martyr occubuit. Si autem *Simon* ille Samaritanus, quem *Petrus* Apostolus exsecratus est, Magus esse perstitit, Christianus quoque verus esse desiit: quae enim conventio *Christi* ad *Belial*? *Menander* quoque haereticus eius discipulus Magicen aeque profitebatur, ut Sanctus *Irenaeus Lib. I. Adverf. Haeres. Cap. XXI.* memoriae prodidit. Hic pariter eodem *Lib. I. Cap. VIII.* tradiderat, *Marcum* haereticum, Magicae imposturae fuisse peritissimum, per quam & viros multos & non paucas feminas seduxit, seque Virtutem maximam haberi fecit. Sunt qui putent eos, de quibus in *Actis Apostolorum* legitur, fuisse primum curiosa sectatos, ac deinde Christianos effectos, libros suos omnes combussisse, Magicarum praestigiarum & illusionum studiosos fuisse, & Magicen docentia volumina ultricibus flammis absumsisse. Christiani enim Magi esse non possunt, ut superius *pag.* 179. ex *Tertulliano* etiam indicavimus; & iniquae in eos Ethnicorum calumniae fuerunt, quum tot ab iis in nomine Christi patrata miracula subspicientes, maleficiis ea aut incantationibus tribuere maluerunt. Huc enim fortasse respiciunt illa de Christianis *Suetonii* in *Nerone* verba, ut certe *Casp. Barthio Lib. X. Adversar. Cap. VI.* aliisque, videtur, *Genus hominum superstitionis novae ac maleficae*. Auctor *Philopatridis* pariter Christianos praestigiatores adpellat; praestigiasque iis exprobrat *Celsus* apud *Origenem Lib. I.* passimque huiusmodi calumnias obiectas legere est in *Actis Sanctorum Martyrum* apud *Ruinartium*, ut in *Actis S. Bonosi &c. SS. Petri, Andreae, Pauli, & Dionysiae* Virginis; SS. *Perpetuae & Felicitatis*: in *Actis*

quo-

quoque Sancti *Sebastiani* apud *Bollandianos*: & apud *Tertullianum*, *Arnobium*, *Lactantium*, *Augustinum*, aliosque, de quibus consule *Mamachium Lib. I. Origin. & Antiquitat. Christian. Cap. II. §. II. & Cap. III. §. XXII.* & *Binghamium Lib. I. Origin. Ecclesiastic. Cap. II. §. V.* Nec mirum, si discipuli & adseclae Magi & Incantatores audiebant, quum Magister ipse ac Dux *Iesus Christus* pluries ab Iudaeis, quod Daemonium haberet; & in Belzebub principe Daemoniorum eiiceret Daemonia; iniquissime sugillatus sit. Quin & Ethnici ipsi *Iesum* tamquam Magum aliquem traducere per summam calumniam adnixi sunt: nam *Celsus* & alii, eum in Aegypto maleficiis artibus operam dedisse dictitabant; Ethnicisque generatim persuasum erat, ipsum nonnullos libros de Magia scripsisse, quos *Petro* & *Paullo* in discipulorum suorum usum tradiderit, ut apud laudatum *Binghamium* loco citato videre est. Quin *Apollonium* Thyaneum Magum praestigiatorem ac staurgeratum, cuius vitam pluribus libris *Philostratus* complexus est, ei comparare sunt ausi, ut impius *Hierocles*, quem *Eusebius* Caesariensis egregio scripto volumine confutavit. Si vero Magorum nomine sapientes viros, & Philosophos, more Persarum, indigitamus, tunc Magi Christiani fuerint, & Magiam recte laudabiliterque profiteantur. Tales illi Magi fuerunt, qui Christum recens natum, ex Oriente, adoratum venerunt, de quibus agit Evangelista *Matthaeus Cap.* II. Non desunt tamen veteres nonnulli, qui existiment, Magos illos vere γοητας fuisse, sed divina illustratione permotos ad Christum accessisse, atque artem exsecrabilem eierasse. Adeo autem Christi ortum & adventum Magicae superstitioni & impietati fatalem fuisse creditum est, ut nullum verae incantationis & magicarum praestigiarum exemplum post illum in veridicae historiae monumentis offendere sit, ut late demonstrat eruditissimus & celeberrimus Vir *Scipio Maffeius* in eo Libro, cui *Magiam deletam* titulum fecit, *Casto Innocenti Ansaldo* inscripsit, & adversus *Hieronymum Tartarottium* Roboretanum vulgavit.

CXXVI. MAGISTRAE infantularum puellarum. Vide COMITES. & *pag.* 240.

CXXVII. MARMORARII. Marmorariorum mentionem

ex

ex *Tertulliano* fecimus superius *pag.* 181. & opus Marmorarii indicat Inscriptio, quam in *Balneatores pag.* 231. protulimus. Marmorariorum opera indicantur etiam *pag.* 225. 226. Sanctus *Paulinus Poemate XXVI.* in Ecclesia Sancti *Felicis* ab se aedificata Marmorarii opera fuisse canit illis versibus:

Trina manus variis operata decoribus illam
Excoluit: biiugi laquearı & marmore Fabri,
Pictor imaginibus divina ferentibus ora.

Danieli Marmorario scribit Rex *Theodoricus* apud *Cassiodorum Lib. III. Epist. XIX.* & *Lib. I. Epist. VI.* de Marmorariis ita scribit: *De urbe nobis Marmorarios peritissimos destinetis, qui eximie divisa coniungant, & venis colludentibus illigata naturalem faciem laudabiliter mentiantur. De arte veniat, quod vincat naturam; discolorea crusta marmorum gratissima picturarum varietate texantur.* Ad Marmorarium quoque pertinet Epigramma apud *Muratorium pag.* MDCCCXXXIX. si *Muratorio* ipsi adnotanti credimus. Illud ita habet ex *Boldetto*.

S · AVR · VINCENTII · M ·
QVI VIX · ANN · LX
DECES · IIII · IDVS · NOV

Adnotat autem *Muratorius*: *Littera* S · *pro* SEPVLCRVM · *Altera* M · MARMORARII · *Ad illius enim artem indicandam sculptum heic vides Malleum & Quadram.*

CXXVIII. MENSARII. Adi superius *pag.* 209.

CXXIX. MERCATORES. Mercaturam Christianos fecisse luculenter indicant verba *Tertulliani*, quae superius *pag.* 92. produximus; & probatam expresse ab *Christo* fuisse, insinuat eius de homine negotiatore Parabola, quam supra pariter *pag.* 72. adduximus. Quae in voce *Argentarii* & *Foeneratores* disseruimus, huc quoque referri possunt: nam & Trapezitice mercaturae species quaedam est. De Mercatoribus Christianis agit *Sidonius Apollinaris Lib. VI. Epist. VIII.* nam de quodam Mercatore ita

ita Papae Graeco scribit: *Apicum oblator pauperem vitam sola mercandi actione sustentat. Non illi est opificum quaestus, militiae commoda, culturae compendia: hoc ipsum quod mercenariis prosequutionibus & locatitia fatigatione cognoscitur, fama quidem sua, sed facultas crescit aliena. Sed tamen quoniam illi fides magna est, etsi parva substantia, quoties cum pecuniis quorumpiam cataplo recentes nundinas adit, creditoribus bene credulis solo deponit morum experimenta pro pignore, &c.* Sed veri & optimi Mercatores erant antiqui Christiani, dum *Christum* lucrifaciebant, & parabant thesauros indeficientes in Coelis, iuxta ipsius *Christi* consilium. Hinc forte *Christempori* Christiani dicebantur, ut docet *Io. Chrysostomus Homil. I. in Epist. ad Thessalonic. VI.* Διὸ καὶ χριστεμπόρους καλοῦσιν ἡμᾶς. *Quare & Christi Mercatores nos vocant.* De pio, & Christi amante Negotiatore Alexandrino, qui facultates suas omnes pauperibus distribuerat, vide *Palladium Histor. Lausiac. Cap. LXVI.* Sanctus *Zeno Lib. I. Tract. II.* De Caritate: *Haec mare penetrat, orbem circuit commercio, nationibus necessaria subministrat.* Vide NEGOTIATORES.

CXXX. METALLICI. Vide FOSSORES METALLORUM.

CXXXI. MILITES. Milites in Christum credentes vel ex Evangelica Historia producere est. Centurionis Capharnaeensis fides mirabilis est apud *Matthaeum Cap. VIII.* & apud *Lucam Cap. VII.* Centurio pariter, & eius Milites, seu Christi virtutem morientis admirati, seu resurgentis prodigiis terrefacti, dixerunt: *Vere hic homo filius Dei erat*, ut apud *Matthaeum Cap. XXVII. v. 54. Marcum Cap. XV. v. 39. Lucam Cap. XXIII. v. 47.* videre est. Sed Milites, qui in Christum crediderunt, fideles effecti militiae cingulum posuerunt? Haud crediderim. *Cornelius* Centurio a *Petro* Apostolo Christianis sacris initiatus habetur in *Actis Apostolorum Cap. X.* Praetoriani Milites in Christum credentes indicantur a *Paullo* Apostolo *Cap. I. Epist. ad Ephesios*; & *Cap. IV. Epistolae ad Philippenses*, de quibus consule superius *pag.* 216. 217. 218. deque iisdem vide, quae commentatur *Mamachius Lib. II. Origin. & Antiquitat. Christianorum Cap. XXI. §. IV. Tomo II.* qui *Tomo I.* eiusdem ope-

operis *Lib. II. Cap. VII. §. I.* late demonstrat, Christianos ab militia vel primis Ecclesiae saeculis minime abstinuisse, & eis militare licuisse, quidquid *Tertullianus Libro De Idololatria* in contrariam sententiam scripserit; & Sanctus *Maximilianus* Martyr arbitratus fuerit, cuius Acta apud *Ruinartium* exstant; & ab omni censura, & fabulae subspicione, vindicat, quod *Eusebius Lib. V. Histor. Eccles. Cap. V.* memoriae prodidit, scilicet, quum exercitus Imperatoris *Marci Aurelii* Marcomannico bello detineretur, neque ullum aquandi modum haberet; periculumque manifestum esset, ne, nisi ei divina esset virtute subventum, universae legiones perirent; Christianos Milites orando obsecrandoque Deum, non modo impetrasse, ut plueret; sed etiam ut hostes icti fulminibus partim interirent, partim dissipati, tandem in populi Romani potestatem venirent: & Legionem ipsam Melitinam, cuius precibus hoc miraculum perpetratum est, exinde congruo sibi vocabulo *Fulminatricem* ab Imperatore cognominatam fuisse: quod confirmant *Gregorius* Nyssenus, *Ioannes Xiphilinus*, *Paullus Orosius*, aliique, ut *Eusebio* antiquiores *Tertullianum* & *Apollinarem* silentio praeteream. At magis celebranda mihi est Thebana Legio, cuius Primicerius *Mauricius* fuit, quaeque sub *Maximiano* Principe sanguinem pro Christo universa profudit, & sic de Christiani nominis hostibus triumphavit; de qua consulendus Sanctus *Eucherius* Episcopus Lugdunensis apud *Ruinartium*; *Tillemontius Tom. IV. Monum. Eccles.* ubi de Sancto *Mauricio* aliisque Legionis huius martyribus agit; ut brevem de iis Romani Martyrologii commemorationem transiliam. Sive enim multos militia praeventos fides posterior invenit, sive multi Christiani sacramento adacti in castra transierint, tempore etiam *Tertulliani*, qui *Libro De Corona Cap. XI.* militiam eorum, qui ante sacramentum Christiani erant, improbat tantum, castra fideles impleverant, cuius verba superius *pagina* 178. protulimus. Innumeros igitur Christianos Milites nobis Ecclesiastica Historia subpeditat, multosque iam in antecessum indicavimus *pag.* 81. 82. 92. 210. 223. 241. 258. 262. S. *Cyprianus Epist. XXXIV. Avia eius Celerina iampridem martyrio coronata est. Item patruus eius & avunculus Laurentius, & Ignatius, in Ca-*

stris

stris & ipsi quondam saecularibus militantes, sed veri & spiritales Dei Milites, dum Diabolum Christi congressione prosternunt, palmas Domini & coronas illustri passione meruerunt. Constantinus Augustus Confessoribus, qui militari dignitate olim decorati, crudeli quodam, atque iniquo praetextu, ea exciderunt, quum cultum Dei profitentes dignitati suae anteponerent, liberum esse voluit eligere, utrum mallent, an militiam repetentes in eodem, in quo prius fuerant, statu permanere; an cum honesta missione libere agere, ut apud *Eusebium Lib. II. Vit. Constant. Cap. XXXIII.* legimus; qui quidem Scriptor *Lib. VI. Histor. Eccles. Cap. XLI. Besae* Militis & Martyris meminit; & *Lib. VII. Cap. XV. Marinum* Militem celebrat, quod veritati fuso sanguine testimonium perhibuerit; et *Lib. VIII. Cap. IV.* scripsit, in persequutione Diocletianea cernere fuisse quamplurimos, qui abiecta militia privatam vitam amplecti maluerunt, quam supremi omnium rerum opificis cultum abnegare. *Libro* autem *De Martyribus Palaestinae* Sancti *Seleuci* Militis passionem describit. Apud Sanctum *Paullinum Poem. XV.* Sancti *Felicis* frater *Hermias* dicitur,

In gladio vivens proprio, vanaeque laborem
Militiae sterilem tolerans, qui Caesaris armis
Succubuit, privatus agens ad munia Christi.

Prudentius περὶ Στεφαν. de Sanctis Martyribus *Hemitherio & Chelidonio*:

Nec rudem crudi laboris ante vitam duxerant,
Milites, quos ad perenne cingulum Christus vocat:
Sueta virtus bello & armis, militat sacrariis.
Caesaris vexilla linquunt, eligunt signum Crucis &c.

De Christianis copiis & militia *Constantini* Caesaris multa habet idem Vates *Lib. I. Advers. Symmachum*. Sed ut ad Christi Martyres revertar, plurimi inter eos militiae vacavisse deprehenduntur, sive eorum Acta sincera apud *Ruinartum* evolvantur, sive Martyrologia perlegantur. Et apud *Ruinartum* quidem

Sancti Milites & Martyres occurrunt, *Tarachus*, qui tamen, quod Christianus esset militiae renuntiavit; quod multos alios fecisse testatur *Tertullianus Libro De Corona*, *Theodorus*, *Philoromus* fortasse Tribunus, *Gordius* Caesariensis Centurio, Martyres XL. *Iulius*, *Nicander* & *Marcianus*. Acta S. *Andreae* Tribuni, & Martyris exstant apud *Surium* die *XIX. Augusti*. Praeter iam memoratos, in Martyrologio Romano Milites offendere est, *Sebastianum* primae cohortis Praefectum; *Papiam* & *Maurum*; *Victorem* Mediolanensem; *Acathium* Centurionem, *Hermiam*, *Ischyrionem* Ductorem Militum, *Montanum*, *Leontium*; *Victorem* Massiliensem, *Victorem* Emeritensem, Milites LXXXIII. Amiternenses, *Faustum*, *CLXV.* Milites Romanos, *Anastasium* Cornicularium, *Marcellinum* Tribunum Tomitanum, *Iulianum*; *Eudoxum*, *Zenonem*, *Macarium*, aliosque MCIV. socios, qui militare cingulum abiecerunt; *Severianum*, *Callistratum* cum aliis IL. Militibus; *Eleutherum*, *Varum*, *Dasium*, *Zoticum*, *Gaium* aliosque duodecim; *Claudium* Tribunum, cum uxore & filiis & LXX. aliis Militibus; *Mercurium* & socios, *Ammonem*, duos *Zenonas*, *Ptolemaeum*, *Ingenem*, *Theophilum*, XL. Martyres Sebastenos, aliosque. Miles Christianus occurrit fortassis in Inscriptione apud *Reinesium pag.* 1003. CCCCXLVI. & arma Militis cum Inscriptione exstant apud *Aringhium Tomo II. Lib. IV. Cap. XXXVII.*

ASELLVS QVI VIXIT AN · LV BENEMER
ENTI IN PACE VXOR SA FECIT

CXXXII. MIMI. Vide HISTRIONES. SCENICI. & *pag.* 246.

CXXXIII. MINISTRI. Ministros Aulicos vide superius *pag.* 222. 223. sicuti Ancillas Ministras *pag.* 194. 195. ubi idem esse Ministrum apud Latinos, ac Diaconum apud Graecos, ostendimus. Et proprie Minister est, qui mensis ministrat; nam & Diaconi ex prima institutione ministraverunt mensis, ut ex Actis Apostolicis, post *Isidorum*, & *Amalarium Fortunatum*, ibidem adnotavimus. Hinc *Arator Lib. I.* Diaconos Ministros vocat

sit

——— *sit cura Ministris*
Officium librare suum, quo laudis amictu
Hunc deceat lucere Chorum, quem mysticus ordo
Consecrat in numero.

Huc respexit D. *Ignatius Epist. II.* nostros Diaconos informans: *οὐ γὰρ βρωτῶν καὶ ποτῶν εἰσι διάκονοι, ἀλλ' ἐκκλησίας Θεοῦ ὑπηρέται. Non enim eduliorum & poculorum sunt Diaconi, sed Ecclesiae Dei Ministri.* Ministratores etiam dicebantur, ut ex Inscriptione, quam superius *pag.* 109. protulimus, elucet atque eminet. Similis Inscriptio occurrit in *Historia Litter. Ital. Ann. MDCCL. Lib. II. Cap. VII. §. III.* ubi IVSTINIANVS FIDELIS MINISTRATOR CHRESTIANVS dicitur. De huiusmodi Ministro S. *Paullinus Poem. IV.*

Adsit laeta domus, epulis adludat inemtis
Verna satur, fidusque Comes, nitidusque Minister.

Prudentius in *Apotheosi:*

Ambesis dapibus cumulatim adgesta redundant
Fercula, bissenos micarum molibus implens
Post coenam cophinos, crudus conviva resudat
Congeriem ventris, gemit & sub fasce Minister.

Celerantia Ministeria vocat *Sidonius Lib. I. Epist. XI.*

CXXXIV. MONETARII. Monetarii Christiani occurrunt fortassis in Inscriptione apud *Gruterum*, & *Aringhium*, quam protuli superius voce COENARII. Numus aereus Christianus illustratus est peculiari libello ab *Franc. Victorio* Equite; *Constantini* aetate posterior est, ut videtur.

CXXXV. MVSIVI OPERIS Artifices quarto, & quinto saeculo Christianos fuisse, mirandum non est; & ecclesias eiusmodi ornamentis per ea tempora decoratas, apud *Ioannem Ciampinium*, aliosque, videre est. Nec antiquiores fortasse fuerint, qui indicantur in Inscriptione apud *Gruterum pag.* MCLXIV. 20.

DNO IVVANTE FELIX EPS DEI FAMVLVS
FORVM BASILICAE BEATI MARTYRIS
STEPHANI MVSIVO ET MARMORIBVS
DECORAVIT

& in alia apud *Aringhium* quam superius *pag.* 232. protulimus. Quarto certe saltem saeculo floruit ille, qui templum, in quo reliquiae Sancti *Theodori* Martyris reconditae erant, huiusmodi tessellis & emblematis exornavit; de quo templo ita *Gregorius* Nyssenus in *Oratione De magno Martyre Theodoro*: *Quod si venerit ad aliquem locum similem huic, ubi hodie noster conventus habetur, ubi memoria iusti, sanctaeque reliquiae sunt: primum quidem earum rerum magnificentia, quas videt, oblectatur, dum aedem ut templum Dei, & magnitudine structurae, & adiecti ornatus decore splendide elaboratum intuetur; ubi & faber in animalium figuram lignum formavit, & Latomus ad argenti levitatem crustas lapideas expolivit. Induxit autem etiam Pictor flores artis in imagine depictos, fortia facta Martyris, repugnantias, cruciatus, efferatas & immanes tyrannorum formas, impetus violentos, flammeam illam fornacem, beatissimam consummationem athletae, certaminum praesidis Christi humanae formae effigiem, omnia nobis tamquam in libro quodam, qui linguarum interpretationes contineat, coloribus artificiose depingens, certamina atque labores Martyris nobis expressit, ac tamquam pratum amoenum & floridum templum exornavit. Solet enim etiam pictura tacens in pariete loqui, maximeque prodesse: lapillorum item Concinnator historiae per opus in pavimento, quod pedibus calcatur, effecit.* Musivi operis, quod in Ecclesia S. *Ioannis in Fonte* Ravennae exstat, meminimus superius *pag.* 145.

§. XII.

CXXXVI. NAVARCHI. *Abdias Lib. III. §. X.* de *Andrea* Apostolo, si credere dignum est: *Cumque An-*

Angeli monitu, qui ei iterum adparuit, navem conscendisset, antequam solverent a terra, verbum Domini cunctis in navi secum exsistentibus praedicabat. Cuius verbis salutaribus persuasi cuncti, cum ipso navis Praefecto, in Iesum Christum credentes glorificabant Deum. Sanctus *Paullinus Poemate XVII.* de Sancti *Nicetae* itinere agens:

Inde iam tertis subeunte ponto
Hadriae stratus sinus obsequetur,
Vnda procumbet, Zephyroque leni
Vela tumescent.
Ibis illabens pelago iacenti,
Et rate armata titulo salutis,
Victor antemna Crucis ibis, audis
Tutus, & Austris.
Navitae laeti solitum celeuma
Concinent versis modulis in hymnos,
Et piis ducent comites in aequor
Vocibus auras.
Praecinet cunctis, tuba ceu resultans,
Lingua Nicetae modulata Christum:
Psallet aeternus citharista toto
Aequore David.

CXXXVII. NAVCLERI. Inscriptio apud *Muratorium pag. CCCXCIII. 7.*

ΔΙΟCΚΟΡΟS ΝΑΤΚΛΕΡΟC ωΔΗ ΗΚΤΜΙΘΗ
ΕΝ ΗΡΗΝΙ ΗΖΗC ΗΤΗ ΚΗ ΠΑΡΑΚΑΤΙ
Θ · ΚΑΛ · ΜΑΡ · ΤΠΠΑΤ · Τω ΑΡΚΑΔ · C ΚΑΙ
ΡΟΤΦΕΙΝ

Hoc est: *Dioscorus Nauclerus hic obdormivit in pace. Vixit annos XXVIII. Depositus fuit IX. KL. Martias Consulibus Arcadio Augusto & Rufino.* Vide NAVARCHI.

CXXXVIII. NA-

CXXXVIII. NAVICVLARII. *Cassiodorus Lib. IV. Variar. Epist. V. Devotio tua praesentis auctoritate cognoscat, omnes Naviculartos Campaniae, Lucaniae, sive Tusciae, fideiussoribus idoneis se debere committere, ut cum victualibus speciebus tantum proficiscantur ad Gallias, &c.*

CXXXIX. NAVTAE. De *Iacobo & Ioanne* Apostolis & Nautis, vide superius *pag.* 64. 77. 78. 79. Navigantes Christiani occurrunt apud *Tertullianum* superius *pag.* 92. Vide HELCIARII. NAVARCHI. NAVCLERI. NAVICVLARII.

CXL. NEGOCIATORES. Sanctus *Maximus* Martyr, qui sub *Decio* Principe passus est, homo plebeius erat, & negotii sui curam gerebat. Quare respondit *Optimo* Proconsuli Asiae, quod officium gereret interrogatus: *Homo sum plebeius, meo negotio vivens. Tertullianus De Idololatria* negociationes improbat tantum, quae Idolorum cultui famulantur. *Nulla igitur ars, nulla professio, nulla negociatio, quae quid aut instruendis aut formandis Idolis administrat, carere poterit titulo Idololatriae; nisi si aliud omnino interpretemur Idololatriam, quam famulatum Idolorum colendorum. Male nobis de necessitatibus humanae exhibitionis subplaudimus, si post Fidem obsignatam dicimus: Non habeo quo vivam, &c. . . . . De artibus, & negociationibus, & de professionibus, etiam liberorum & parentum caussa dubitas. Iam tum demonstratum est nobis & pignora, & artificia, & negocia, propter Dominum relinquenda. S. Ambrosius Lib. III. Officiorum Cap. IX.* negociationem damnat, quae nullam honestatis rationem habet: *Nihil itaque deformius, quam nullum habere amorem honestatis, & usu quodam degeneris mercaturae quaestu sollicitari ignobili, avaro aestuare corde, diebus ac noctibus inhiare in alieni detrimenta patrimonii, non elevare animum ad honestatis nitorem: non considerare verae laudis pulcritudinem.* Negociatio omnis Clericis interdicta est, indicente *Paullo: Nemo militans Deo, implicat se negociis saecularibus.* In Monachis quoque reprehendit *Hieronymus Epist. IV. ad Rusticum: Plerique artibus & negociationibus pristinis carere non possunt; mutatisque nominibus Institorum, eadem exercent commercia, non victum & vestitum, quod Apo-*

sto-

stolus praecipit, sed maiora, quam saeculi homines, emolumenta sectantes, &c. Sed negociator *Apollonius*, Asceta effectus, eamdem prope artem exercere laudabiliter potuit, ut apud *Palladium Histor. Lausiac. Cap. XVI.* videre est. Negociatorum forensium meminimus superius *pag.* 142. Negociator Christianus occurrit in Inscriptione apud *Muratorium pag.* CCCC-XXXII. 1.

EPYTAFIVM HVNC QVI INTVIS LECTOR
BONE RECORDACIONIS AGAPI NEGVCIATORIS
MEMBRIA QVIESCVNT NAM FVIT ISTE STACIO
MISERIS ET PORTVS EGENIS OMNEES APTVS
FVIT PRECIPVE LOCA SANCTORVM AD SE
DVE ET ELEMOSINAM ET ORACIONEM
STVDVIT. VIXIT IN PACE ANNS LXXXV OB
VIII · KAL APRILIS LXI PC IVSTINI INDICT QVARTA

Alius in negociis civilibus versatus memoratur in Inscriptione apud *Gruterum pag. ML.* 3. in qua & illud observatione dignum, Deum verum, *Iovis opt. max.* nomine, Ethnicorum more, ab Christiano homine indigitari.

D · M

AVRELIO · BAL	QVIBVS · FVE
BO · VITA · INT	RAT · CVM · LAV
EGERRIMO	DE · VERSATVS
MORIBVSQ	IOVIS · OP · MA
ORNATO · QVI	BENEFICIO
SE · QVIETIOR	DVCTO · HIC · IN
IS · PERFECTIO	SPE · RESVRR
RISQ · VITAE	ECTIONIS · QV
DESIDERIO	IESCENTI · LOC
EX · NEGOTIIS	VS · PVBLICE
CIVILIBVS · IN	DATVS · EST

At

At negotia civilia heic indicata forte munera fuerint, queis in rep. tractanda functus est *Balbus*. Vide ARGENTARII. FOENERATORES. MERCATORES. & passim.

CXLI. NENTES feminae sunt in Historia Ecclesiastica celebres. In Apocrypho *Protevangelio Iacobi* de *Maria* Deipara legitur: Καὶ εἶπεν αὐτοῖς ὁ ἀρχιερεύς· λάχετέ μοι ὧδε τίς νήσει τὸ χρυσὸν, καὶ τὴν ὑάκινθον καὶ τὴν κόκκινον καὶ τὴν βύσσον. καὶ τὴν ἀληθινὴν πορφύραν· καὶ ἐμνήσθη Ζαχαρίας περὶ τῆς μαρίας, ὅτι ἐκ φυλῆς Δαυὶδ ἐστι. Καὶ ἐκάλεσεν αὐτὴν, καὶ ἔλαχεν αὐτῇ ἡ ἀληθινὴ πορφύρα, καὶ ἀπῆλθεν εἰς τὸν οἶκον αὐτῆς .... Μαρία δὲ λαβοῦσα τὴν ἀληθινὴν πορφύραν ἔνηθε. Paullo aliter habet *Eustathius* Antiochenus, ex quo Latinam interpretationem subplebimus. *Et dixit Princeps Sacerdotum: Sortiamini mihi, quaenam nebit aureum filum, (amiantum) & byssum, (& sericum) & hyacinthum, & coccinum, & veram purpuram. Et recordatus est Zacharias Mariae, quod ex tribu David esset, & sorte ipsi Mariae contigit vera purpura (& coccinus) & abiit in domum suam ..... Maria vero accepta purpura (& cocco) filavit. Clemens Alexandrinus Lib. III. Paedag. Cap. X.* de sapienti muliere loquens ait· ἣ τοὺς πήχεις ἐκτείνει εἰς τὰ χρήσιμα· τὰς χεῖρας δὲ αὐτῆς ἐρείδει εἰς ἄτρακτον. *Quae cubitos extendit ad utilia; manus vero suas colo fulcit. D. Hieronymus Epist. VIII. ad Demetriadem: Quumque haec finieris spatia, & frequenter te ad figenda genua sollicitudo animae suscitaverit, habeto lanam semper in manibus, vel staminis pollice fila deducito; vel ad torquenda subtemina in alveolis fusa vertantur; aliarumque neta aut in globum collige, aut texenda compone. quae texta sunt, inspice; quae errata, reprehende; quae facienda, constitue. Alexandra* Ancilla, de qua *Palladius Histor. Lausiac. Cap. V.* monumento se incluserat, & quum ab oratione vacabat, nebat linum. Idem Scriptor *Cap. XXXVIII.* narrat, virginem *Piamun*, annos vitae suae cum matre propria vixisse, solamque cum sola vespere semper comedentem, & linum nentem.

CXLII. NVMVLARII. Vide supra *pag.* 209. & ARGENTARII. FOENERATORES.

CXLIII. NVTRICES. *Bassiani Caracallae* Nutrix Christiana

ſtiana fuit, auctore *Tertulliano*, cujus verba protulimus superius *pag.* 221. S. *Cyprianus De Lapſis* Nutricis meminit, quae forte Chriſtiana fuit, ſed minus Chriſtiane egit. *Parentes forte fugientes, dum trepidi minus ſibi conſulunt, ſub Nutricis alimento parvulam filiam reliquerunt; relictam Nutrix detulit ad Magiſtratus*. *Maura* Nutrix *Fuſcae* Virginis, quae Ravennae una cum Alumna Martyr ſub *Decio* Principe obtruncata eſt, occurrit in *Martyrologio Romano Idib. Februarii*; & *Idibus Auguſti* memoratur ibidem *Concordia* Martyr, beati Martyris *Hippolyti* Nutrix. Nutricum hujuſmodi meminit *Sidonius Apollinaris*, apud quem *Lib. II. Epiſt. II. Clientarum ſive Nutricum loquaciſſimus chorus receptus canit*. Inſcriptiones etiam Nutrices varias nobis ſubpeditant. Ecce apud *Gruterum pag. MLIII.* 5.

HERCVLIO · INNOCENTI
IN DM XP
QVI · VIX · AN · III · M · VIII · D · XXIII
IANVARIA · ALVMNO · BENEMER
IN · PACE

& *pag. MLXL.* 5.

· · · PRO MERITO
VRBANE · FL · PASTOR
NVTRICI · FECIT
IVLIANE · IN PACE

In *Hiſtor. Litter. Ital. Am. MDCCL. Lib. II. Cap. VII. §. III.*

HIC POSITVS EST IN PACE IVSTINIANVS
FIDELIS MINISTRATOR CHRESTIANVS QVI
VIXIT IN HOC SECVLO ANN · P · M · LXIII ·
RECESSIT IN CORPORE VII · KL · NOVEMBRIS
SEVERVS ALVMNVS FECIT

Apud *Aringhium Lib. IV. Cap. XXXVII.* & apud *Donium pag.* 535. 54.

ΕΝΘΑΔΕ · ΡΑVΔΕΙΝΑ
ΚΕΙΤΑΙ · ΜΑΚΑΡΩΝ
ΕΝΙ · ΧΩΡΩ
ΗΝ ΚΗΔΕΥCΕ · ΠΑΚΑΤΑ
ΕΗΝ · ΤΡΕΠΤΕΙΚΑΝ
ΓΛΥΚΕΡΗΝ
ΑΓΙΑΝ · ΕΝ · ΧΡΩ

Apud *Muratorium pag.* MCMXXI. 8.

TABVLA DOMINA
PROTASIO ALVMNO SVO QVI VIXIT

Ex *pag.* MCMLXXII. 13.

GENETRIS PIA CVM........
DEO DEVOTA SEM........
FAMILIAE NVTRIX.........
NEC QVIC QVAM.........
LAETENTVR A.........
DEP XV KAL.........

Vide COLLACTANEI . GERVLI.
CXLIV. NVTRICII seu
CXLV. NVTRITORES. Vide superius *pag.* 220. ubi *Auspicii* Nutritoris mentio est, & *pag.* 279. 281. Occurrunt in Inscriptionibus. Apud *Aringhium Tom. II. pag.* 177.

AVR.

AVR · MAXIMVS PRI · · · · ·
CIANO ALVMNO BNM · · ·
QVI VIX · ANN · XIIII · M · II · · · ·
IIA
· · VII

Et apud *Reinesium pag.* 926. CXXII. quam superius *pag.* 279. in medium adduximus. Apud *Muratorium pag.* MDCCCCXXII. 9.

CRESCENS NV
TRITORI · AGA
THODORSO · BE · ME

Et *pag.* MDCCCCXCI. 8.

IVLIAE GAVDENTIAE FILIAE DVL
CISSSIMAE QVE VIXIT ANN
IIII · MEN · X · DIES · XII · NV
TRICIONES CONTRA
VOTVM SVO FECERVNT
LOCO PEREGRINO EITA D
ECCESSIT

D. *Hieronymus ad Heliodorum: Nunc & Gerula quondam, iam onus; & Nutricius, secundus post naturalem pietatem pater, clamitant, Morituros exspecta paullisper, & sepeli.* S. *Petrus Chrysologus Serm. LXII. Nutritor pius, nisi totus fuerit redactus in parvulum, nunquam parvulum perfectum perducit in virum: denique tunc vocem tenuat, verba ponit, agit nutibus, sensus seponit, infirmat viscera, abiicit vires, membra dissolvit, gressum tar-*

tardat, gestit non ambulare, sed repere, videre simulat, timere fingit, flere mentitur: quia est in illo mendacium pietas, desipuisse prudentia est, infirmitas virtus.

§. XIII.

CXLVI. OBSTETRICES. In *Proto-Evangelio Iacobi* Historia Obstetricis occurrit, quae *Mariam* in spelunca Deum & hominem salva & incolumi virginitate enixam exploratura accessit & credidit; & aliquid simile etiam in *Evangelio Infantiae* ex Arabico translato legere est. Ex huiusmodi *Apocryphis* hausit Sanctus *Zeno Homilia De Nativitate Lib. II. Tract. VIII.* ubi scripsit: *Obstetricis incredulae periclitantis enixam, in testimonium reperta eiusdem esse virginitatis, incenditur manus; qua tacto infante, statim edax illa flamma sopitur; sicque illa Medica feliciter curiosa, dein admirata mulierem virginem, admirata infantem Deum, ingenti gaudio exsultans, quae curatum venerat curata recessit.* Ad quem *Zenonis* locum ita Veronenses Editores novissimi commentantur. *Ceterum ut de ipsa re pro vindicando Zenone aliquid dicamus, solemne apud antiquos fuit efficere, ut virgines inspicerentur per Obstetrices, quo probaretur, utrum tales essent nec ne. Vide Cyprianum Epist. 62. Ambrosium Epist. 5. n. 10. ad Syagrium, Augustinum De Civ. Dei Lib. 3. Cap. 18. Idem autem Mariae Christi matri accidisse traditum est a nonnullis apud Clementem Alexandrinum L. 7. Stromatum pag. 889. Quidam enim dicunt, eam, postquam peperisset, inspectam ab Obstetrice, inventam fuisse virginem. Haec fabula originem habuit ex libro de S. Maria & Obstetrice, qui in Decreto Gelasiano refertur inter apocrypha. Simile quidpiam legitur in Proto-Evangelio Iacobi apud Fabricium in Codice apocrypho pag. 517. num. 19. in quo tamen num. 20. non Obstetrici, sed Salome, quae una cum Obstetrice ad Mariam ingressa traditur, tum virginitatis probatio per tactum, tum manus punitio & curatio tribuitur. At in Evangelio Infantiae ex Arabico latinitate donato ab Henrico Sikio, pag. 170. Codicis apocryphi, nulla probatio per Obstetricem memoratur, sed sola sana-*

tio.

tio. Hanc fabulam explodit inter ceteros Hieronymus, ut ab apocryphis monumentis derivatam, his contra Helvidium verbis: Nulla ibi Obstetricis, nulla muliercularum, sedulitas intervenit. Ipsa Maria involvit infantem, ipsa & mater, & Obstetrix fuit; nam ipsa collocavit eum in praesepio, ipsa pannis involvebat (Luc. 2. 4.) unde commenta refelluntur Apocryphorum. Lege Suidam voce Ἰησοῦς, qui eamdem Obstetricis fabulam, uti ab Ebraeo sequiores aevi descripta aliter fuerat, fuse refert. Matthaeus Bossus Veronensis, Epistol. 79. Lib. 1. ad Polycletum Physicum, hanc refellit fabellam, cuiusmodi apud Suidam recitatur: continebatur autem separatim a Suidae operibus in Mss. Vaticano simili plane illi, quem eamdem Suidae narrationem separatim continentem in Bibliotheca Regia Parisiensi num. 3437. exsistere, Kusterus in Notis ad Suidam testatur. Matthaei autem Bossi tempore ea fabulosa narratio Latine reddita fuerat a Lauro Quirino Cretensi patricio Veneto; & dono data Regi Renato a Marcello circumferebatur; quod Bosso eius refellendae occasio fuit.

CXLVII. OECONOMI. Inscriptio apud *Gruterum pag.* MCLXII. 11.

ΥΠΟΜΝΗΜΑ · ΟΡΕϹΤΟΥ · ΟΙΚΟΝΟΜΟΥ

Sanctus *Hieronymus Epist. XXII.* de Monachis Aegyptiis: *Opus diei statum est: quod Decano redditum, fertur ad Oeconomum: qui & ipse per singulos menses Patri omnium cum magno timore reddit rationem: a quo etiam cibi, quum facti fuerint, praegustantur: & quia non licet dicere cuiquam: Tunicam, & sagum, textaque iuncis strata, non habeo: ille ita universa moderatur, ut nemo quid postulet, nemo non habeat.* Vide ACTORES. ARCARII. DISPENSATORES. PROCVRATORES. VILLICI.

CXLVIII. OFFICIALES. *Tertullianus De Idololatria Cap. XVII. Ceterum quid facient Servi vel Liberti fideles? Item Officiales, sacrificantibus Dominis, vel Patronis, vel Praesidibus, adhaerentes? Sed si merum quis sacrificanti tradiderit, imo si verbo quoque aliquo sacrificio necessario adiuverit, minister habebitur Idololatriae. Huius regulae memores etiam Magistratibus*

&

& Potestatibus officium possumus reddere, secundum Patriarchas & ceteros Maiores, qui Regibus Idololatris usque ad finem Idololatriae adparuerant. Officiales igitur sunt, qui Praesidibus & Magistratibus officia praestant, ut Milites, Lictores, Apparitores &c. De Officialibus Aulicis loquuti sumus supra *pag.* 219.

CXLIX. OLITORES. De *Barptolemaeo* Apostolo, cultore pascui, seu olerum satore, egimus superius *pag.* 65. Vide HORTVLANI.

CL. OPTIONES. *Acta SS. Perpetuae & Felicitatis &c. §. IX. Deinde post dies paucos Pudens, miles Optio, praepositus carceris, qui nos magnifacere coepit, intelligens magnam virtutem Dei esse in nobis, multos fratres ad nos admittebat, ut & nos & illi invicem refrigeraremus.* De hoc *Pudente* Optione egimus etiam superius *pag.* 158. Ad hunc vero locum ita *Lucas Holstenius* commentatus est: *Vox Optio, ministerii, aut praefecturae, nomen est: in Inscriptionibus* Gruteri *legitur*, Optio Karceris, *ut quod hic additur*, Praepositus carceris, *explicandi gratia positum videatur. Graeci vocant δεσμοφύλακα, quam vocem* Actorum XVI. 27. Sanctus Ambrosius in Epistolam ad Ephesios Cap. IV. Optionem carceris *interpretatur, sic scribens:* Neque Paullus & Silas tempus distulerunt, quo Optionem carceris baptizarent. *Hic iam quaeri potest cur militi hoc officium commissum? Ea forte de caussa, quod in castris, ubi carcer tunc erat, ut superius est dictum, non licebat uti urbanis ministris ad eiusmodi munia, sed ea curari per milites debebant, &c.* Christianae forte Inscriptiones sint, quas in *Ephemeridibus Florentinis Litterariis* anno MDCCL. publici iuris fecimus. Prima est *col.* 687.

P. ARRIVS P. F. MONTANVS
MORALIA HELPIS VXOR
P. ARRIVS POLLVX
Q · DE · · · SDACVS · OPT · DE III
T · RINNATA MORALIA IVCVNDA
P · ARRIVS P · L · PRIMIGENIVS
P · ARRIVS P · L · CASTOR

Altera habetur *ed.* 719.

SELEVCVS
OPTIO III DIANA
CONIVGI BENEME
RENTI
ATINIA · SECVNDA
FILIA · ET MARCVS
COMMATRONIVS ·

CLI. ORNATRICES. S. *Hieronymus Epist. VIII.* ad *Demetriadem: Fuge lascivam Puellarum, quae ornant capita, crines a fronte demittunt, cutem poliunt, utuntur pigmentis, adstrictas habent manicas, vestimenta sine ruga, soccosque crispantes, ut sub nomine virginali vendibilius pereant. Mores enim & studia dominarum plerumque ex ancillarum & comitum moribus iudicantur.* Vide ANCILLAE.

§. XIV.

CLII. PAEDAGOGAE &
CLIII. PAEDAGOGI. Vide superius *pag.* 240. & 217.

CLIV. PALAESTRITAE. Vide superius *pag.* 229. & GYMNICI, PVGILES.

CLV. PALATINI. Vide superius *pag.* 209. 223. 224. & AVLICI.

CLVI. PANTOMIMI. Consule superius *pag.* 245. 285. & HISTRIONES.

CLVII. PASTORES. Omnium primi Christum natum adoratum ivere. *Lucas Cap. II. v. 8. Et Pastores erant in regione eadem vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum. Et ecce Angelus Domini stetit iuxta illos, & cla-*

ritas

ritas Dei circumfulsit illos, & timuerunt timore magno. Et dixit illis Angelus: Nolite timere: ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo. Quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David. Et hoc vobis signum: Invenietis infantem pannis involutum, positum in praesepio . . . . & Pastores loquebantur ad invicem: Transeamus usque Bethlehem, & videamus hoc verbum, quod factum est, quod Dominus ostendit nobis. Et venerunt festinantes, & invenerunt Mariam, & Ioseph, & infantem positum in praesepio. Videntes autem cognoverunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc. Et omnes, qui audierunt, mirati sunt. & de his, quae dicta erant a Pastoribus ad ipsos . . . Et reversi sunt Pastores glorificantes & laudantes Deum, in omnibus, quae audierant, & viderant, sicut dictum est ad illos. Sed Christus ipse Pastorem bonum se dixit; & habitu Pastoris oves mulgentis visus est Sanctae *Perpetuae* Martyri, ut in eius *Actis* apud *Ruinartium* legere est. Vix autem ullum reperire est antiquitatis monumentum, in quo Christus sub Pastoris specie depictus non sit. Habemus huius rei multa exempla passim in *Roma Subterranea*; & sic etiam in calicibus pingi solebat, teste locupletissimo *Tertulliano Lib. De Pudicitia Cap. VII.* Cur autem Christus, tamquam Pastor praecipue habitus sit, eius erga nos curam & custodiam late demonstrantes, & facunde copioseque extollentes, docent *Gregorius Nazianzenus Orat. XIX.* & *XXXVI. Eusebius Lib. IV. Demonstrat. Evangel. Theophylactus* in *Cap. X. Ioannis; Gregor. Nyssen. Orat. III. contra Eunomium; Basilius De Spirit. Sancto Cap. VIII; Chrysost. Homil. LIX.* in *Ioannem*. Sanctus *Mamas* Martyr famigeratus, Pastor erat, & Cervas mulgebat, ad sanctum virum nova & inusitato lacte alendum certatim properantes, ut *Gregorius* Nazianzenus *Orat. XLIII.* scriptum reliquit; eiusque laudes merito effert etiam Sanctus *Basilius Tomo I. Homil. XXVI.* Sanctus *Spiridio* Trimithuntis Episcopus Pastor fuit & Agricola, ut superius *pag.* 249. vide est; & passim de Pastoribus consule *pag.* 85. 143. 182. [illegible] 273.

CLVIII. PAT[illegible]ONI. Inscriptio apud *Muratorium pag.* MDCCCLI. 7.

AN-

ANNONIVS · CHRYSANTIVS
PATRON
FLORENTEM MERITIS CHRY
SANTI NOMINE FAMAM
PATRIA CONCELEBRAT CVNCTI
POPVLIQVE PATRESQVE VOCIBVS
ET CLAROS TITVLIS CONSIGNAT HONO
RES · TEQVE TVOQVE MANET
LONGOS · MANSVRA PER ANNOS
FELIX PROLE VIRI DIGNOS QVESITV
RA NEPOTES · AD TV SVMME
DEVS CHRYSANTI RESPICE GENTEM

Vide LIBERTI.

CLIX. PEDISSEQVI. Inſcriptio apud *Muratorium pag.* MDCCCLXXIII. 1.

ΦΛΑΒΙω ΚΙΡΙΟ ΓΛΙΚΙ .....
ΕΖΗϹΗΝ ΕΤΗ ΠΕΝΤΑ
ΑΚΕϹΙΑϹ ΑΚΟΛΟΥΘΟϹ ΕΠΟΗϹΗΝ
ΙΡΗΝΙ ϹΟΙ ΕΝ ΟΥΡΑΝω

Hoc eſt: *Flavio Domino dulciſſimo, vixit annos quinque, Acceſias pediſſequus fecit. Pax tibi in coelo.* Vide SERVI.

CLX. PHRYGIONES. Qui acu pingunt, vel auro veſtes intexunt. Vide ſupra *pag.* 179. 268.

CLXI. PICTORES. Vide ſuperius *pag.* 135. 143. 145. 181. 232. 294. 300. Quamquam effigiem ſui vultus a Chriſto ſudario impreſſam & ad *Abgarum* Edeſſae regulum miſſam; & *Nicodemum*, & *Lucam* Evangeliſtam, pictores fuiſſe ad fabulas

cum sapientioribus omnibus amandemus: & tales esse nuper late demonstravit *Iosephus Frova* Canonicus Lateranensis Dissertatione, dedita opera, *De Sacris imaginibus*, erudite conscripta & in vulgus prodita; tamen picturas apud Christianos primis Ecclesiae saeculis in usu fuisse, non videtur dubitandum. Sanctus *Irenaeus Lib. I. Advers. Haeres. Cap. XX.* memoriae prodidit, Simonianos haereticos, imaginem *Simonis* habuisse factam ad figuram *Iovis*, & *Selenae* in figuram *Minervae*; atque hos adoravisse. Et *Cap. XXIV.* de *Carpocrate*, & eius sectatoribus agens, scripsit: *Gnosticos se autem vocant, etiam imagines quasdam quidem depictas, quasdam autem & de reliqua materia fabricatas, habent, dicentes formam Christi factam a Pilato, illo in tempore, quo fuit Iesus cum hominibus, & has coronant, & proponunt eas cum imaginibus mundi Philosophorum, videlicet cum imagine Pythagorae, & Platonis, & Aristotelis, & reliquorum: & reliquam observationem circa eas similiter, ut Gentes faciunt.* Ex quibus *Irenaei* verbis intelligimus, Christianos tunc, extra haereticos, picturas sacras & profanas habuisse, licet iis more Paganorum abuterentur. *Tertullianus De Pudicitia Cap. VII.* scribit: *A parabolis licebit incipias, ubi est ovis perdita, a Domino requisita, & humeris eius revecta. Procedant ipsae picturae calicum vestrorum, si vel in illis perlucebit interpretatio pecudis illius, &c.* Prudentius Hymno S. Cassiani, de eius aedis pictura:

Erexi ad coelum faciem, stetit obvia contra
Fucis colorum picta imago martyris,
Plagas mille gerens, totos lacerata per artus,
Ruptam minutis praeferens punctis cutem.
Innumeri circum pueri, miserabile visu,
Confossa parvis membra figebant stilis,
Unde pugillares soliti percurrere ceras
Scholare murmur adnotantes scripserant.
Aedituus consultus ait: Quod prospicis, hospes,
Non est inanis aut anilis fabula:
Historiam pictura refert, quae tradita libris,
Veram vetusti temporis monstrat fidem.

Idem

Idem in *Hymno Sancti Hippolyti* ait, eius martyrii historiam totam fuisse in pariete depictam:

Exemplar sceleris paries habet illitus, in quo
Multicolor fucus digerit omne nefas.
Picta super tumulum species liquidis viget umbris
Effigians tracti membra cruenta viri.
Rorantes saxorum apices vidi, optime Papa,
Purpureasque notas vepribus impositas.
Docta manus virides imitando effingere dumos,
Luserat & minio russeolam saniem.
Cernere erat ruptis compagibus ordine nullo
Membra per incertos sparsa iacere situs.
Addiderat caros, gressu lacrimisque sequentes,
Devia qua fractum semita monstrat iter &c.

Quum vero haec pictura in cryptis subterraneis esset, quo se Christiani, Ethnicis in eos saevientibus, ad laudandum Deum conferebant, inverosimile non est, eam illa ipsa aetate elaboratam fuisse, qua vel persequutio ipsa ferociebat. Idem forte opinandum est de plerisque picturis sacris, quae in eiusmodi opertis coemeteriis, & catacumbis, repertae sunt, quasque exhibet *Paullus Aringhius* in sua *Roma subterranea*. Nonnulla etiam illorum vitrorum pictis imaginibus insignium, quae profert & illustrat *Philip. Bonarotius*, tertium saltem Ecclesiae saeculum attingere improbabile non est; quare & inde Christianos Pictores illa primaeva aetate floruisse plures conicere sit. *Eusebius Lib. III. Vitae Constant. Cap. IL.* narrat, quaedam ab *Constantino* Augusto facta, quorum pars ad picturam fortassis referri potest. Scribit igitur, in fontibus, qui sunt in medio Constantinopoleos foro, boni Pastoris imagines, eius iussu spectandas prostitisse; *Danielis* item effigiem una cum Leonibus aere expressam, & auri bracteis refulgentem; quin in totius Palatii eminentissimo cubiculo, in maxima tabula, quae in medio lacunari expansa est, signum Dominicae passionis ex auro pretiosisque lapidibus elaboratum infixisse. S. *Asterius* Amasenus Episcopus, apud *Combefisium* & *Ruinartum*, templum Dei

ingressus, unam quamdam ex porticibus transiens, vidit in ea picturam quamdam, cuius species eum omnino cepit. *Dixisses* enim, (eius verba sunt) *Euphranoris artificium esse, aut eorum alicuius, qui olim plurimum dignitatis picturae conciliarunt, non aliter pingentes, quam si vivas in tabulis formas exhiberent.* Haec pictura Sanctae *Euphemiae* Virginis martyrium oculis intuentium obiiciebat. Nam Pictor pietati studens, *artis opera, historiam totam in sindone, quam licuit viva expressione designans ibidem iuxta sepulcrum sacram ad spectaculum adpendit tabellam. Sic autem habet artis hoc praeclarum opus &c.* S. *Paullinus Poemate XVIII.* de S. *Felicis* Martyris aede & cultu:.

Cedo, alii pretiosa ferant donaria, meque
Officii sumtu superent, qui pulcra tegendis
Vela ferant foribus, seu puro splendida lino,
Sive coloratis textum fucata figuris.
Hi leves titulos lento poliant argento,
Sanctaque praefixis obducant limina lamnis.
Ast alii pictis accendant lumina ceris &c.

At *Poemate XXVI.* dum picturas in templo D. *Felicis* honori ab se erecto perfectas eleganter describit, docet simul quae soliti essent veteres Christiani in suis conciliabulis & templis illicis coloribus exhibere, & quanta sit sacrarum picturarum in Ecclesiis utilitas. En eius concinna carmina.

Nunc volo picturas fucatis agmine longo
Porticibus videas, paullumque supina fatiges
Colla, reclinato dum perlegis omnia vultu.
Qui videt haec vacuis agnoscens vera figuris,
Non vacua fidam sibi pascet imagine mentem.
Omnia namque tenet serie pictura fideli,
Quae senior scripsit per quinque volumina Moses,
Quae gessit Domini signatus nomine Iesus &c.
Iam distinguentem modico Ruth tempora libro,
Tempora Iudicibus finita, & Regibus orta,
Intentis transcurre oculis, &c.

Por-

Forte requiratur quanam ratione gerendi
Sederit haec nobis sententia, pingere sanctas
Raro more domos animantibus adsimulatis.
Accipite, & paucis tentabo exponere caussas.
Quos agat huc sancti Felicis gloria coetus,
Obscurum nulli: sed turba frequentior his est
Rusticitas non cassa fide, neque docta legendi.
Haec adsueta diu sacris servire profanis,
Ventre Deo, tandem convertitur advena Christo,
Dum Sanctorum opera in Christo miratur aperta.
Cernite quam multi coeant ex omnibus agris, &c.
Propterea visum nobis opus utile, totis
Felicis domibus pictura illudere sancta;
Si forte attonitas haec per spectacula mentes
Agrestum caperet fucata coloribus umbra,
Quae super exprimitur titulis, ut littera monstret,
Quod manus explicuit: dumque omnes picta vicissim
Ostendunt releguntque sibi, vel tardius escae
Sunt memores, dum grata oculis ieiunia pascunt;
Atque ita se melior stupefactis inserat usus,
Dum fallit pictura famem: sanctasque legenti
Historias, castorum operum subrepit honestas
Exemplis inducta piis, &c.

Improbat eodem tempore *Paullinus* abusum, quo Christiani in templis epulis & compotationibus noctes diesque trahebant. Pictura Christiana occurrit in Inscriptione apud *Gruterum pag.* MCLXIV. 6.

Antistes Damasus picturae ornarat honore
Tecta, quibus nunc dant pulcra metalla decus &c.

CLXII. PIGMENTARII sunt, qui divendunt pigmenta, idest, colores Pictorum; item tus, aliaque aromata, atque unguenta. Quum apud Christianos aromatum, atque unguentorum, ad mortuos sepeliendos maximus usus fuerit; quumque viderimus pariter Pictores inter eos floruisse; admodum

cre-

credibile est, & qui colores, & qui aromata & unguenta venderent, inter eos exstitisse. Christus in sepulcro nonnisi aromatibus conditus depositus est. *Ioannes Cap. XIX. Venit autem & Nicodemus, qui venerat ad Iesum nocte primum, ferens mixturam myrrhae & aloes, quasi libras centum. Acceperunt ergo corpus Iesu, & ligaverunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Iudaeis sepelire.* Huc adlusit *Iesus*, ubi in domo *Simonis Leprosi*, quum accessisset ad eum mulier habens alabastrum unguenti pretiosi, & effudisset super caput ipsius recumbentis, dixit: *Mittens haec unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit*; ut tradit *Matthaeus Cap. XXVI.* & *Ioannes Cap. XI.* Si *Abdias* Babylonius fide dignus esset, compertum haberemus, S. *Andreae* Apostoli corpus a *Maximilla* Proconsulis uxore conditum aromatibus celebri in loco sepultum fuisse. Hinc illud *Tertulliani Apolog. Cap. XLII. Tura plane non emimus, si Arabiae queruntur, sciant Sabaei pluris & carioris suas merces Christianis sepeliendis profligari, quam Diis fumigandis.* Libro autem *De Idololatria* de aromatis loquens: *Etiam hominibus ad pigmenta medicinalia, nobis quoque insuper ad solatia sepulturae, usui sunt.* Eadem plane docet *Minutius Felix* in *Octavio* inducens *Caecilium* illud Christianis obiicientem: *Reservatis unguenta funeribus. Firmicus De Errore profan. Relig. Unguentum reserva mortuis, reserva morituris.* Myropolarum & Pigmentariorum mentionem facit *Clemens* Alexandrinus, cuius verba superius *pag.* 217. protulimus; nec usum unguentorum & odorum omnino in Christianis improbat, sed *Lib. II. Paedagog. Cap. VIII.* ita scribit: *Ceterum ne forte sicut vultures unguenta abhorreamus, aut sicut scarabaei, hos enim rosaceo unguento delibutos mori inquiunt, pauca quaedam ex his unguentis sunt eligenda feminis, quae virum minime, torpefaciant . . . . Quoniam autem voluptati nihil loci tribuimus, quae cum nullo usu, qui vitae conferat, coniuncta est, age hic quoque eas distinguamus, id quod est utile eligentes. Sunt enim suaves quidam odores, qui neque torporem afferunt, neque ad amores impellunt, neque impudicam coniunctionem, ac meretricium contubernium, redolent; sed sunt una cum temperantia salubres: ac cerebrum quidem alunt, quando male*

ad-

adfectum fueris, & ventriculum corroborent. Multum ergo abest ut non oporteat refrigerare floribus, quando quis vult nervos leves agilesque reddere. Non est enim usus eorum omnino ablegandus, sed ungento tamquam medicamento & auxilio utendum est, & ad vires languentes excitandas, & ad catarrhos, & ad refrigerationes, & ad fastidium, &c. S. *Paullinus Poem. XVIII.* de donariis D. *Felicis* tumulo oblatis agens canit:

> *Martyris hi tumulum studeant perfundere nardo,*
> *Et medicata pio referant unguenta sepulcro.*

At pigmenta luxui & impudicitiae inservientia damnat *Prudentius* in *Hamartigenia*:

> *Aut ideo spirant, mediaque ex arce cerebri*
> *Demittunt geminas sociata foramina nares,*
> *Vt bibat illecebras male conciliata voluptas,*
> *Quas pigmentato meretrix iacit improba crine?*

Hinc *Tertullianus Lib. II. De Cultu feminarum Cap. V.* declamat: *In illum* (Deum) *enim delinquunt, quae cutem medicaminibus urgent, genas rubore maculant, oculos fuligine porrigunt. Displicet nimirum illis plastica Dei . . . . . Quantum autem a vestris disciplinis & professionibus aliena sunt, quam indigna nomine Christiano, faciem fictam gestare, quibus simplicitas omnis indicitur? effigie mentiri, quibus lingua non licet? adpetere, quod datum non sit, quibus alieni abstinentia traditur? adulterium in specie exercere, quibus studium pudicitiae sit? Credite, benedictae: quomodo praecepta Dei custodietis, lineamenta eius in vobis non custodientes? Video quasdam capillum croco vertere. Pudet eas etiam nationis, quod non Germaniae atque Galliae sint procreatae: ita iam capillos transferunt: male ac pessime sibi auspicantur flammeo capite; & decorum putant, quod inquinant.* Similia occurrunt apud *Cyprianum*, *Hieronymum*, aliosque Patres, dum virgines instituunt, feminas monent, luxum improbant, pudicitiam simplicitatemque in Christianis mulieribus laudant. Quae vera sint Christianarum pigmenta do-

docet idem *Tertullianus Lib. I. Ad Vxorem* in fine: *Prodite vos*, inquit, *medicamentis & ornamentis exstructae Prophetarum & Apostolorum sumentes de simplicitate candorem, de pudicitia ruborem, depictae oculos verecundia, & os taciturnitate, inserentes in aures sermones Dei, adnectentes cervicibus iugum Christi, caput maritis subiicite, & satis ornatae eritis: manus lanis occupate, pedes domi figite, & plusquam in auro placebitis. Vestite vos serico probitatis, byssino sanctitatis, purpura pudicitiae. Taliter pigmentatae, Deum habebitis amatorem.* Vide PICTORES. VNGVENTARII.

CLXIII. PINCERNAE. *Ioannes Chrysostomus in Acta Apostolorum Homil. XLVI.* de Pincerna & Pellice *Neronis*, qui Christi consulta feliciter amplexi fuerant, ita scribit: *Dicitur* (Paullus) *salutasse Neronis Pocillatorem & Concubinam. Quanta putatis contra illum propter hoc dicta esse, sed non iuste? Nam si quidem ob lasciviam salutasset, vel ob mala opera, merito. Si autem ob vitam rectam, quare?* Vide Pincernas nobiles, sanctas feminas *Paullam* & *Eustochium* superius *pag.* 259. & POCILLATORES.

CLXIV. PISCATORES. De Apostolis Piscatoribus, consule, quae passim dissertavimus, superius *pag.* 60. 61. 62. 64. 65. 66. 77. 78. 79. 81. Si *Simeoni Metaphrastae* apud *Surium Tomo II.* fides habenda est, *Paphnutius* Martyr LXXXIV. Piscatores, qui cibos mensae Praesidis comparabant, praemisit ad Christum. S. *Hieronymus* superius *pag.* 189. vult a Monachis texi lina capiendis piscibus; sed antea *Clemens* Alexandrinus *Lib. III. Paedagogi Cap. X.* suasit piscationem, qualem *Petrus* exercebat, si nobis otium a disciplinis superfuerit. S. *Paullinus Poem. II.* se piscatione delectatum fuisse ostendit: *Cassiodorus Lib. XII. Epist. IV.* regalium conviviorum ex piscatu luxum exaggerat. *In principali convivio hoc profecto decet exquiri, quod visum debeat admirari. Destinet Carpam Danubius, a Rheno veniat Anchorago, Exormiston Sicilia quibuslibet laboribus offerat, Brutiorum mare dulces mittat Acernias, sapori pisces de diversis finibus adferantur.*

CLXV. PISTORES. Homines Plautinae prosapiae, hoc est, Pistores, dictos fuisse contumeliosa adpellatione Christianos,

ex

ex *Minucio Felice* adnotavimus opportune superius *pag.* 87. cuius verba ex persona *Caecilii* sunt: *Et quid ad haec, ait, audet Octavius, homo Plautinae prosapiae, ut Pistorum praecipuus, ita postremus Philosophorum?* Et de hoc nomine late agunt *Joseph. Binghamus lib. I. Orig. Ecclesiast. Cap. II. §. XII.* & *Thom. Maria Mamachius Lib. I. Origin. & Antiquit. Christianarum Cap. II. §. XV. pag.* 90. Pistricum feminarum mentio occurrit apud *D. Lucam Cap. XVII. vers.* 35. Δύο ἔσονται ἀλήθουσαι ἐπὶ τὸ αὐτὸ, ἡ μία παραληφθήσεται καὶ ἡ ἑτέρα ἀφεθήσεται. *Duae erunt molentes in unum: una adsumetur, & altera relinquetur:* quae verba vaticinium esse videntur, quo Christianos quosdam olim in pistrino molentes versaturos esse praenuntiatum sit. *Clemens* Alexandrinus *Lib. III. Paedagog. Cap. X.* Ἔτι δὲ αὐτουργικῶς προσκομίζειν χρὴ ἐκ τοῦ ταμιείου τὰς γυναῖκας, ὧν δεόμεθα· καὶ τῷ μύλῳ προσελθεῖν οὐκ αἰσχρὸν αὐταῖς. *Praeterea autem ipsas per se uxores oportet ex penu ferre ea, quibus opus habemus: & neque eis ad pistrinum aut molendinum accedere turpe est &c.* Pistorum artificium distincte exposuit S. *Zeno* superius *pag.* 281. ubi de *Furnariis* egimus; & Monachos Pistores habes pariter supra *pag.* 237. De iisdem agit *Severus Sulpitius Dialog. I. Cap. II.* Anachoretam molam manu vertentem describens; Pistores bellariorum venditores occurrunt apud *Palladium Histor. Laus. Cap. VIII.* ubi de iis, qui in Nitriae monte sunt, agit; scribit enim: Περισπῶσιν αὐτὸν λοιπὸν ἐν ἔργοις, ἢ ἐν κήπῳ, ἢ ἐν ἀρτοκοπείῳ, ἢ ἐν μαγειρείῳ . . . . . . ἐν τούτῳ τῷ ὄρει καὶ ἰατροὶ διάγουσι, καὶ πλακουντάριοι. χρῶνται δὲ καὶ οἴνῳ, καὶ πιπράσκεται οἶνος. Πάντες δὲ οὗτοι ὀθόνιον ἐργάζονται ταῖς χερσὶν ἑαυτῶν, ὡς εἶναι τοὺς πάντας ἀνενδεεῖς. *Deinceps occupant eum* (hospitem) *in operibus aut in horto, aut in pistrino, aut in coquina . . . . In hoc monte degunt etiam Medici, & Placentarii. Vinuntur etiam vino, & vinum illic venditur. Hi autem omnes suis manibus faciunt vestem lineam, adeo ut sint omnes minime egentes.* Sequioris aevi est Inscriptio Ravennae, quam in *Ephemeridibus litterar. Ann. MDCCL. col.* 685. proculi.

HIC REQVIESCIT IN PACE FLORENTIVS
PATER PISTORVM REGIS THEODORICI
QVI VIXIT ANN P · L · M · LXXII DEPOSITVS
EST SVB D · NON · OCT IND · V · SEPTIENS
P · C · BASILII IVN · V · C · ET CONIVX EIVS
DOMINICA RI QVAE VIXIT ANN · P · L · M ·
LXVIII · IND · III · DEPOSITA EST SVB D · XIX KAL ·
OCT · IND · III SECVN · P · C · D · N · IVSTINI
PP · AVG · A · III SIMVLQ · ET FILIVS
EORVM APOLLENARIS CANCELL · PRE
LONGINI · QVI VIXIT ANN · P · L · M · XXXV ·
DEPOSITVS EST SVB D · VI · ID · IVN · IND · VIII
P · C · SECVNDO D · N · IVSTINI PP · AVG
ANNO VIII ·

Pater Pistorum forte dictus est *Florentius* ille, quod Pistorum Regis *Theodorici* Praefectus esset; Pater enim praefecturae interdum nomen est, ut superius in OECONOMI videre est: nec Monachi Praefectum & Antistitem suum aliter vocant; *Abbatem* videlicet. Sed quum Pistorum nomine, tam qui molas versant, & frumenta pinsunt, quam A'*proxenel Panifici* Panicoctarii, & Fumarii, panes conficientes, intelligantur, haud abs re esse existimaverim, de forma & figura panum apud Christianos aliquid innuere. Panes variis figuris & caelaturis insignes diversisque formis faciebant antiqui, ut ex *Varrone*, *Plinio*, & *Martiale*, perspectum & exploratum habemus; & de hoc consulendus *Ioannes a Wover* in *Adnotationibus ad Minutium Felicem*. Communior autem & vulgatior figura in panibus talis erat, ut decussati adparerent; quadrifida enim incisione signabantur, quae partes decussatim incisae quadrae dicebantur, ut pluribus explicat & illustrat *Paulus Aringhius Lib. VI. Romae subterraneae Cap. IX. pag.* 532. Huiusmodi autem panum figuram decussatam exhibent antiqua Monumenta apud laudatum *Aringhium* eiusdem operis *Lib. II. Cap. X.*

X. pag. 331. *Lib. III. Cap. III. pag.* 423. 429. *Cap. XXII. pag.* 553. 589. 613. 615. *Lib. IV. Cap. XXV. pag.* 159. 161. *Cap. XXXVII. pag.* 249. 267. Hinc non mirum si *Plinius* scripserit, Christianos coire solitos ad capiendum cibum *promiscuum & innoxium*, cuius locus productus est superius *pag.* 149. Attamen Christianorum convivia apud Ethnicorum vulgus passim infamabantur, quasi farinae massam mactati pueri sanguine forte conspergerent, panesque inde efficerent; aut certe panes cruore illo tinguerent, quo respiciunt illa *Tertulliani Apologetici Cap. XL. Nam & coenulas nostras praeter quam sceleris infames, ut prodigas suggillatis.* Et *Cap. VI. Dicimur sceleratissimi de sacramento infanticidii & pabulo, inde & post convivium incesto.* *Libro* autem *II. ad Uxorem* de pane Eucharistiae agens, & coniugium cum Gentili in Christiana femina improbans, scribit: *Non sciet maritus quid secreto ante omnem cibum gustes? & si sciverit panem, non illum esse credat, qui dicitur?* idest, quem vulgus infamat. Calumnia igitur manifestaria fuit, panem sanguinis turulenta satiatum Christianos in suis mysteriis comedisse. At si haec calumnia impia & blasphema est; illud quidem verum & perspectissimum habemus, panem, quo Eucharistia conficiebatur, saltem tractu temporis, a communi & usitato aliquatenus diversum fuisse, seu modum componendi, seu nitorem & munditiem, seu figuram eius formamque respiciens, de quo consule *Io. Mabillonium Dissertat. De Pane Eucharistico azymo & fermentato*, in cuius calce subiicitur *Revelatio Ildefonsi Episcopi*, in qua species variae formaeque Eucharistici panis exhibentur; & *Ioannem Bonam Rerum Liturgic. Lib. I. Cap. XXIII. §. XIIX.* & *XIX.*

CLXVI. PLACENTARII. Vide superius *pag.* 321.

CLXVII. PLASTAE. Vide superius *pag.* 179.

CLXVIII. POCILLATORES. Vide superius *pag.* 217. & PINCERNAE. *Clemens* Alexandrinus *Lib. III. Paedag. Cap. VII.* Ποῖ δὲ τοὺς οἰνοχόους τοὺς τοσούτους συναγείρουσι, μιᾷ κύλικι πληρωθῆναι δυνάμενοι. *Quorsum ergo tot Pocillatores congregant, quum calice uno possint impleri?*

CLXIX. POLLINCTORES. Vide superius *pag.* 178. & PIGMENTARII.

CLXX. PRAETORIANI. *Thom. Mar. Mamachius Tom. II. Orig. & Antiquit. Christianar. Lib. II. Cap. XXI. §. IV.* multa de Praetorianis Christianis disserit. Vide AVLICI. MILITES. PROTECTORES.

CLXXI. PROCVRATORES. Vide superius *pag.* 145. 192. 221. 239. *Lucas Cap. VIII. vers.* 3. scriptum reliquit, *Ioannam* uxorem *Chusae* Procuratoris *Herodis*, unam ex multis illis mulieribus fuisse, quae *Christum* sequebantur, ministrabantque ei de facultatibus suis. Quare heinc fortasse coniicere est, & ipsum *Chusam* a Christi doctrina non abhorruisse, & in eadem, atque uxorem, sententia fuisse. *Acta Martyrum* apud *Ruinartum* varios Procuratores nobis subgerunt, nam in *Actis S. Bonifatii* ubi de *Aglaide* sermo est, legitur: *αὕτη δὲ τρίτον κάνδιδα ἔπραξεν ἐν τῇ Ῥώμῃ, καὶ ἐπαρχόντων. ἔχουσα ὑφ' ἑαυτὴν ἑβδομήκοντα τρεῖς φροντιστὰς εἰς τὸν οἶκον αὐτῆς, καὶ ἕνα μείζονα ἐπάνω αὐτῶν, ὀνόματι Βονιφάτιον κ. τ. λ. Haec ergo ter candidam egerat apud Vrbem Romam ex Praefectura habens sub se septuaginta & tres Procuratores, qui curas agebant in possessionibus eius; & unum maiorem, qui erat super omnes, nomine Bonifatium, &c. Ischyrion* mercede conductus Procurator cuiusdam magistratum gerentis occurrit apud *Eusebium Lib. VI. Hist. Eccles. Cap. XXXXII.* & *Lib. VII. Cap. XXXII.* idem Historicus narrat, *Dorotheum* Antiochenae Ecclesiae Presbyterum, quo de etiam superius *pag.* 261. egi, ab Imperatore, qui eius eruditionem eximiam admirabatur, in familiaritatem suam adscitum fuisse, & Baphii purpurarii, quod est apud Tyrum, Procuratorem constitutum. *Libro* autem *VIII.* eiusdem operis *Cap. IX.* memoriae prodidit, *Philoromum*, qui non vulgarem magistratum, Procuratoris scilicet summae rei, apud Alexandriam gerebat, pro Christo securi percussum fuisse; & heinc corrigendum, quod de eo superius *pag.* 298. subindicavimus, eum scilicet fortasse Tribunum fuisse; quum hic error ex *Rufini* minus iusta interpretatione in Martyrologiis ortus sit. Vide ACTORES, ubi adde Inscriptionem insequentem apud *Reinesium pag.* 1005. *CCCCLI.*

LA-

LACERIIS FAVSTINAE PAVLINAE
SATVRNINAE SORORIBVS SANCTIS
IANVARIVS LVCILLA AVG·N
ACTOR TVMVLVM INFRA MON
MENTVM SVPER SACROPHAGA
EARVM MASSAE AEDIFICAVIT VS
QVE AD CVMVLVM BEN·MERENTI
BVS SANCTISSIMIS SVO
IMPENDIO FECIT

De Actoribus autem huiusmodi & Procuratoribus multa habet S. *Gregorius Magnus Lib. II. Epist. XLIV.*

CLXXII. PROMICONDI. Vide superius *pag.* 237. 321. & CELLARII.

CLXXIII. PROTECTORES. Sunt qui Principis latus personamque custodiunt ac tuentur milites, ut Armigeri, Praetoriani, δορυφόροι Graece. Inscriptio apud *Muratorium pag.* MCMIX. 5.

D·M
BONAE MEMORIAE
ET DOMVI MARTINIAN EX P
ROTECTORIBVS ETERNAM SEQVRITA
TEM CER MENDACIS QVIS IVSTVS
PIENTISSIMVS BENEMERITVS IN SE
QVLVM·ANVS MILITAVIT XLV·ET
VIVET ANN·N·LX·ET SPERO ME
VIVERE ADHVC ANVS N·LXXXXVIII·
MESES VI·DIES III·ET N·DE IN
ARCAE HIC SI QIS REMOVERE VOS
QERET AVT APERIRE AVT VELLET ALIVM
QVRPVS DAVIT INFESCV AVRI P·I·

Et *pag.* CCCLXXIV. 3.

BRVTT · AVRELIANAE · C · F ·
FILIAE MVSSOLAMI · PATRON · ET · ASTE
RIAE · C · F · NEPOTI MARCELLIN · EX COMIT
ET · MARINAE · ET · GALLICANI · CONSS
ORDINARI · QVAE · VIXIT · ANN · XXXVII
MENS · X · DIES · XVIIII · OB · MERITA
HONESTATIS · ET · CONCORDIAE
CONIVGALIS FL VITALIS V · C · PROTEC
ET · NOTARIVS · VXORI · AMANTISSIMAE
ET · SI BI ·

CLXXIV. PSALTRIAE. Vide superius *pag.* 239. 247. & CANTRICES. FIDICINES.

CLXXV. PVBLICANI. Publicanos praecessuros in regnum Dei Pharisaeos vaticinatus est Christus, ut superius *pag.* 75. observabamus. *Matthaeus* Apostolus erat Publicanus, & sedebat in telonio, quum Iesus inde transiens eum vocavit, ut ipse memoriae prodidit *Cap. IX. vers.* 9. *& X. vers.* 3. Et paullo post contigit, ut Iesu discumbente in domo, multi Publicani & peccatores ad eum venirent, simulque discumberent; unde illa Pharisaeorum ad discipulos interrogatio: *Quare cum Publicanis & peccatoribus manducat Magister vester? Zachaeus* quoque Princeps Publicanorum & dives, quum *Iesum* vidisset, & ab eo vocatus fuisset, excepit illum in domo sua. Stans autem dixit ad Dominum: *Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus: & si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum. Ait Iesus ad eum: Quia hodie salus domui huic facta est*, ut tradit *Lucas Cap. XIX.* Animadvertendum autem est, licet tributorum exactio, & redemtio vectigalium, improbari omnino non possit, difficile tamen sine peccato exerceri posse, ut *Tillemontius Tom. I. Monum. Eccles. in Matthaeo* observat; & munus erat Iudaeis invisum & detestatum, qua-

re Publicanos iniquissimos, & peccatores pessimos, existimabant. *Tertullianus De Pudicitia Cap. VII.* Publicanos Ethnicos fuisse putat. *Si quis dubitat, Ethnicos fuisse Publicanos apud Iudaeam, usurpatam iampridem Pompeii manu atque Luculli, legat Deuteronomium: Non erit vectigal pendens ex filiis Israel. Nec tam exsecrabile esset nomen Publicanorum apud Dominum, nisi extraneum, vendentium ipsius coeli, & terrae, & maris, transitus. Peccatores autem quum adiungit Publicanis, non statim Iudaeos ostendit, etsi aliqui fuisse potuerunt. Sed unum genus Ethnicorum, alios ex officio peccatores, idest, Publicanos; alios ex natura, idest, non Publicanos, pariter ponendo distinxit.* Ipse quidem non repugnaverim, Publicanorum plerosque fuisse Ethnicos; Iudaeos nullos, numquam dixerim. Certe *Matthaeus* & *Zachaeus* Ebraei fuisse videntur; nec indicium ullum subpetit, *Iesum* in Apostolos & discipulos, aliquot ex Ethnicis elegisse. S. *Zeno Lib. I. Tract. XV.* Publicanas mulieres commemorat, quas quidam cum vi subiiciebant sibi, viliores se esse, quam illae sint, prodentes; quo nomine mulieres publicis vectigalibus exigendis, vel alii publico muneri obeundo, praepositas indicare videatur.

CLXXVI. PVELLAE, pro Ancillis & Comitibus, vide superius *pag.* 193. 194. 240. 249. 311. & ANCILLAE. COMITES. ORNATRICES.

CLXXVII. PVGILES. Vide superius *pag.* 229. 284. 285. & GYMNICI. PALAESTRITAE.

CLXXVIII. PVRPVRARII. De *Lydia* Philippensi purpurarum venditrice consule superius *pag.* 70. 91. De Tinctoribus Purpurariis late agit *Cassiodorus Lib. I. Variar. Epist. II.* Vide supra *pag.* 324.

CLXXIX. PYTHAVLAE. Vide superius *pag.* 245.

§. XV.

CLXXX. RVSTICI. Vide superius *pag.* 249. *Clemens* Alexandrinus *Lib. III. Paedag. Cap. X. Quod si etiam ligonem tractaverint, non est hic illiberalis & sordidus*

quae-

quaestus oeconomicus ad agricolam pertinentis exercitii. *Sidonius Apollinaris Lib. I. Epistol. VI. Eutropium* Rusticum nobilem & Senatorium ita adloquitur: *Et nunc, proh pudor! si relinquare inter bussequas rusticanos, subulcosque ronchantes. Quippe si aut campum stiva crement proscindas; aut prati floreas opes pandas curvus falce populeris, aut vineam palmite gravem cernuus rastris fossor invertas, tunc tibi est summa votorum beatitudo. Quin potius expergiscere, & ad maiora se pingus otio marcidus & innervis animus attollat. Non minus est tuorum natalium viro, personam suam excolere, quam villam. Ad extremum, quod tu tibi iuventutis exercitium adpellas, hoc est, otium veteranorum, in quorum manibus effoetis enses rubiginosi sero ligone mutantur. Esto, multiplicatis tibi spumabunt musta vinetis, innumeros quoque cumulos frugibus rupta congestis horrea dabunt, densum pecus gravidis uberibus in mulctram per antra olida caularum pingues tibi pastor includet, quo spectat tam faeculento patrimonium promovisse compendio? &c.* Vide AGRICOLAE. COLONI. FOSSORES. VINITORES.

§. XVI.

CLXXXI. SALTATORES. *Origenes Tom. X. in Matthaeum* figurate: *Herodiadis saltatio contraria erat sanctae saltationi, quam qui non saltant, iis exprobrabitur his verbis: Cantavimus vobis tibus, & non saltastis*. Vide superius *pag.* 229.

CLXXXII. SANNIONES. Vide superius *pag.* 282. GELASIANI.

CLXXXIII. SARCINATRICES. Sanctus *Cyprianus Epist. XXXIX. Abstinuimus communicatione Felicissimum, & Augendum, item Repostum de extorribus, & Paullam Sarcinatricem &c.* Sarcinatrices sunt mulieres, quae vestes suunt & reficiunt.

CLXXXIV. SARTORES. Vide superius *pag.* 237.

CLXXXV. SATELLITES. *Acta S. Apollonii* apud *Ruinartum* produnt. S. *Apollonium* Satellites, qui se sociosque vinctos ducebant, licet feroces & immanes, Christianae legis myste-

ſteriis initiaſſe ; quare Praefecti iuſſu univerſi in profundum maris demerſi ſunt, atque ita Chriſto illuſtre teſtimonium perhibuerunt. Vide APPARITORES. CARNIFICES. LICTORES. SPICVLATORES.

Si dia una occhiata al trionfo d' *Aureliano*, deſcritto da *Vopiſco*, e agli altri trionfi de' Romani, a noi da altri ſtorici rappreſentati. Ma ſe alcun titolo contumelioſo aveſſe a que' Liberti voluto dare *Giovenale* avendone tanti de propi, come *Furciferi*, *Verberones*, *Plagiarii*, &c. non ſarebbe ricorſo a l' improperiſſimo di *Cerdones*; non altrimenti di quello, che faceſſe *Plinio* nella *Epiſtola XXIX.* del *Libro VII.* nel favellare di *Pallante*. In quanto al ſecondo, non ſi ſa vedere, come a quegli ignobili *Domiziano*, dopo eſſerſi incrudelito contro le primarie perſone Romane, ſi potea rendere terribile, ſe non aveva già cominciato a ſpargere il ſangue di ſimil ſorta di gente; altrimente dal far morire ſolo le perſone illuſtri, ne veniva piuttoſto in conſeguenza, che gli ignobili ſi potean credere in ſicuro, poichè l' Imperadore non era ſe non ſitibondo di ſangue nobile. Ma la Storia non ci ſomminiſtra altri eſempi di perſone ignobili fatte morire da *Domiziano*, ſe non i Criſtiani; adunque di queſti ſi deono intendere i verſi di *Giovenale*. Ancora i Comentatori di queſto Poeta ſentirono, che *Domiziano* non ſi poteva eſſer reſo terribile agli ignobili e vili, ſe non con aver cominciato a incrudelire contro di eſſi: onde il *Lubino* laſciò ſcritto: *Sed poſtquam nemo nobilium reliquus fuit, & gladium in ignobile vulgus ſtringere coepit, occiſus eſt.* Giovanni *Britannico* poi così dice: *Dum fuerit in nobilitatem hunc & illum necando, nemo inventus eſt, qui eum interimeret; ſed poſtquam coepit ſanguine plebeio manus ſuas contaminare, ſtatim inventus eſt interemtor.* Se queſti dotti uomini aveſſero voluto eſemplificare quanto hanno ſcritto, non potevano riportare ſe non la perſecuzione de' Criſtiani, ed aſſerire quello, che ha detto il *Tillemont*, lo, lei. Nè mi ſi opponga, che narrando *Suetonio*, e *Dione*, la morte di *Flavio Clemente*, e d' *Acilio Glabrione*, e di

Velarii igitur sunt, non tam qui vela texunt, quam qui iis praesunt.

CCXXI. VENATORES. Vide superius pag. 206. 228. *Sidonius Apollinaris Lib. IV. Epistol. IX.* de *Vectio* agens scribit: *Illa lectura, quod ipse, quem loquimur, in Equis, Canibus, Accipitribus, instituendis, spectandis, circumferendis, nulli secundus .... Ferarum carnibus abstinet, cursibus acquiescit: itaque occulte delicateque religiosus venatu utitur, nec utitur venatione.* Et *Lib. VIII. Epist. VI.* ad *Namatium*: *Ceterum ut tibi de Venatoris officio quam minimum blandiaris, maxime iniungo. Namque Apros frustra in venabula vocas, quos Canibus misericordissimis, quibus abundas, & quidem solus, movere potius, quam commovere, consuesti. Esto, sit indulgentia dignum, quod reformidant catuli tui bestiis appropinquare terribilibus corpulentisque: illud ignoro quomodo excuses, quod Capreas prius sinum, pariter & Damas in fugam pronas, iacentibus animis, pectoribus erectis, passibus raris, crebris latratibus, prosequuntur. Quapropter de reliquo fruticosas vestibus cassibusque scrupeas rupes, atque opacandis habilia lustris clausa saltuosa nemo-*

ra

e di Scribonio, e siccome lo fu la sposa delle due *Domitille*, quali benchè Cristiani, secondo i miei principj, e per altre ragioni, non si potevano chiamare Cortegiani. Imperciocchè bisogna osservare, che *Giovenale* da quel titolo a' Cristiani [illegible] avendo riguardo alla maggior moltitudine, che era composta di poveri, e di [illegible] e confondendo con più alcuni pochi [illegible] e potenti, come potevano essere altri Aulici, [illegible] siccome è solito [illegible] sempre dal maggior numero. In quanto al terzo, è cosa certissima, per testimonianza di *Svetonio*, che i congiurati contro la vita di *Domiziano* non furono solamente que' quattro indicati, ma vi erano molti altri, e tutti de' primari Amici di lui, e la sua moglie medesima; alle quali persone non può mai convenire nè anche la bassa imputazione il nome di *Cortegiani*. Ecco le parole dello Storico Latino: *Per haec terrore commotus & suspectus, tandem oppressus est Amicorum, Libertorumque intimorum, conspiratione simul & uxoris*. Per quello poi che riguarda il quarto capo, non è allegabile alcun motivo per cui *Clodiano* Cornicolario, *Massimo* Liberto di *Partenio*, e *Saturio* Decurione de' Cubiculari, e molto meno gli Amici di Cesare, e la sua moglie, dovessero stimare [illegible] che prima terribile anche a loro l'Imperadore, non si sapendo che di alcuna cosa fossero rei, sì non che *Stefano* era reo *intercepterum pecuniarum*, ma per l'amministrazione de' beni di *Domitilla*, come osserva il *Tillemont*; onde era reo de' giudizj ordinarj, i quali non bisognava [illegible] l'Imperadore. Furono dunque i motivi d'ucciderlo altri in costoro da quelli, che pensa il P. *Zaccaria*; e però il *timendus* di *Giovenale*, che corrisponde al *terribilis* di *Svetonio*, dee dirsi de' Cristiani perseguitati, e [illegible] dee essere stata [illegible] di vedere fuori i servi e l'Imperadore a persone amate e [illegible] de' congiurati; perchè fino da' tempi di *Nerone* nel Palazzo Imperiale erano parecchi Cristiani, che pe' loro buoni costumi dagli altri Aulici, benchè Gentili, erano [illegible] amati, e graditi. E qui è da osservarsi la vera cagione, perchè da costoro, che forse [illegible] Romani [illegible] di quei della Corte [illegible] la morte dell' Imperadore [illegible]

ra circumvenit; ac pudor si quis, temperas cursibus apertis quaerere campos, & insidiari Lepusculis Olarionensibus: quos nec es tantis vero te insectante superandos, copulis palam ductis inquietari: nisi forsitan dum tibi ac patri nostro Apollinaris intervenit; vectius fiet ut exerceantur. Cassiodorus Lib. V. Epist. XLII. ita pro *Theodorico* scribit. *Si Consularem munificentiam provocant, qui perunctis corporum flexibilitate luctantur: si organo cantantibus redditur vicissitudo praemiorum: si venit ad pretium delectabilis cantilena; quo munere Venator explendus est, qui ut spectantibus placeat, suis mortibus elaborat. Voluptatem praestat sanguine suo, & infelici sorte constrictus festinat populo placere, qui eum non optat evadere. Actus detestabilis, certamen infelix, cum feris velle contendere, quas fortiores se non dubitat invenire. Sola est ergo in fallendo praesumtio, unicum in deceptione solatium. Qui si feram non meretur effugere, interdum nec sepulturam potest invenire. Adhuc superstite homine perit corpus, & antequam cadaver efficiatur, truculenter absumitur. Captus esca fit hosti suo, & illum (proh dolor!) satiat, quem se perimere posse subsperat. Spectaculum tantum fabricis clarum, sed actione deterrimum, in honore Scythicae Dianae repertum, quae sanguinis effusione gaudebat .... Primus fragili ligno confisus currit ad*

ora

che gli Antichi, siccome erano malveduti de' Nobili, e come della loro gran potenza non si davano gran cura di vendicarne lo scempio: ma quando *Domiziano* rivolse il ferro contro i Cristiani, bisognò, che l'insanguinasse ancora colla morte di alcuni Amici, i quali erano Cristiani, onde gli altri di Palazzo si videro la tempesta vicina, e presero a sdegno lo scempio de' loro compagni ed amici, e si risolverono quindi d'uccidere l'Imperadore. Sicchè la sua morte, per tutti i versi, che si riguardi, fu una conseguenza della crudeltà usata da lui contro i Cristiani. Adunque c'è in la maggior probabilità, e verisimiglianza, d'ogni altra, la voce *Credenti* appresso *Giovenale* c'insinua i Cristiani, e non sussiste quanto in contrario discorre l'Istorico Letterario; e neppure quello, che osserva sul *coeperat*; perche dato anche, che la persecuzione fosse cominciata nel [illegible] e tenuto bene morto *Domiziano* nel Settembre del 96. non è, che lo spazio di [illegible] anni, o poco più, i quali comparati cogli altri dodici o tredici anni del suo Impero si possono dire un cominciamento, avuto ancora riguardo a quel più che avrebbe fatto se fosse campato; poichè cominciare non si dice solamente riguardo al tempo; ma ancora riguardo alla cosa, che deve eseguirsi, la quale sin tanto, che non è molto avanzata, si dice essere sempre sul cominciamento. Quindi è che anche gli Scrittori considerarono questa persecuzione come principiata solamente, onde *Tertulliano* nell'*Apologetico* la chiamò *tentatum*, un impresa che si cominciava, e un tentativo; e si accorda in ciò con *Giovenale*: *Tentaverat & Domitianus, portio Neronis de crudelitate; sed qua & homo facile coeptum repressit, &c.* Eusebio Cesariense pure nel Terzo Istoriale disse, che *Domiziano* [illegible], ovvero al nuovo la persecuzione; per denotare con quel tempo intercetto un semplice cominciamento. Perciocchè le sei [illegible] anni che vi sono stati, sol che la storia non comportava li suoi [illegible] altrimenti ec.

ora belluarum; & illud, quod cupit evadere, magno impetu videtur adpetere. Pari in se cursu festinat & praedator, & praeda; nec aliter tutus esse potest, nisi huic, quem vitare cupit, occurrerit. Tunc in aere saltu corporis elevato quasi vestes levissimae supinata membra iaciuntur, & quidam arcus corporeus supra belluam libratus, dum moras descendendi facit, sub ipso velocitate ferina discedit. Sic accidit, ut ille magis passa mitior videri, qui probatur illudi: alter angulis in quadrifario mundi distributione compositis, rotabili facilitate praesumens, non discedendo fugit, non se longius faciendo discedit, sequitur insequentem, poplitibus se reddens proximum, ut ora vitet Ursorum. ille in tenuem regulam ventre suspensus invitat exitiabilem feram: & nisi periclitatus fuerit, nil, unde vivere possit, acquirit: alter se gestabili muro cannarum contra saevissimum animal, Ericii exemplo, receptatus includit, qui subito in tergus suum refugiens, intra se collectus absconditur; & quum nusquam discesserit, eius corpusculum non videtur. Nam sicut ille veniente contrario revolutus in sphaeram naturalibus defensatur aculeis; sic iste consutili crate praecinctus, munitior redditur fragilitate cannarum: alii tribus, ut ita dixerim, dispositis ostiolis paratam in se rabiem provocare praesumunt: in patenti area cancellosis se postibus occulentes, modo facies, modo terga monstrantes; ut mirum sit evadere, quos ita respicis per Leonum ungues dentesque volitare: alter labenti rota feris obfertur: eadem alter erigitur, ut periculis auferatur. Vide AVCVPES. PISCATORES.

CCXXII. VEREDARII. Consule superius *pag.* 254.

CCXXIII. VERNAE. Vide SERVI.

CCXXIV. VESPILLONES. Consule superius *pag.* 318. 346. & POLLINCTORES. VELARII.

CCXXV. VESTIARII. Vide superius *pag.* 246.

CCXXVI. VIATORES. Vide superius *pag.* 254.

CCXXVII. VINITORES. Vide superius *pag.* 249. *Cassiodorus Lib. XII. Epistol. IV.* ita scribit: *Et ideo procuranda sunt vina, quae singulariter foecunda nutrit Italia: ne qui externa debemus adpetere, videamur propria non quaesisse. Comitis itaque Patrimonii relatione declaratum est, acinaticium, cui nomen ex acino est, enthecis aulicis fuisse tenuatum. Et quia*

cun-

cunctae dignitates invicem sibi debent necessaria ministrare, quae probantur ad rerum Dominos pertinere, ad possessores Veronenses, ubi eius rei cura praecipua est, vos iubemus accedere; quatenus accepto pretio competenti, nullus tardet vendere, quod Principali gratiae deberet offerre. Digna plane species, de qua se iactet Italia. Nam licet ingeniosa Graecia multifaria se diligentiae subtilitate commendet, & vina sua aut odoribus condiat aut marinis permistionibus insaporet: sub tanta tamen exquisitione reperitur simile nil habere. Hoc est enim merum & colore regium, & sapore praecipuum; ut blattam aut ipsius putes fontibus tingi, aut liquores eius a purpura credantur expressi. Dulcedo illic ineffabili suavitate sentitur: stypsis nescio qua firmitate roboratur: tactus eius densitate pinguescit; ut dicas esse aut carneum liquorem, aut edibilem potionem. Libet referre, quam singularis esse videatur eius collectio. Autumno lecta de vineis in pergulis domesticis uva resupina suspenditur, servatur in vasis suis, thecis naturalibus custoditur. Rigescit, non liquescit, ex senio: tunc fatuos humores exsudans, magna suavitate dulcescit. Trahitur ad mensem Decembrem, donec fluxum eius hiemis tempus aperiat; miroque modo incipit esse novum, quando cellis omnibus reperitur antiquum. Hiemale mustum, uvarum frigidus sanguis, in rigore vindemia, cruentus liquor, purpura potabilis, violeum nectar: defervet primum in origine sua; & cum penuerit adolescere, perpetuam incipit habere novitatem. Non calcibus iniuriose tunditur, nec aliqua sordium admistione fuscatur: sed quemadmodum decet, nobilitas tanta provocatur. Defluit, dum aqua durescit: foecunda est, quum omnis agrorum fructus abscedit. distillat gemmeis comparem liquorem: iucundum nescio quid illacrimat; & praeter quod eius delectat dulcedo, in adspectu singularis eius est pulcritudo. Hoc quantocius perquisitum, & competentibus pretiis adgregatum, Chartariis, qui in rem directi sunt, tradite deferendum. Nec illud negligendum putetis, quod lacteo poculo relucescit: quando plus est mirabile, quod potueritis difficilius invenire. Albedo ibi decora est, & serena puritas; ut illud de rosis, hoc credatur natum esse de liliis. Colore quidem extraneum, sed sapore germanum est. adspectus dispar, & similis in utroque suavitas. Nam quod acute sapit, quod cito resti-

reficit, commune illis intelligitur: sed magna est distantia, quae videtur. Istud intueris rubore laetum: illud conspicis candore festivum. Et ideo procuratio eorum debet esse celerrima: quando in ambobus esse cognoscitur, quod pariter exspectatur.

CCXXVIII. VNCTORES. Vide superius *pag.* 191.

CCXXIX. VNGVENTARII. Consule supra *pag.* 234. & PIGMENTARII.

CCXXX. VSTIARII. Inscriptio apud *Gruterum pag. MLXI.* 6.

HIC · QVIESCIT
VRSATIVS · VS
TIARIVS · QVI · VI
XIT · AN· LXVII· CVI
EXSVPERIVS · FI
LIVS · TETVLVM · POSVIT

Et apud *Muratorium pag. MDCCCCLX.* 10. qui aliter eam legit, modo scilicet insequenti:

HIC QVIESCIT VRSATIVS VSTLA
RIVS QVI VIXIT AN. LXVII. CVI ESV
PERIVS VSILLIVS TITVLVM POSVIT

Vstiarius, pro *Ostiarius*, sequiori aetate usurpabatur, ut apud *Cangium* videre est; quare corruptiorem existimo inscriptionem a *Muratorio* relatam.

§. XIX.


CCXXXI. XYSTICI. Consule superius *pag.* 228.

§. XX.

CCXXXII. ZAETARII. Vide supra DIAETARII & *pag.* 256.

CCXXXIII. ZONARII. *Palladius Histor. Lausiac. Cap. LXII.* tradit, *Ioannem* Abbatem cingula animalibus efficere solitum fuisse.


Atque haec quidem habui, quae de artibus & opificiis veterum Christianorum leviter delibata, & velut aliud agendo collecta, in medium proferrem. Multo plura, sive ad numerum, sive ad exempla respicias, dici ac disputari potuissent, uberiorque tractatio & locupletior haberi; sed mihi id propositum non fuit, cui subficit specimen quoddam praebuisse, & egisse limitem, quo ad ampliora & absolutiora praestanda alius progrederetur. Haud propterea inutilis & supervacaneus hic meus labor videatur, qui Ecclesiasticae Historiae studiosis tot nihilominus vetera Christiana monumenta, seu ab aliis non adnotata, seu ad certa capita non revocata, seu in perpetuam seriem minime digesta, seu secundum elementorum ordinem haudquaquam disposita, promta, obvia, expedita, obfert atque explicat. Sed iam tempus, ut e diverticulis in regiam viam, unde discessimus, redeamus, prius tamen eruditis lectoribus admonitis, me in Epistola, quam ad V. Cl. *Mamachium* scriptam superius protuli, oblitum fuisse praedicare; *Caesarem Baronium* Cardinalem doctissimum ad *Ann. LXXXXVIII. n. IX.* locum *Iuvenalis* controversum ita edisseruisse, ut *Tillemontius*, ego, *Mamachius*, exposuimus.



Non-

Nonnulli primitivorum Christianorum nobiles, & locupletes. (131)

CAPUT VI.



AT, quum superius de primigeniorum Christianorum humilitate, & obscuro genere, disseruimus, non ita isthuc ipsum demonstrare conati sumus, ut neminem prorsus inter eos nobilem & illustrem & locupletem fuisse pertenderimus; sed id tantum de plerisque adfirmavimus, ipso *Paullo* Apostolo praeeunte, qui *Epistol. I. ad Corinth. Cap. I.* ait, ὅτι οὐ πολλοὶ σοφοὶ κατὰ σάρκα, οὐ πολλοὶ δυνατοὶ, οὐ πολλοὶ εὐγενεῖς, ἀλλὰ τὰ μωρὰ τοῦ κόσμου ἐξελέξατο ὁ Θεός. *Quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quae stulta sunt mundi elegit Deus.* Ad quem locum *Ioannes Chrysostomus Homil. V.* ἵνα μὴ δόξῃ ἑαυτῷ περιπίπτειν, καὶ γὰρ τὸν Ἀνθύπατον ἔπεισε, καὶ τὸν Ἀρεοπαγίτην, καὶ τὸν Ἀπολλὼ, καὶ ἑτέρους δὲ οἴδαμεν σοφοὺς τῷ κηρύγματι προσελθόντας, οὐκ εἶπεν ὅτι οὐδεὶς σοφὸς, ἀλλ' οὐ πολλοὶ σοφοί. *Ne videretur sibi ipsi adversari, persuasit enim Proconsuli, & Areopagitae, & Apollo, & alios quoque vidimus accessisse ad praedicationem, non dixit, nullus sapiens, sed, non multi sapientes.* *Nicetas* Heracleensis ad eadem verba: καὶ πανταχοῦ τὸ πολλοὶ διὰ τοῦτο πρόσκειται. ὅτι ἦσάν τινες δυνατοὶ καὶ εὐγενεῖς πιστεύσαντες, κατὰ τὸ φαινόμενον, κατὰ τὸν παρόντα βίον, καὶ τὴν ἔξωθεν παίδευσιν. *Et ubique propterea illud* multi *adponitur, quia erant quidam potentes & nobiles, qui crediderant, secundum id quod adparet, secundum praesentem vitam, & externam eruditionem.* Et quidem *Ioannes* Evangelista *Cap. XII. vers. 42.* diserte scribit: *Verumtamen & ex Principibus multi crediderunt in eum: sed propter Pharisaeos non confitebantur, ut e Synagoga non eiicerentur.* Ex primariis videlicet viris Iudaeorum,

 qua-

(131) Si *Perhibitur* [illegible] in Caput III. huius operis [illegible] hoc Caput quinctum legisset, nunquam tam [illegible], & [illegible], supervacaneae verba, [illegible], quanta habentur in eius libello Cap. III.

qualis & illorum Sacerdotes nonnulli esse potuerunt, de quibus *Lucas Actor. Cap. VI. v. 7.* ait: *Multa etiam turba Sacerdotum obediebat fidei*; ad quem locum consulendus *Daniel Heinsius Exercitat. sacr. ad Novum Testamentum Cap. IV.* ubi rectius utriusque loci sensus examinatur; nam & inde, quosdam tantum fuisse nobiles & potentes, non multos, colligere est. Quare D. *Hieronymus Epist. XXVI.* scriptum reliquit: *Apostolus scribit ad Corinthios. Videte, fratres, vocationem vestram: quia non multi sapientes, non multi nobiles. Hoc nascentis Ecclesiae rudimenta poscebant, ut granum sinapis paullatim in arborem cresceret, ut sensim Evangelii fermentum totam Ecclesiae massam altius elevaret. Nostris temporibus Roma possidet, quod mundus ante nescivit. Tunc RARI sapientes, potentes, nobiles, Christiani: nunc multi Monachi sapientes, potentes, nobiles; quibus cunctis Pammachius meus sapientior, potentior, nobilior &c.* Huiusmodi etiam quosdam ex Corinthiis fuisse, colligit ex laudata *Paulli* Epistola memoratus *Nicetas*: & quidem *Crispus* & *Sosthenes*, cuius illic Apostolus meminit, Synagogae principes erant, adeoque & in aliqua dignitate, & non omnino ignobiles, de quibus in *Actor. Cap. XVIII. v. 17.* agitur; & *Cap. XXI.* eiusdem operis *Mnason* Cyprius antiquus discipulus locuples memoratur, de quo consulendus *Baronius ad Annum LVIII. n. CXVI.* atque Aethiopem Eunuchum, potentem *Candaces* Reginae Gazophylacem, *Philippus* undis lustralibus tinxit, & Christianum effecit, laudato *Luca Actor. Cap. VIII.* auctore. *Cornelius* Italicae cohortis Centurio, *Petro* instruente, Christianis mysteriis initiatus est, ut apud eumdem *Lucam Act. Cap. X.* legitur. Sed Christi sacra iam & doctrinam amplexi fuerant, viri duo nobiles, ut videtur, & locupletes, *Nicodemus* Iudaeorum princeps & doctor, & *Iosephus* ab Arimathia Decurio, ut *Ioannes Cap. III. & XIX.* memoriae prodidit. *Gamaliel* quoque Cristianam sapientiam inter Iudaeos profitebatur, & Pharisaeus erat, & Legisperitus, populoque omni venerabilis. Quid de *Ioanna*, *Chusae* Procuratoris *Herodis* uxore, dixerim, quae una cum aliis mulieribus Christum sequebatur, & de facultatibus suis alebat, ut tradit *Lucas Cap. VIII.* Quare *Tertullianus*, quasdam etiam mulieres divites Christo adhaesisse, dicit, atque ita *Lib.*

IV.

IV. *adversus Marcionem* scribit: *Divites Christo mulieres adhaerebant, quae & de facultatibus suis ministrabant ei, inter quas & uxor Regis Procuratoris*. Quin multa quoque turba Sacerdotum Iudaeorum postmodum Christianae religionis consultis inhaesit, ut in *Actis Apostolorum Cap. V. & VI.* litteris a *Luca* mandatum est. Et *Actor. Cap. XVII.* diserte tradit, quum *Paullus* & *Silas* Berrhoeam profecti fuissent, venisse in Synagogam Iudaeorum, qui *erant nobiliores eorum*, qui Thessalonicae essent, eosque verbum cum omni aviditate subscepisse. Verum vox illa *εὐγενέστεροι* ita a D. *Ioanne Chrysostomo Homil. XXXVII. in Acta Apostolorum* accipitur & exponitur, ut *humanissimos*, & *nihil mali facientes*, & *virtutibus & fide erga Deum praeditos*, significare intelligatur. *Oecumenius* quoque *ἐπιεικεστέρους* exponit, hoc est, *benigniores*; quem quidem significatum res, qua de agitur, omnino requirit. Nam, quum *Paullus* Thessalonicae esset, plerosque omnes Iudaeos crudeles ac ferocientes contra se expertus est, adeo ut ei opus fuerit ex illa urbe Berrhoeam una cum *Sila* profugere & evadere. Et quum Berrhoeam venissent, *εἰς τὴν συναγωγὴν τῶν ἰουδαίων ἀπῄεσαν. Οὗτοι δὲ ἦσαν εὐγενέστεροι τῶν ἐν Θεσσαλονίκῃ, οἵτινες ἐδέξαντο τὸν λόγον μετὰ πάσης προθυμίας, τὸ καθ' ἡμέραν ἀνακρίνοντες τὰς γραφὰς, εἰ ἔχοι ταῦτα οὕτως. In Synagogam Iudaeorum introierunt. Hi autem erant benigniores, Thessalonicensium, qui subsceperunt sermonem cum omni* promtitudine (si hoc vocabulo uti licet) seu *aviditate, quotidie scrutantes Scripturas, an haec ita se haberent*. Quae sunt ipsius *Lucae* ipsissima verba. Quid heic cum ignobilitate Iudaeorum Thessalonicensium, & nobilitate Berrhoensium? Illic agitur de Thessalonicensium incredulitate, & saevitia in *Paullum* & *Silam*. heic de adfectu, & animi dispositione contraria, Berrhoensium: ideo de eorum benignitate, & alacritate ad subscipiendam *Paulli* praedicationem, & ad mutuas atque *ἀπονήρως* cum eo agendum; adeoque *εὐγενέστεροι* heic non *nobiliores*, ut Interpres vulgatus vertit, significat, sed *aequiores*, *benigniores*, *humaniores*. *Εὐγενὴς* enim non tam nobilem, quam ingenuum, & benignum, & honestis moribus paeditum, denotat, apud optimos

G

Graecitatis auctores. Sed nobiles sine controversia fuerunt, seu saltem opulentae, illae mulieres Thessalonicenses, quae *Paullo* & *Silae* adhaeserunt, de quibus, antea Gentilibus, *Lucas* eodem *Cap. XVII. vers.* 4. loquitur, & quas γυναικῶν τῶν πρώτων οὐκ ὀλίγας dicit, *primariarum* videlicet, seu, ut Vulgatus habet, *nobilium mulierum non paucas*. Mulierum etiam illarum Berrhoensium, quas εὐσχήμονας idem *Lucas*, *vers.* 12. hoc est, *honestas* adpellat, & quae *Paullo* crediderunt, aliquae nobiles esse potuerunt. *Apollos* quoque Alexandrinus, ut iam ex *Chrysostomo* novimus, vir doctus & disertus, Iudaeus genere, Christianus effectus est, & novam persuasionem mirabiliter sua praedicatione propagavit, ut *Act. Cap. XVIII.* pariter traditur. Sed alium ne Alexandrinum Iudaeum, *Philonem* scilicet, commemorem, illustrem virum, atque Philosophum, qui an umquam cum *Petro* Apostolo Romae colloquia habuerit, dubitant Critici recentiores quidam, licet *Euseb. Caesariensis*, & *Hieronymus*, & *Photius*, & *Suidas*, id adfirmare memoriae prodiderint? Nam certe ille numquam Christianus fuit, etsi quibusdam accreditus, ut *Photio Cod. CV.* Et haec de Iudaeis nobilioribus ac potentioribus, qui Christianos ritus subscepere, dicta sunto; quibus merito Aethiopem Eunuchum, & *Cornelium* Centurionem, utpote proselytos accensuimus, quod quidem apud *Tillemontium* & *Calmetium*, videre est; & mulieres illas Thessalonicenses, ne narrationis connexionem dissolveremus.

Sed & inter illos, qui ex Gentibus ad Christi ritus convertebantur, paucos quosdam nobiles ac potentes prima illa aetate fuisse, satis constat; & *Paullus* Apostolus *Epistol. ad Philippenses Cap. IV. v.* 22. nonnullos, qui de familia Caesaris erant, Romae Evangelio credidisse, luculenter indicat illis verbis: Ἀσπάζονται ὑμᾶς πάντες οἱ ἅγιοι, μάλιστα δὲ οἱ ἐκ τῆς Καίσαρος οἰκίας. *Salutant vos omnes sancti; maxime autem qui de Caesaris domo sunt*. At incertum est, an hi inter primores essent, & muneris dignitate conspicui; quod forte non videatur, quum exempla exoleti, & concubinae *Neronis*, quae ex *Chrysostomo* superius attulimus, aliud persuadeant; licet & pincernam esse, & concubinam, Imperatoris, aliquid magnum fuerit: & certe divitiis, & potentia, atque auctoritate, multa pol-

possebant amici & liberti Imperatorum Romanorum, & illustri claraque stirpe interdum progeniti erant (132). Et verum fortasse est, quod *Car. Daubuz* in erudita *Dissertatione De testimonio Iosephi de Christo* opinatur, *Epaphroditum* videlicet, libertum *Neronis* carissimum, & qui adeo sub *Nerone* & *Domitiano* principibus potentia & auctoritate valuit, esse *Epaphram* illum, cuius *Paullus Epistol. ad Colossenses Cap. IV. ver.* 12. *& Epist. ad Philemonem* v. 23. mentionem facit; quod etiam *Abr. Berkelius* sibi persuaserat (133). Et *Ioannes Chrysostomus* quidem *Homil.* XXXII. in *Epistolam ad Romanos* putat, Apostolum, quum dixit Philippensibus, Salutant vos, qui sunt ex Caesaris familia, voluisse ostendere Evangelii praedicationem magnos etiam tetigisse; & profecto in *Epist. ad Roman. Cap. XVI. Paullus* ait: *Salutat vos Erastus*, Quaestor *Aerarii*, *seu Arcarius civitatis*, *& Quartus frater:* ubi dignitatem *Erasti* perspicue indicat, quod etiam laudatus *Chrysostomus* animadvertit. (134) Sed nec *Senecam*, virum doctum, & illustrem, & ditissimum, praeceptoremque *Neronis*, Christianae sapientiae mysteriis initiatum fuisse crediderim, quamquam inter Ecclesiasticos Scriptores locum ei tribuit *Hieronymus*: & quidam eo temeritatis devenerunt, ut LXX. Christi discipulis accensuerint. Nec refert, quod eius Epistolae ad *Paullum*, *Paullique* ad *Senecam*, olim circumferrentur, quum supposititiae probabiliter fuerint, aeque ac adulterinae sunt, quae sub iis nominibus, in omnium, & imperitorum praecipue, manibus hodie versantur; de quibus consulendus *Ioann. Albert. Fabricius* in *Apocryphis N. T.* (135). *Theophilus* tamen ille, cui *Lucas* Evangelium suum, & Acta Apostolorum, inscripsit, ex optimatum ordine fuisse, satis perspicue indicatur, ex titulo κράτιστε, quo eum divinus ille Scriptor insignit; huiusmodi enim viri honorifica illa adpellatione decorabantur, ut patet ex *Actor. Cap. XXIV. ver.* 3. *& Cap. XXVI.* v. 25. ubi *Paullus* Apostolus *Felicem* & *Festum* Iudaeae praesides κρατίστους adpellat. Sic Auctor Epistolae ad *Diognetum*, κράτιστε Διόγνητε, in ipso principio,

vir-

(132) Vide superius pag. 300.
(133) Vide Caput antecedens in AVLICI &c. pag. 341. 345. 346.
(134) Vide Caput antecedens in ARCARII.
(135) Consule superius pag. 319.

inquit; quem tamen ex ipsa Epistola Christi mysteriis initiatum non fuisse, liquido constat. *C. Baronius* ad annum XLIV. *Pudentem* quemdam Senatorem Romanum a *Petro* Apostolo Christianis dogmatis instructum fuisse, censet; sed licet per ea tempora *Pudens* quidam Christianus Romae esset, ut ex *Epist. II. ad Timoth. Cap. IV.* elucet, eum tamen senatoria dignitate fulsisse, nulla certa sunt monumenta quae doceant, ut *Tillemontius* in *Petro Art. XXIX.* animadvertit. Sed licet haec ita se habeant, tamen exploratae fidei est, *Sergium Paullum* Cypri Proconsulem, a *Paullo* Apostolo persuasum, Christianam sapientiam esse professum, *Luca Actor. Cap. XIII.* narrante. *Dionysius* quoque Areopagites, quin nobilis & eximius fuerit, non est dubitandum, quum nonnisi huiusmodi in senatum illum adlegerentur, quod *Io. Meursius* praecipue in suo *Areopago* demonstrat, & observat in hoc *Dionysio Tillemontius*. Quod si veteribus quibusdam, ut *Chrysostomo* & *Asterio*, fides habenda est, *Damaris* eius uxor erat, & ea quoque eamdem religionem amplexa est, ut *Actor. Cap. citato* traditur. Non tamen statim *Clementem*, *Petri* discipulum, & Romanum Antistitem, in Senatorum album miserim, quod *Eucherius* Lugdunensis Episcopus de eo scribat, Libro, cui *de Contemtu mundi* titulum fecit, eum vetusta a prosapia Senatorum, vel etiam ex stirpe Caesarum, prosatum fuisse, licet id confirmet *Nicephorus Callistus Lib. III. Histor. Eccles. Cap. XVIII.* quum nihil tale de eo antiquiores memoriae prodiderint. Siquid vero de *Thecla* virgine credendum est, ut quidem videtur, nobili orta est prosapia, atque domo illustri ac locuplete fuit, ut scriptor *Methodius* memoriae tradidit; & Christianos ritus a *Paullo* Apostolo edocta est, quod *Chrysostomus*, aliique, litteris mandaverunt, & ex eius Actis antiquis ab *Ernesto Grabio* editis eminet. Fortassis autem & *Pomponia Graecina*, *Auli Plautii*, qui ovans se de Britannis retulerat, uxor, quum a *Tacito*, *Lib. XIII. Annalium*, superstitionis externae rea dicatur, Christiana censenda videatur, primariae nobilitatis femina, de qua consulendus *Tillemontius* in *Persequutione Neronis*, & in *Nerone Art. V.* Et certe ita de ea loquitur *Tacitus*, ut Christianam matronam imprudens verborum coloribus pingar.

gat. *Pomponia Graecina*, inquit, *insignis femina, Plautio, qui ovans se de Britannis retulit, nupta, EXTERNAE religionis rea, mariti iudicio permissa. Isque prisco instituto propinquis coram de capite famaque coniugis cognovit, & insontem nuntiavit. Longa huic Pomponiae aetas, & CONTINVA TRISTITIA fuit: nam post Iuliam Drusi, non cultu nisi LVGVBRI, non animo nisi MOESTO, egit.* Flavius vero *Clemens, Domitiani* Imperatoris patruelis, ut *Suetonius* auctor est, cuius filii duo, quos ei *Flavia Domitilla*, ex *Domitiani* sorore orta, pepererat, Imperii successioni a *Domitiano* destinati fuerant, & Christianus erat, & hac de causa Martyr occubuit, statim post Consulatum, anno XCV. Cuius rei memoria non tantum apud *Dionem Cassium Lib. LXVII.* & *Brutium* apud *Eusebium in Chronico*, & ipsum *Eusebium Lib. III. Histor. Eccles. Cap. XVIII.* exstat; verum etiam certum & indubitatum monumentum Romae, nostra aetate, hoc est anno MDCCXXV. repertum est; sepulcrum videlicet & epitaphium, in quo Martyr diserte declaratur. Illud ita habet:

FLAVIVS : CLEM : MART
HIC : FELICIT : ÉTV
LEO · I · DOCT ·
XIS · CO · VI ·
AS · P · EG

Hoc V. Cl. *Ios. August. Vrsius* ita interpretatur: *Flavius Clemens Martyr hic feliciter est tumulatus, Leo Idibus Octobris Christo consecravi viro illustri Astyrio Patricio & Consule.* Quod si postremarum litterarum haec interpretatio minime placeat, substituendam eius loco hanc esse alteram putavit: *Christo consecravi Astyrio Protogene Consulibus*, ut tradit *Mamachius Tom. II. Orig. & Antiq. Christ. Lib. II.* in *Parergo Cap. VI. pag. 355.* Vxor quoque eius *Flavia Domitilla* in insulam Pandatariam in sinu Puteolano, eadem de causa relegata, longum ibidem martyrium fecit, non secus ac alia *Domitilla*, sororis *Clementis*

filia virgo, in Pontiam insulam, ob Christi fidem pariter deportata, *Eusebio* Caesariensi, & *Eusebio Hieronymo Epist. XXVII.* auctoribus locupletissimis, quod & antiqua Martyrologia confirmant. Sed & *Acilium Glabrionem*, qui cum *Traiano* Consul fuerat, impietatis, hoc est Christianismi, accusatum, supremo supplicio a *Domitiano* adfectum fuisse, tradit laudatus *Dio* seu *Xiphilinus* libro citato. (136) Mulierum autem Christianarum purpuratarum ditissimarumque mentio occurrit apud Sanctum *Irenaeum Lib. I. Advers. haeres. Cap. IX.* quae tamen erant *Marci* haeretici & impostoris sequaces; talesque erant illae *Montani* adseclae *Prisca* & *Priscilla*, ut *Hieronymus Epist. ad Ctesiphont.* auctor est. Hae quidem omnes *Hadriani* tempora attingere potuerunt; non aliter ac *M. Pompeius* ille, cui S. *Iustinus Dialogum cum Tryphone* inscripsit, & quem φίλτατον vocat, adeoque Cristianum fuisse indicat. *Nazarius* quoque, qui in *Neronis* persequutione pro Christo passus dicitur, illustri ac divite progenie ortus fuerat, ut Mediolanensis *Ambrosius* auctor est, si tamen Sermo *de S. Nazario & Celso*, non est potius *Ambrosio* abiudicandus, ut quidam censent; immo incertum quoque est, quando illi Martyres pro Christo ceciderint. (137) In dignitate etiam nonnulla *Gordianus* Martyr constitutus erat, cuius Epitaphium apud *Aringhium Lib. III. Romae Subterran. Cap. XXII. Mabillonium Itinere Italico*, *Boldettum Lib. I. Observat. in Coemeter. Cap. XLIV.* ita habet:

TEMPORE ADRIANI IMPERATORIS
MARIVS ADOLESCENS DVX MILITVM QVI
SATIS VIXIT DVM VITAM PRO CHRISTO
CVM SANGVINE CONSVMSIT IN PACE TANDEM
QVIEVIT BENEMERENTES CVM LACRYMIS
ET METV POSVERVNT ID. VI.

sub

(136) De his omnibus consule superius pag. 341. 342. 343. 345. 346.

(137) Consule *Sirmondum* super *Carmen XVIII. Ennodii Papiensis*.

Sub *Hadriano* quoque passa est in Vmbria Sancta *Sabina*, femina illustrissima, uxor *Valentini illustrissimae memoriae*, & filia *Herodis Metallarii cuiusdam, qui sub Vespasiano Augusto ter in urbe Roma candidam confessionem dedit Romanis*; ut habetur in eius *Passione* edita a *Steph. Baluzio Tom. II. Miscel.* qua de agit etiam *Tillemontius Tom. II. Monument. Eccles.* At non omittendi videntur duo Centuriones, qui forte ante alios recensendi fuerant, & mihi incauto memoria exciderunt: unus, de quo loquitur *Matthaeus Cap. VIII.* & *Lucas Cap. VII.*, qui ad Iesum accessit, & eius divinam virtutem adgnovit, & se indignum, qui tantum Prophetam exciperet, professus est, & quem commendavit Iesus dicens, se non invenisse tantam fidem in Israel; alter vero Centurio ille, qui una cum aliis militibus Iesum crucifixum custodiebat; viso enim terraemotu & his, quae fiebant, timuerunt valde dicentes: *Vere Filius Dei erat iste*, ut scribit *Matthaeus Cap. XXVII. vers. 54.* & : *Vere hic homo iustus erat*, ut habet *Lucas Cap. XXIII. v. 47.* Cur enim non credam, hunc Centurionem, qui ita *glorificavit Deum*; & illum, qui tanta animi demissione & tanta fiducia Christum rogavit pro pueri salute, Christi etiam dogmata & ritus amplexos non fuisse? *Chrysostomus Homil. LXXXIX. in Matthaeum* de secundo Centurione id adfirmate tradit; cur autem & de primo non idem ipse crediderim? Et in *Hadriano* quidem gradum sistam, quum ab eius aetate viri dignitate & ortu clari Christianos ritus amplexi crebrius inveniantur, ut ex *Libris Tertulliani*, *Apologetico*, *Ad Scapulam*, & *De cultu feminarum*, & *Lib. III. Origenis contra Celsum*, & *Eusebio Lib. IV. Histor. Eccles. Cap. XV.* aliisque antiquis monumentis, intelligimus. (138) Quod quidem non mi-

 rum,

(138) Si haec animadvertisset *Perchielius*, numquam *Serenam*, Christianam *Diocletiani Augusti* uxorem, in medium protulisset *pag. 63.* sui operis; non enim nobiles Christianos recensere in hac propositum, nisi usque ad *Hadriani* Imperatoris aetatem. Non debuit etiam *Perchielius* nobis *Serenam* illam audacter obtrudere, nam *Diocletiani* uxorem *Priscam* nominatam fuisse, certo novimus; an autem *Serena*, an *Alexandra*, an *Eleutheria*, appellaretur, res admodum incerta est, nec gravi auctoritate, nec firmo fundamento, ut *Tillemontius* observat, nixa. In incertissima Auctoris libelli *De Mortibus Persequutorum n. XV.* verba: *Furebat ergo Imperator iam non in domesticos tantum, sed in omnes, & primam omnium filiam Valeriam coniugemque Priscam sacrificio pollui coegit*. Ad quem locum consulendae sunt Adnotationes *Stephan. Baluzii*, *Serenae*, *Alexandrae*, & *Eleutheriae*, nomina fabulosa esse

rum, quum ipse *Hadrianus* aliquando erga Christianos aequior fuerit, & Christo ipsi templa passim excitare meditaretur. Audiamus *Lampridium*, quum de *Alexandro Severo* agit, ita loquentem: *Christo templum facere voluit, eumque inter Deos recipere, quod & Hadrianus cogitasse fertur, qui templa in omnibus civitatibus sine simulacris jusserat fieri: quae hodie idcirco, quia non habent numina, dicuntur Hadriani, quae ille ad hoc parasse dicebatur: sed prohibitus est ab iis, qui consulentes sacra, reppererant, omnes Christianos futuros, si id optato evenisset, & templa reliqua deserenda.* Quam autem benigna pro Christianis rescripta dederit, patet ex eius Epistola ad Commune Asiae scripta, quam *Iustinus* Martyr in *Apologia I.* refert. At perinsigne exemplum a me omissum in hoc capite nonnullis videatur, *Abgari* scilicet Edessae regis ad Christum *Thadaeo* exhor-

esse demonstratum. Non debent tamen [illegible] [illegible] [illegible] [illegible], nam cum [illegible] nobilem Christianitatem ei reddidit, *Priscam* scilicet Augustam, & filiam *Valeriam*, quae anno [illegible] CCXCII. *Maximiano Galerio* nupsit [illegible] Consule superius pag. 225. & Caput [illegible] vocis AVGVSTAE. At pejora [illegible] quae [illegible] pag. [illegible], nempe a Bartholomaeo Apostolo *Polymium* Armeniae Regem, coniugem ipsius, & duodecim civitates; ab Apostolo autem *Matthaeo* Aethiopiam, & eius Regem, Christianis mysteriis fuisse initiatos: ex apocryphis enim & fabulosis Historiis haec omnia desumta sunt. Quis autem ei dixit, sub Ioanne Evangelista Asiam Minorem universam almae Religionis splendore decoratam fuisse? Multos quidem in Asia illa a S. *Ioanne* ad Christianam legem amplexandam inductos fuisse [illegible] concesserim, quum ex Apocalypsi intelligam, in primariis Asiae urbibus Ecclesias constituisse; omnes autem, nemo mihi persuaserit. Quam futilis vero & instabilis est illa historiola, quae *Lazarum* & *Maximinum*, & *Mariam Magdalenam*, & *Martham*, in Provinciam Secundam adducit? Potentem vero Senatorem Romanum Petri Apostoli [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] *Lucae* [illegible] Nec [illegible] [illegible] in *Chronico*, & *Orosio Lib. VII. Cap. VI.* de *Helena* Adiabenorum Regina cum fratre filio Christianis ritibus initiata habet: nam falsum id esse, ex *Iosepho* pluribus demonstrant [illegible] in *Animadversionibus ad Eusebium* pag. 152. & *Wesselingius*, qui integro capite [illegible] fuisse Reginam *Helenam* cum filiis *Izate* & *Monobazo*, *Observat. Lib. I. Cap. IV* pag. 28. ostendit. Quid dicam quod pag. 81. falso iactat *Basilissam* & *Anastasiam*, quae sub Nerone principe passae dicuntur. [illegible] *Antiquae* [illegible] *Literarum Florentinae* anni MDCCXLIX. pag. 938. ubi haec *Porchetiana* omnia [illegible] videre est. [illegible] non tamen omnia probanda & commendanda sunt, quae Vir doctissimus *Thom. Maria Mamachius Tom. II. Orig. & Antiquit. Christ.* in *Parergo* [illegible] scribit, inter quae illud est: [illegible] *primo saeculo* [illegible] *tertio autem plurimas, in Ecclesia floruisse, qui nobilitate familiarum* [illegible]. Eius quoque verba sunt in [illegible] Admonitione. [illegible] *Porchetianus* [illegible], [illegible] *Ioannis Lami* [illegible] *doctissimo* [illegible] dat, quod non [illegible] *fuisse primo saeculo nobilium* [illegible], quantum *fabulas de Principe Abgaro cum Mara* [illegible], *de* [illegible] *Polymio Armeniae*, *de Primo Aethiopiae* [illegible] a *Matthaeo ad Christum* [illegible]. *Nam Porchetianus has omnes non* [illegible], *sed* [illegible] *adversus Lamium* [illegible]. *Nec hi* [illegible] *digni sunt, ad quos vir ille eruditissimus* [illegible] *animum adiungat.*

hortante conversio, quam late accurateque narrat *Euseb. Lib. I. Hist. Eccl. Cap. XIII.* & *Lib. II. Cap. I.* additque, eius etiam regionis incolas ad cultum venerationemque divinae Christi potentiae perductos fuisse. Id quidem in primis, fateor, adserendum fuisset, si minus hanc Historiam vehementer a Criticis agitatam & controversam vidissem. Quare in tanta opinionum discordia, *ἐπέχειν* cum dubitantibus malui, & lectores amandare ad eos, qui rem tractant & examinant, ut *Caveum*, *Scrrium*, *Tillemontium*, *Baronium*, *Dupinium*, *Nat. Alexandrum*, *Fabricium*, aliosque doctissimos & eruditissimos viros. Quod si superius *pag.* 82. hanc Historiam adlegavi, & ex ea *Thadaei* verba produxi, id feci tantum, ut quid antiqui de Christi humilitate senserint, amplius demonstrarem. Ceterum vel a priscis temporibus *Abgaros* aliquos insigni religione, ac pietate, floruisse, luculenter docet *Eusebius* laudatus in *Chronico ad Annum I. Macrini*. Quid dicam, quod Magorum, qui ex Oriente ad *Christum* adorandum venerunt, haud quaquam meminerim, quum vulgo Reges fuisse accreditum sit, & primitiae Cristianorum ex gentibus dici possint? Sed quum & hoc in sententiis sit, & *περιτεκόντων* adsensum praebere detrectent, ipse quoque illum substineam, & rem in medium relinquam. Attamen locupletes illustresque fuisse, vel trepidi & subspicacis *Herodis* ad eorum adventum commotio atque turbatio, vel ipsa munera, quae Deo infanti obtulerunt, abunde declaraverint. Interim duorum Scriptorum auctoritate fungar, ut Capiti huic Colophonem addam, & ut divites quosdam Christianos primitives fuisse prolixius adstruam; & quales divites Christiani illi fuerint, & omnes esse debeant, salubriter doceam. Prima sit *Hermae* praeceptum *Lib. III. Pastoris Similitud. I. Scitis vos, Domini servos, in peregrinatione morari? Civitas enim vestra longe est ab hac civitate. Si ergo scitis civitatem vestram, in qua habitaturi estis quid hic emitis agros, & adparatis lautitias & aedificia, & habitationes supervacuas? . . . . . . Pro agris ergo, quos emere volueritis, redimite animas de necessitatibus, prout quisque potest, & viduas absolvite, orphanis iudicate, & opes ac divitias vestras in huiusmodi operibus consumite. In hoc enim vos*

De-

Dominus locupletavit, ut huiusmodi ministeria expleatis. Altera D. *Augustini* Psalmum XCIII. enarrantis fuerit, & sanctos Christianos locupletes ac divites verborum coloribus depingentis. *Sunt autem & alii*, inquit, *qui opulenti sunt & honoribus secundum tempus humanis felicitantur: & tamen nec in pecunia sua spem ponunt, nec in fundis suis spem ponunt, nec in familia sua spem ponunt, nec in claritate transitoriae dignitatis; sed totam spem in illo ponunt, cui non succeditur, qui mori non potest, qui falli & fallere non potest. Tales etsi multa videntur habere secundum saeculum, bene tamen ea gubernant ad refectionem indigentium, & inter pauperes Domini numerantur*.




De

De Nobilitate, Dignitatibus, Muneribus, & Honoribus, aliorum Christianorum, qui primis Ecclesiae saeculis exstiterunt.

CAPUT VII.

DIGRESSIO TERTIA.



Niquiores in me profecto fuerunt Censores mei, dum questi sunt, (159) me primitivorum Christianorum nobilitatem, divitias, dignitates, honores, ita extenuasse, ut, etsi quosdam eiusmodi recensere Capite antecedenti susceperim, plerosque tamen, vel dedita opera, vel imprudenter, silentio praeterierim. Attamen ab iis modeste postulo, an ita me accusent atque sugillent, quod plerosque primi Ecclesiae saeculi, & secundi ineuntis, omiserim; an quod priorum quatuor saeculorum Christianos, ortu, opibus, dignitatibus, claros, quales multi profecto fuerunt, commemorare neglexerim? Si primum; vix locus querelae est; nam quum fere omnium, quorum notitia ad nos usque pervenit, mentionem fecerim, non video quae necessitas me adigeret ad paucos quosdam alios enumerandos, qui mentis aciem effugerint; quando nec mihi obest praeteritio, nec eorum recensio meis obtrectatoribus prodest. Etenim unus aut alter censui a me instituto additus, multos primitivorum Christianorum fuisse nobiles & locupletes non magis evincit. Adde, quod aliqui eorum, quos *Pecchiolius* enumeratos fuisse vellet, vel ne Christiani quidem fuerunt, vel sunt omnino fabulosi, ut superius *pag.* 363. 364. abunde ac perspicue demonstratum est. Si vero secundum, eorum fidem imploro, qui me iniusta vexant censura. Nonne meum propositum fuit, Christianos nobiles ac divites commemorare, quos aetas usque ad *Hadriani* principis tempora protracta mihi offerebat: unde illa disertissima verba: *Et in Hadriano gradum sistam, quum ab eius aetate viri dignitate & ortu clari Christianos ritus amplexi crebrius*

(159) *Thrasymachus Epistola II. pag. 11. & 12. Pecchiolius Tractat. Romanus. Peregr. Quaest. Cap. III. pag. 62. 66. 67. & Cap. V. 83. 84. 85.*

brius inveniantur? (140) Si igitur ad sequiorem aetatem descendere voluissem, non paucos illos adduxissem in medium, quos mei Censores obtrudunt, sed alios propemodum infinitos prolixa recensione percurrissem; quod in hac Digressione nunc exsequor. Nam post *Hadriani* tempora quamplurimos nobiles & illustres viros & feminas ad Christiana sacra amplectenda convolavisse, generatim testantur Auctores, quos Capite praecedenti laudavi, *Tertullianus*, *Origenes*, *Eusebius*, quibus addi possunt, quae in medium adduxi superius *pag.* 82. 86. 236. & quae sparsim *Capite V.* in antecessum protuli. *Prudentius* vero *Lib. I. contra Symmachum* ita canit:

Exsultare Patres videas, pulcerrima mundi
Lumina, conciliumque senum gestire Catonum
Candidiore toga, niveum pietatis amictum
Sumere, & exuvias deponere Pontificales.
Iamque ruit, paucis Tarpeia in rupe relictis,
Ad sincera virum penetralia Nazareorum,
Atque ad Apostolicos Evandria Curia fontes,
Amniadum suboles, & pignera clara Proborum.
Fertur enim ante alios generosus Anicius Urbis
Illustrasse caput. Sic se Roma inclyta iactat.
Quin & Olybriaci generisque & nominis heres,
Adiectus fastis, palmata insignis abaulla,
Martyris ante fores Bruti submittere fasces
Ambit, & Ausoniam Christo inclinare securim.
Non Paullinorum, non Bassorum, dubitavit
Prompta fides dare se Christo, stirpemque superbam
Gentis patriciae venturo attollere seclo.
Iam quid plebicolas percurram carmine Gracchos
Iure potestatis fultos, & in arce Senatus
Praecipuos, simulacra Deum iussisse revelli?
Cumque suis pariter Lictoribus omnipotenti

Sup-

(140) Consule superius pag. 363. 364. ubi plerisque *Pecchenii* criminationibus huiusmodi responsum fuit. *Thrasimachus Epist. II. pag.* 32. voluisset a me recenseri praeter Sanctas *Basilissam* & *Anastasiam*, S. *Irenem*, S. *Perpetuam* Romanam, SS. *Processum* & *Martinianum*; sed pace huius Auctoris dixerim, eorum acta mihi subdititia fidei videri, quare ex iis nec eorum nobilitatem, nec eorum certam aetatem, elicere est; & quod ad S. *Perpetuam*, subdicit quod *Nazarium* eius filium memoraverim.

Suppliciter Christo se consecrasse regendos?
Sexcentas numerare domos de sanguine prisco
Nobilium licet ad Christi signacula versas
Turpis ab Idolii vasto emersisse profundo, &c.

Et mox de Curia loquens, eiusque Sacelli nomine, quod Cella dicebatur, illam indicans ait:

Respice ad illustrem, lux est ubi publica, Cellam,
Vix pauca invenies gentilibus obsita nugis
Ingenia, obtritos aegre retinentia cultus,
Et quibus exactas placeat servare tenebras,
Splendentemque die medio non cernere solem.

Et profecto *Tertullianus* in *Apologetico*, cuius verba produxi superius *pag.* 178. scribit, etiam suo tempore Palatium, Senatum, Forum, Christianis hominibus plena fuisse. Eiusdem quoque sunt illa verba: *Obsessam vociferantur civitatem; in agris, in castellis, in insulis, Christianos; omnem sexum, aetatem, conditionem, etiam dignitatem, transgredi ad hoc nomen, &c.* Libro vero *Ad Scapulam* ita scribit: *Sed & clarissimas feminas, & clarissimos viros, Severus sciens huius sectae esse, non modo non laesit, verum & testimonio exornavit, & populo furenti in nos palam restitit.* Matronas autem, & egregios viros, inter Christianos enumerat *Valerianus* in suo Rescripto apud *Cyprianum*, cuius verba superius *pag.* 236. in medium attuli. Et ut ad quorumdam nobilium exempla deveniam, & *Simeonem* Ierosolymorum Episcopum, qui ex cognatione Domini erat, adeoque ex regio Davidis genere, de quo *Euseb. Lib. III. Histor. Ecclesf. Cap. XXXII.* quemadmodum & illos *Iudae* nepotes, de quibus superius *pag.* 102. loquutus sum, taciturnitate involvam, Sancta *Felicitas* illustris femina fuit, quae cum septem filiis sub *Antonino* Principe passa est. Sancti, *Alexander* natione Graecus, & *Epipodius* Lugdunensis civitatis indigena, clarissimis parentibus orti sunt, & sub *Antonino Vero* Imperatore martyrii palmam retulerunt. Sanctus *Symphorianus* Augustodunensis, qui sub *M. Aurelio* illustre Christo testimonium perhibuit, nobili

genere prolatus est. Talis etiam Sanctus *Apollonius* fuit, si minus Senator Romanus, qui sub *Commodo* martyrium fecit. Sancta *Perpetua* pro commartyribus suis ita Tribuno dixit: *Quid utique non permittis refrigerare noxiis nobilissimis, Caesaris scilicet, & natali eiusdem pugnaturis?* eaque sub *Severo* passa est. Illustres erant, & publicis honoribus insignes, de quibus *Dionysius* Alexandrinus in Epistola ad *Fabium* Antiochenum apud *Euseb. Lib. VI. Hist. Eccl. Cap. XLI.* loquitur, quique in *Valeriani* persequutione ad Ethnicorum castra defecerunt. Scribit enim: *Omnes certe mirum in modum exterriti sunt; ac multi quidem ex illustrioribus, prae metu, statim occurrerant. Alii qui remp. administrabant, ipsa actuum suorum necessitate pertracti veniebant, &c.* In *Passione Sancti Cypriani* ita legitur: *Conveniebant interim plures egregii & clarissimi ordinis & sanguinis, sed & saeculi nobilitate generosi, qui propter amicitiam eius (Cypriani) antiquam, secessum subinde suaderent: & ne parum esset unde suadela, etiam loca, in quae secederet, offerebant.* Nec mirum tales inter Christianos conspicuos dignitate fuisse; licet enim potestatibus & honoribus non inhiarent, tamen qui magistratus gerebant, aut munera obibant, si Christiani evadebant, officia illa non dimittebant; immo tandem etiam Christiani potestates sumebant. Atque ita intelligendus est locus *Minutii Felicis*, qui superius pag. 87. productus fuit. & paullo austerius *Tertullianus De Idololatria Cap. XVIII.* scribit: *Ceterum purpura vel cetera insignia dignitatum & potestatum, insertae dignitati & potestatibus Idololatriae ab initio dicata, habent profanationis suae maculam: quum praeterea ipsis etiam Idolis induantur praetextae, & trabeae, & laticlavi; fasces quoque, & virgae praeferantur; & merito: nam Daemonia magistratus sunt seculi: huius collegii insignia fasces & purpuras gestant. Quid ergo proficies, si suggestu quidem utaris, opera vero eius non administres. Nemo in immundis, mundus videri potest .... Si potestatis ius quoque nullum ne in suos quidem exercuit (Christus) quibus sordido ministerio functus est; si regem denique fieri, conscius sui regni refugit: plenissime dedit formam suis dirigendo omni fastigio & suggestu, quam dignitatis, quam potestatis. Quis enim magis*

iis usus fuisset, quam Dei filius? quales & quanti eum fasces producerent? qualis purpura de humeris eius floreret? quale aurum de capite radiaret? nisi gloriam seculi alienam & sibi & suis iudicasset? Igitur, quam noluit, reiecit; quam reiecit, damnavit; quam damnavit, in pompa Diaboli deputavit. Non enim damnasset, nisi non sua: alterius autem esse non possent, nisi Diaboli, quae Dei non sunt. Tu si Diaboli pompam eierasti, quicquid ex ea attigeris, id scias esse Idololatriam; vel hoc te commonefaciat, omnes huius seculi potestates & dignitates, non solum alienas, verum & inimicas Dei esse, quod per illas adversus Dei servos supplicia consulta sunt, per illas & poenae ad impios paratae irrogantur. Sed nativitas & substantia tua, molestae tibi sunt adversus Idololatriam. Ad evitandum remedia esse non possunt; quum etsi defuerint, superfit unicum illud, quod felicior factus non in terris magistratus, sed in coelis. Hactenus ille, qui in Apologetico scribere potuit, Caesares esse necessarios saeculo, verum Christianos non posse esse Caesares: falsa profecto omnia, & divinis litteris adversantia, & quae tantum probent, *Tertulliani* aetate paucos fuisse Christianos genere & dignitate spectabiles, non autem esse non potuisse. Hinc sub *Diocletiano* passi sunt *Vincentius* Levita Hispanus patre *Eutychio* progenitus, qui fuit *Agrestii* nobilissimi Consulis filius: *Andronicus* Ephesius de nobili genere, & primi ordinis Ephesiorum, natus: *Crispina* Africana, clarissima femina, nobilis genere, abundans divitiis: germine nobilis *Eulalia*, mortis & indole nobilior: *Iulitta*, & *Cyriacus* filius, primi Lycaoniae sanguinis flores: (141) quorum omnium historias apud *Ruinartum* legere est. *Eusebius* autem *Lib. V. Histor. Eccl. Cap. XXI.* ita scribit: *Eodem tempore, Commodo imperium Romanum obtinente, res quidem nostrae in tranquilliore statu versabantur, pace per Dei gratiam cunctas orbis terrarum Ecclesias complexa. Atque interim salutaris Dei sermo ex omni genere hominum quamplurimos ad religiosum summi numinis cultum pertrahebat: adeo ut multi ex iis, qui in urbe Roma genere atque opibus eminebant, simul cum universa domo ac familia salutem consequuturi accurrerent.* Ex *Lib. VIII.* eiusdem *Histor. Ecclesiast. Cap. XIV.*

Aaa 2 mu-

(141) Horum meminimus superius pag. 196

mulierem Christianam memorat, Alexandrinarum omnium nobilissimam & opulentissimam, quae effusam atque effraenatam *Maximini* libidinem virili quadam animi celsitudine devicit; aliamque Romanam, Praefecti Vrbis uxorem nobilissimam atque castissimam, quae, *Maxentio* tyranno sibi vim inferre parante, ne tanto flagitio pollueretur, gladium pectori immersit, & se ipsa exanimavit. Idem Historicus *Cap. IX.* martyria describit quorumdam, qui opibus, nobilitate, & dignitate, pollebant; & *Cap. XI.* scribit: *Certe urbem quamdam Christianorum in Phrygia milites armati obsidione cinxerunt; iniectoque igne totam una cum viris & mulieribus & parvulis Christum omnium Deum invocantibus concremarunt: hanc scilicet ob causam, quod universi eius urbis incolae, & Curator ipse, ac Magistratus cum Honoratis omnibus ac Plebeiis, Christianos se esse professi, sacrificare iubentibus nullo modo obtemperabant.* Si vero *Romanum Martyrologium* consulo, varia mihi exempla subpeditat; nam XIV. KL. Februar. Sanctos Martyres *Marium* & *Martham* coniuges, eorumque filios *Audifacem* & *Abachum*, nobiles Persas, tormenta & mortem passos mihi exhibet. VI. & V. KL. Septembres, *Rufum*, patriciae dignitatis virum, Episcopum, & Martyrem, a Beato *Apollinare* cum tota familia baptisatum; & Sanctum *Hermetem* virum illustrem, qui sub *Hadriano* martyrium fecisse perhibetur, commemorat. Nonis vero Octobris, Sanctos *Sergium* & *Bacchum*, nobiles Romanos, sub *Maximiano* Imperatore martyrii coronam consequutos legentibus offert; quorum quidem aliqui ad Caput praecedens pertinerent, si de eorum aetatis antiquitate vere constaret etiam aliunde, quam ex Martyrologiorum Auctoribus, & Actis sublestae fidei. Alios vero Christianos nobiles ex eodem *Martyrologio* inferius suis locis dabimus: interim *Theodulum*, *Capitonem*, *Metrodorum*, & *Philostorgium*, fratres ex familia Thessalonicensi illustri ortos, quorum Acta die IV. *Aprilis Bollandiani* legere est; Sanctam *Anastasiam*, quam *Praetextati*, ex Vrbis Romae primoribus, sed Ethnici, & *Flaviae* matronae Christianae, filiam fuisse ferunt; Sanctum *Asclam* nobilem virum Hermopoliten in Thebaide; quorum apud *Surium* historia exstat, silentio praeterire religioni duxerim: de quibus consulendus est etiam *Tillemontius Tom. V. Monum. Eccles.*

Post

Post *Constantini Magni* ad Christianum dogma transitum infinitam prope nobilium illustriumque virorum multitudinem Christianos ritus amplexatam reperire est, ut opera D. *Hieronymi*, *Augustini*, *Ambrosii*, *Paullini*, *Prudentii*, aliorumque Christianorum Scriptorum, qui quarto Ecclesiae saeculo floruerunt, legentibus patet. Sed priusquam ad recensendas dignitates Christianorum transgredior, lubet proferre antiquum Epigramma hominis Christiani opulenti, ut videtur, & lauti, quod apud *Reinesium pag.* 903. *num.* XXVI. habetur.

PER OMNIA LAVTVS INTER
AMICOS AVRELIVS TEODOLVS
QVI VIXIT ANNIS XXX
DIEBVS XX · HORA VII
DEFVNCTVS IIII · NONAS AVG ·
QVINT · FRAT · ET CELSILLA
COIVX · · · · · · · · · · · · · · · · · ·

§. I.

I. ADSESSORES COMITI LARGITIONVM. S. *Augustinus Lib. VI. Confessionum Cap. X.* de *Alypio* agens: *Romae adsidebat Comiti largitionum Italicarum*. Erant autem Adsessores Iudicum Consiliarii; quare subdit paullo post *Augustinus*: *Ipse autem Iudex, cui Consiliarius erat*. Ad *Hermogenem* quemdam Adsessorem scribit *Theodoretus* Epistolam apud *Baronium ad Ann.* 263. *num. XIV.*

II. ARCARII. Vide superius *pag.* 198.

III. ARCHISYNAGOGI. Tales erant *Crispus*, & *Sosthenes*, Corinthii, de quibus vide superius *pag.* 356. Sed silentio praetereundus non videtur Archisynagogus ille, *Iairus* nomine, cuius filiam mortuam in vitam Iesus revocavit, ut tradit *Marcus Cap. V.* Is enim, qui tantam in Iesu fiduciam ha-

habuit, ut eius virtute filiam suam reviviscere posse crediderit, nonne eius doctrinam quoque subsceperit, eique adhaeserit, ut Christianus probabiliter existimandus videatur?

IV. AREOPAGITAE. Talis erat *Dionysius* ille, de quo B. *Lucas* in *Actis*, & nos superius *pag.* 360.

V. ARMIGERI. Vide superius *pag.* 212.

VI. ASIARCHAE, quos Vulgatus Interpres *Asiae Principes* reddit, amici fuisse *Paulli* dicuntur a D. *Luca Actor. Cap. XIX. v.* 31. scribit enim: *Quidam autem & de Asiae Principibus, qui erant amici eius, miserunt ad eum rogantes, ne se daret in theatrum. τινὲς δὲ καὶ τῶν Ἀσιαρχῶν.* Non ideo tamen Christiani fuisse evincuntur; sed Gentiles eos putat *Lib. Fromondus. Alemon. Pecchiolius Cap. V. sui Tractatus Recent. & Peregr. Quaestionum* hos mihi obiicit, quasi Christiani habendi sint, ut nobilium Christianorum numerum augeat; sed animadvertere debuerat, hosce Asiarchas, fuisse Ethnicos Sacerdotes, qui agones & ludos moderabantur, & a diversis provinciis diversa nomina sortiebantur; quare & Cypriarchae & Syriarchae, & Phoeniciarchae, & Lyciarchae; & Cappadocarchia, & Bithynarchia, apud veteres Scriptores occurrunt. Hi igitur, qui ludis & muneribus praeerant, quum viderent *Paullum* se in theatrum dare volentem, in locum scilicet, qui eorum curae commissus erat, rogaverunt eum ne id faceret, quum amici, hoc est, erga eum benevoli, *αὐτῷ φίλοι*, non *αὐτοῦ*, essent, ut *Menochius* ipse observavit; nam *in Paullum bene animatos* exponit. Ita Interpretes *οἱ κατανοήσαντες*.

VII. AVGVSTAE, vel IMPERATORVM CONIVGES. Antequam *Helena*, *Constantii Chlori* uxor, & *Constantini Magni* mater, Christianis sacris initiata est, aliae quaedam *Augustae* vel Christianae fuisse videntur, vel erga Christianos benevolae, & adfectae quam optime. Nil de *Poppaea*, *Neronis* Augusti coniuge, dicam, quum minus probabiliter *Baronius* subspicetur, esse illam *Neronis* concubinam, quam a *Paullo* Apostolo ad Christiana consulta traductam fuisse, *D. Io. Chrysostomus* auctor est, & de qua superius *pag.* 98. 310. 358. egimus; & super hac re plura alia inferius voce IMPERATORES addemus. Nil quoque de *Domitia*, *Domitiani* Imperatoris uxore, loquar; quod

quod eatenus Christianis favit, quatenus viri mortem maturandam curavit, in Christianos crudeliter saevientis, ut *Lib. LXVII.* tradit *Dio*, & *Suetonius* in *Domitiano*, & consulendum est superius *pag.* 349. (142) *Flaviam* etiam *Domitillam* silentio involvam, licet enim *Domitiani* cognata esset, utpote sororis *Domitiani* filia, & *Vespasiani* neptis, tamen Augusta non erat, & multo minus alia *Domitilla* virgo; de quibus quaedam superius pariter delibavimus *pag.* 341. 345. 361. 362. At praetereundam non censeo Inscriptionem ad *Flaviam Domitillam* spectantem, quam *Gruterus pag.* CCXLV. exhibet, atque ita habet:

FLAVIA · DOMITILLA · FILIA · FLAVIAE · DOMITILLAE

IMP · CAES · vespasIANI · NEPTIS · FECIT · GLYCERAE · L · ET

LIBERTIS · LIBERTABVSQVE · POSTERISQVE · EORVM · CVRANTE

T · FLAVIO · ONESIMO · CONIVGI · BENEMER ·

Iam

(142) Sed quando de *Domitia* coniuge *Domitiani* mentionem heic iniici res postulaverit, in mentem venit illius Epistolae, quam ad virum celeberrimum *Thom. Mar. Mamachium* dedi, & superius *pag.* 337. & *seqq.* exhibui, in qua *Domitiae Augustae* saepius memini, dum verum versuum quorundam *Iuvenalis* sensum explico. Quum vero in *Ephemeridibus litterariis Florentinis* anni MDCCLI. num. 19. col. 287. additamentum quoddam ad illam Epistolam ediderim; ne aliquid ei in hac etiam editione desit, illud heic subdam, non intempestive quidem, ubi *Domitiani* mortem memorare opus fuit, de qua illis Satirici versibus agitur. Illud autem ita habet: P. S. *Dopo che ho avuto scritta la Lettera, nel rivolgere il primo Tomo degli Annali dell'Immortale Cesare Baronio per altro mio fine, mi sono imbattuto a vedere, che ad esso si deve meritamente la gloria d'avere indovinato il vero e genuino senso de' versi di* Giovenale, *sopra de' quali io ho piuttosto prolissamente, ma esattamente, ragionato. Egli è quello, che ha prevenuto tutti noi altri, nel discoprire nettamente, che quel* Cerdones *del Satirico riguarda i perseguitati Cristiani; ed è quegli, che fa maravigliare, che si trovi chi si maravigli, che sia data a' versi di* Giovenale *la spiegazione, la quale noi con tutto il fondamento ne diamo. Ecco per confusione de' Critici irragionevoli le parole di quel gran Cardinale all'anno 98. num. IX. Verum quum tam atrociter in Christianos persecutionis impetus ferretur, meruit* Domitianus, *ulciscente iam numine, tandem gladio tolli. Quod egregie* Iuvenalis *versibus cecinit, licet more Gentilium, ignominiae causa Christianos, perinde ac vilissimas personas, cerdones appellet, sic dicens:*

Atque utinam his potius nugis tota illa dedisset
Tempora saevitiae, claras quibus abstulit Urbi
Illustresque animas impune, & vindice nullo.
Sed periit, postquam cerdonibus esse timendus
Coeperat. Hoc nocuit Lamiarum caede madenti.

Haec ille, qui propter effusum Christianorum sanguinem Domitianum *fuisse necatum putavit; nam quum ait, tunc illum periisse, quum cerdonibus timendus esse coeperat, haud dubium, alludit ad necem ipsi illatam a* Stephano Flaviae Domitillae *Christianae feminae, quam in insulam ab eo relegatam, procurator; qui simulans se de coniurationis indicio illi offerre libellum; e brachio, quod ad collum adpressum, fractum manum fingens, dolose gestabat, educens gladium, atque percutiens, & fortiter agens, illum se defendentem confodit, atque necavit.*

Iam vero ad *Commodi*, seu Concubinam, seu Vxorem, *Marciam* transilio; constat enim ab Augusto illo ita esse adamatam, ut uxoris loco, licet obscuro genere ortam, haberet, & omnibus honoribus, Augustabus praestari solitis, eam prosequutus fuerit, nisi quod ei praeferri ignem aut accensas taedas non siverit: numos etiam eius imagine insignes percusserit. Sed audiamus *Xiphilinum* ita ex *Dione Lib. LXXII.* narrantem: *Μαρκία δέ τις Κουαδράτου τῶν νῦν φονευθέντων ἑνὸς παλλακὴ, καὶ Ἔκλεκτος πρόκοιτος, ὁ μὲν καὶ τοῦ Κομμόδου πρόκοιτος, ἡ δὲ παλλακὴ ἐγένετο, καὶ τοῦ Ἐκλέκτου μετὰ ταῦτα γυνὴ, ἐκείνου βιαίως ἀποθανόντος. ἱστορεῖται δὲ αὕτη πολλὰ ὑπὲρ τῶν Χριστιανῶν σπουδάσαι, καὶ πολλὰ αὐτοὺς εὐεργετῆσαι, ἅτε καὶ παρὰ τῷ Κομμόδῳ πᾶν δυναμένη. Marcia vero quaedam Quadrati, unius ex his, qui tunc interfecti sunt, Pellex, & Electus Cubicularius, qui quidem etiam Commodi Cubicularius, ea vero Pellex, fuit, & Electi postea Vxor, quum ille violenter mortuus esset. Hanc Christianorum admodum studiosam fuisse, & multa in eos beneficia contulisse, quum apud Commodum summae esset auctoritatis, memoriae proditum est.* Iulia quoque *Domna*, *Septimii Severi* Coniux, a Christiano nomine minime abhorruisse videri potest, quum filio *Bassiano Antonino* nutricem Christianam vel dederit, vel tulerit; & cum Christiano puero ludere filio permiserit: (143) Christianum enim significari existimo, quum a *Spartiano* Iudaicae religionis fuisse dicitur. Sed de his quaedam superius *pag.* 221. in antecessum delibavimus, & plura dicemus inferius voce IMPERATORES; quare ad matrem *Alexandri Severi*, *Iuliam Mamaeam*, gradus faciendus est, de qua ita *Eusebius Lib. VI. Histor. Eccles. Cap. XXI.* scriptum reliquit: *Mater Alexandri Imperatoris Mamaea nomine, pia in primis ac religiosa femina, θεοσεβεστάτη, quum Origenis nomen ubique tam celeberrimum haberetur, adeo ut ad ipsius quoque aures delatum esset, conspectu eius frui, & scientiam rerum divinarum, quam omnes in eo viro admirabantur, certissimo experimento cognoscere concupivit. Igitur illa Antiochiae degens, misso militari satellitio, hominem arcessit. Qui apud eam aliquandiu commoratus, quum innumera illi documenta exhibuisset ad Domini gloriam, & ad divinae*

nae

(143) Vide superius *pag.* 221.

nae illius praedicationis potentiam, declarandam, ad consuetas maturae sedes regressus est. *Hieronymus* quoque in *Catalogo*, *religiosam feminam*, *Mamaeam* vocat; quare ulterius progressus *Orosius Lib. VII. Cap. XVIII.* ita scripsit: *Cuius mater Mamaea, Christiana, Origenem Presbyterum audire curavit.* Christianam quoque eam praedicarunt *Cedrenus*, & *Abulfaragius*, & *Georgius Syncellus*; & ante eos *Vincentius* Lirinensis *Cap. XXIII. Commom.* de *Origene* agens scripserat: *Quam autem non solum privatae conditionis, sed ipsi quoque fuerit reverendus imperio, declarant historiae, quae eum a matre Alexandri Imperatoris accitum ferunt; coelestis utique sapientiae merito, cuius illa gratia, & amore, flagrabat.* Ipse quoque cum *Tillemontio*, *Casaubono*, aliisque recentioribus, Augustam illam fuisse Christianam, crediderim; aut saltem ad favendum Christianis proclivem lubenter existimaverim. Quamobrem haud mirari subest, si *Alexandri Severi* Ministri Aulici Christiani erant fere omnes, ut *Eusebius Lib. VI. Histor. Ecclesiast. Cap. XXVIII.* tradit. Sed uxor *Philippi* Imperatoris *Otacilia Severa* Christiana ne fuerit? Ad eam certe *Origenes* litteras fecit. Audiamus *Hieronymum* in *Catalogo* scribentem de *Origene*: *Ad Philippum Imperatorem, qui primus de Regibus Romanis Christianus fuit, & ad Matrem* (lege *Vxorem*) *eius litteras fecit, quae usque hodie extant.* Sequutus est *Hieronymus Eusebium*, qui *Lib. VI. Cap. XXXVI.* de *Origene* scribit: *Circumferuntur etiam eius Epistola ad Imperatorem ipsum Philippum, & altera ad Coniugem illius Severam.* Qui *Philippum* Imperatorem Christianum fuisse, adfirmant, eius etiam uxorem *Otaciliam Severam* Christianis sacris inhaesisse luculenter indicant; tradunt enim, quum *Philippus* in postrema Paschae vigilia, Antiochiae, precationum in Ecclesia particeps simul cum reliquo populo fieri voluisset, & *Babylas* illius Ecclesiae Episcopus in Poenitentium ordine eum stare iussisset, eius quoque Coniugem *Otaciliam* una cum ipso scelerum expiationem procurasse, ut apud *Tillemontium Tom. III. Histor. Imperat.* in *Philippo* videre est, id quod ex *Eusebio Lib. VI. Histor. Eccles. Cap. XXXIV.* & Auctore *Chronici Alexandrini*, sumtum praecipue est. Sed si ad Augustam *Otaciliam* Christiani magiste-

rit auctoritate scripsit *Origenes*, quemadmodum ad *Philippum* scripsisse, perhibet *Vincentius* Lirinensis *Commonit. Cap. XVIII.* illis verbis: *Eiusdem Epistolae de hoc testimonium perhibent, quas ad Philippum Imperatorem, qui primus Romanorum Principum Christianus fuit, Christiani Magisterii auctoritate conscripsit*; eam fuisse Christianam magis existimaverim, quam, ut Magister Christiani dogmatis, *Origenes* erudiebat. Non enim, ut ceteri Christiani Doctores Apologias pro Christianis Imperatoribus Ethnicis obtulerunt, ita & ille Christianos defendendo, sed neophytam instruendo, epistolam dedisse videtur. Quum autem Epistola illa *Hieronymi* aetate superesset, & *Vincentii Lirinensis* tempore adhuc exstare potuit, ut illam legendo magisterium *Origenis* intelligeret, & praeceptoris auctoritatem in eo deprehenderet. Non me latet V. Cl. *Thomam Mariam Mouclium* in *Dissertatione De utriusque Philippi Religione Cap. I. §. VI.* inficias ire, Epistolam *Origenis* ad *Philippum*, *Eusebii* aetate, exstitisse, vel saltem id ab *Eusebio* proditum unquam fuisse; sed si *Hieronymum* in *Catalogo* legisset, etiam huius aetate superfuisse eam cognovisset; adeoque non improbabile esse, ad *Vincentii* Lirinensis quoque tempora eam pervenisse. Quia *Eusebius* ipse satis indicavit, Epistolam illam sua aetate exstitisse, quum enim de ea φέρεται dixit, non significat *Fertur*, quod *Mouclius* perperam contendit; sed usu apud Graecos recepto, *Exstat*, vel *Circumfertur*, ut Latini adsolent. Quare idem *Eusebius Lib. VI. Cap. XLVI.* de *Dionysii* Alexandrini Epistolis loquens scribit: καὶ πρὸς Κόνωνα, ὡς ἑρμουπολιτῶν δὲ παροικίας ἐπίσκοπος ἦν οὗτος, ἰδία τις περὶ μετανοίας αὐτοῦ φέρεται γραφή. Quae quidem verba ita recte Latine vertuntur: *Exstat etiam, vel circumfertur, peculiaris eius liber de Poenitentia ad Cononem Hermopolitanae Ecclesiae Episcopum.* Et ex intervallo: Ἑξῆς ταύτῃ καὶ ἑτέρα τις ἐπιστολὴ τοῖς ἐν Ῥώμῃ τοῦ Διονυσίου φέρεται διακονικὴ, διὰ Ἱππολύτου. *Exstat, seu circumfertur, altera eiusdem Dionysii Epistola, ad eos qui Romae erant, per Hippolytum missa, de officio Diaconi.* Et *Lib. VII. Cap. IX.* de eiusdem *Dionysii* Epistolis agens, ait: καὶ ἄλλη δέ τις αὐτοῦ μετὰ ταύτας φέρεται πρὸς τὸν κατὰ Ῥώμην Διονύσιον, ἡ περὶ Λουκιανοῦ. *Praeter has alia exstat eiusdem Epistola de*

Lu-

Luciano ad Dionysium Romanum scripta. Sed ut ad eos libros deveniamus, quos nemo dubitare potest, quin *Eusebii* aetate exstarent, non ne ipse *Lib. II. Cap. XVIII.* de huiusmodi libris loquens, ubi de *Philone* agit, diserte scribit: πρὸς τούτοις ἅπασι καὶ μονόβιβλα αὐτοῦ φέρεται, ὡς τὸ περὶ προνοίας κ. τ. λ. *Praeter hos omnes circumferuntur etiam singulares eiusdem libri &c.* *Libro* autem *III. Cap. IX.* de *Iosephi* operibus agens, ait: καὶ ἕτερα δὲ αὐτοῦ φέρεται σπουδῆς ἄξια δύο, τὰ περὶ τῆς ἰουδαίων ἀρχαιότητος κ. τ. λ. *Exstant etiam alii duo eiusdem libri de Iudaeorum vetustate lectu dignissimi &c.* De libris contra *Apionem* agit. Et *Cap. XXXIX.* ita scribit: Τοῦ δὲ Παπία συγγράμματα πέντε τὸν ἀριθμὸν φέρεται. *Papiae vero quinque omnino circumferuntur libri*. Et *Lib. IV. De Oratione Quadrati* ad *Hadrianum* infit: εἰσέτι δὲ φέρεται παρὰ πλείστοις τῶν ἀδελφῶν, ἀτὰρ καὶ παρ' ἡμῖν τὸ σύγγραμμα. *Exstat hodieque apud plerosque ex fratribus haec oratio, quam nos etiam habemus*. Verum & Grammaticos audiamus. *Budaeus Comment. Lingu. Graecae pag.* 393. Φέρεσθαι *etiam dicuntur, quae in manibus hominum versantur, ut liber editus: ut de Aristide legitur*; Μὴ δυνάμενος οὖν τὸν παναθηναϊκὸν εἰπεῖν διὰ τὸν φθόνον τοῦ Ἡρώδου, μηχανῇ αὐτὸν μετῆλθεν. ἀναθέμενος γὰρ αὐτῷ ἄλλον Παναθηναϊκὸν ἀπαλὸν καὶ ψυχρὸν, ὃς καὶ φέρεται, ἠδυνήθη λαβεῖν τὴν ἄδειαν τοῦ λέγειν, *id est*, ὃς καὶ περιφέρεται. *Henric. Stephanus* in *Thesauro Ling. Graec. Tom. IV. pag.* 82. Φέρεσθαι *pro ferri, ea etiam significatione, qua dixit Cicero: Eius scripta quaedam feruntur. Nam* φέρεσθαι *dicuntur, quae in manibus hominum versantur, ut liber editus*. In viri docti sententiam quoque discedere non possum, quum autumat, idem esse Apologiam pro Christiana lege scribere, ac Christiani magisterii auctoritate docere. Aliud profecto est Magistrum agere; aliud, Oratorem, Patronum, Defensorem. Qui Apologias scripsere, obtulere etiam interdum Imperatoribus in Christianos saevientibus; sed *Philippus* Christianos minime persequutus est. *Baronius ad annum CCLIII. num. III.* ita scribit: *De Severa autem Augusta, Philippi Maioris coniuge, quid actum sit, num & ipsa occisa fuerit a Decio persequutore, quod Christianam fidem profiteretur, nequicquam prorsus scriptum invenimus.*

Alia de ea videnda sunt inferius voce IMPERATORES ubi de *Philippis* agemus. Idem *Baronius ad annum CCLXIX. num. V.* „ Quum igitur Claudius creatus Imperator Roman: se contu- „ lisset, audissetque longa pace res Christianorum invaluisse, „ nobilissimosque viros ac clarissimas feminas Christianam reli- „ gionem profiteri, succensuit. Nam inter eas Decii Coniugem „ seu Concubinam Tryphoniam, eiusque filiam Cyrillam, o- „ pera Iustini presbyteri Christo nomen dedisse, milites et- „ iam complures ex castris impietatis ad Christianos defecisse, „ audiens; vehementi furore percitus, eos in custodiam reci- „ pi, & Cyrillam (nam mater eius spiritum Deo reddide- „ rat) sibi praesentari faciens &c. „ Haec ex *Actis S. Laurentii*, minus tamen probatis, hausit *Baronius*, in quibus & *Cyrillam* iussu *Claudii* iugulatam fuisse, legere est. At quum nullam *Claudius* in Christianos persequutionem moverit, ut recte docet *Antonius Pagius*, ad *Valeriani* tempora *Cyrillae* martyrium revocandum est; & an vere *Decii* filia fuerit, dubitandum; licet *Baronius* ad diem XVIII. Octobris, quum *Herenniam Etruscillam*, *Decii* Vxorem fuisse, probe sciat, *Tryphoniam Decii Iunioris* Coniugem fuisse subspicetur. *Cornelia Salonina* Coniux *Gallieni Iunioris* sanctissima dicitur in Inscriptione, quam *Ant. Pagius* in *Part. II. Dissertat. Hypat. Cap. VI. n. VII.* & in *Censura Baronii ad annum CCLX.* profert: at non eodem sensu, atque ab Christianis, nomen *Sanctissima* ab Ethnicis usurpabatur: & licet *Dionysius* Alexandrinus apud *Eusebium Lib. VII. Cap. X.* in *Epistola* ad *Hermammonem*, *Valerianum & Gallienum* Caesares Augustos, θεοφιλεστάτως, *sanctissimos*, seu *Dei amantissimos*, adpellet; id non facit ad eorum religionem & pietatem respiciens, sed eo titulo eos donat, quo ab aliis decorari consueverant, ut recte animadvertit *Baronius ad an. CCLX. n. XXII.* Idem *Dionysius* apud *Eusebium Cap. XXIII.* vocat pariter *Gallienum*, *religiosissimum Deique amantissimum Imperatorem*. τὸν ὁσιώτερον καὶ φιλοθεώτερον, non utique alia de caussa. At sine controversia Christiana fuit *Prisca* Coniux *Diocletiani*, & eius filia *Valeria*, *Galerio Maximiano* Caesari nupta, quas crudelissimus ille Imperator, a nostris ritibus deficere, & sacrificio pollui, coegit, ut superius pag. 223. videre est.

est. Dubiae admodum sunt omnes illae historiae, quae alias *Diocletiani* Vxores praeter *Priscam* nobis obtrudunt, ut iam superius *pag.* 363. innuimus, & de quibus ita *Baluzius* in *Adnotationibus* ad *Lactantium De Mortibus Persequutorum Cap. XI.* „ Sed heic se offert ingens difficultas. Nam in vetustis Actis „ Sanctae Susannae virginis, quae martyrium Romae consum„ masse scribitur sub Imperio Diocletiani, mentio est Serenae „ Augustae Vxoris eiusdem Principis, quae occulte Christia„ na erat, & Sancta dicitur in vetustis Martyrologiis, ubi di„ es natalis eius consignatus est ad diem XVIII. Kalendas Se„ ptembres. Gravis sane difficultas, si de Actorum illorum „ veritate & auctoritate constaret. Sed quum illa multa, eaque „ magna, subpositionis indicia habeant, tum ex hoc sane capi„ te falsa esse probantur, quod Serenam Vxorem Diocletiani „ fuisse volunt. Quippe ostensurus sum Diocletiano nullam „ aliam toto principatus sui tempore Vxorem fuisse, quam Pri„ scam. Etenim si ea mater Valeriae fuit, ut sane fuit, ne„ cesse est, eam Diocletiano nupsisse antequam is fieret Impe„ rator, id est, ante annum Christi CCLXXXIV. quum Va„ leria Galerio Maximiano iuncta matrimonio sit anno CC„ XCIII. aetatis suae ut minimum duodecimo. Vixisse au„ tem eum Priscam matrem eius, hinc certo colligitur, quod „ diu postea superstes fuit, & anno tantum CCCXIII. exti„ cta est post victoriam, quam Licinius reportavit de Maximi„ no. Haec monumenta non senserat illustrissimus Annalium Ec„ clesiasticorum conditor Cardinalis Baronius, & tamen subspi„ cabatur futuros, qui eam de Serena Augusta historiam in du„ bium revocarent, quod nulla penitus de ea mentio alibi ha„ beatur, neque apud Scriptores Ethnicos, neque in antiquis „ Inscriptionibus: ac tamquam ei difficillimae quaestioni finem „ imposuisset, interrogat litteratulos, si his displiceat nomen „ Serenae Augustae, ut dicant quonam alio nomine Diocle„ tiani Coniux Augusta ab antiquioribus dicta inveniatur: & „ quum non invenerint, non faciant de nomine controver„ siam. Satisfactum est igitur cumulatissime interrogationi eius. „ Reiecta itaque subpofititia illa Diocletiani uxore, videamus „ an Eleutheria, quam vir clarissimus Hadrianus Valesius in de-

„ fen-

„ fenſione diſceptationis ſuae de Baſilicis, Vxorem Diocletiani
„ fuiſſe, collegit ex Vita Vigilii Papae, quae extat in Geſtis Pon-
„ tificalibus, quae vulgo tribuuntur Anaſtaſio Bibliothecario,
„ vere Diocletiani uxor fuerit. Venerat Vigilius Conſtantino-
„ polim ex praecepto Iuſtiniani & Theodorae; & quum ad ea
„ cogeretur, quae facere nolebat, ait: *Vt video, non me fecerunt*
„ *venire ad ſe Iuſtinianus & Theodora piiſſimi Principes; ſed*
„ *hodie ſcio quod Diocletianum & Eleutheriam inveni.* Ex hoc
„ itaque loco collegit vir ille clariſſimus, Eleutheriam Diocletia-
„ ni uxorem fuiſſe, quod certum ſit illic comparationem in-
„ ſtitui inter Iuſtinianum & Diocletianum, & inter Theodo-
„ ram Iuſtiniani Coniugem & Eleutheriam, propterea Diocle-
„ tiani Vxorem. Verum ex argumentis, quae adverſus Serenam
„ adlata ſunt, efficitur etiam Eleutheriam, ſive Lutheriam, ut
„ eſt in vetuſtiſſimo codice MS. 417. Bibliothecae Colbertinae,
„ aut Leuterem, quo modo ſcriptum legitur in codice 733.
„ Bibliothecae Regiae, non fuiſſe Vxorem Diocletiani, quum cer-
„ tum ſit, ut antea dixi, nullam aliam eum Vxorem habu-
„ iſſe, quam Priſcam, toto principatus ſui tempore. Erravit
„ ergo Vigilius in hiſtoria, aut corruptus in hoc loco eſt
„ Geſtorum Pontificalium liber. Sane in codice 736. eiusdem
„ Bibliothecae Colbertinae ita habetur: *Sed hodie ſcio quod Dio-*
„ *cletianum & Decium vel Lutherium inveni.* Iam ergo femi-
„ na illa in virum mutata eſt. Porrò ex his, quae hactenus
„ dicta ſunt de Serena, & Eleutheria, facile colligere quivis po-
„ teſt, quae fides adhibenda ſit hiſtoriae Sancti Georgii Mar-
„ tyris, in qua ſcriptum eſt, Alexandram Imperatricem Dio-
„ cletiani Coniugem, viſo quodam inſigni miraculo in perſo-
„ na Martyris perpetrato, veritatem adgnoviſſe, id eſt, Chri-
„ ſti fidem eſſe amplexam. Haec nimirum eſt Alexandra, Dio-
„ cletiani Coniux, mater coniugis Maximiani; ut refertur in
„ Vita eiusdem Georgii, cuius fragmentum in Tomo tertio A-
„ prilis *pag.* 103. edidit Godefridus Henſchenius. Eamdem de-
„ functam, ab inferis oratione ſola eiusdem Georgii revoca-
„ tam, tradit Nicephorus Calliſtus *Lib. VII. Cap. XV.* „ Hacte-
nus quidem *Baluzius*, cuius veſtigiis inhaeſimus ſuperius *pag.* 363.
Sed ſi quid in *Actorum* vetuſtorum, & *Martyrologiorum* defen-
ſio-

sionem adduci posset, illud quidem videri potest, non esse inverisimile *Diocletiani* Coniugem duobus nominibus vocitatam fuisse *Priscam Serenam*. Sic *Philippi* Augusti uxor *Otacilia Severa* dicebatur, licet *Eusebius*, & *Hieronymus*, *Severam* tantum nominent: *Alexandri Severi* matri *Iuliae Mammaeae* nomen erat; & tamen laudati *Eusebius*, & *Hieronymus*, & *Orosius*, *Mammaeam* tantum adpellant. Aliae Augustae pluribus nominibus insignes fuere, quae tamen saepe ab Historicis uno tantum nomine indigitantur. Sic potuit *Lactantius* adpellare *Priscam*; & *Martyrologia Serenam*, *Diocletiani* Vxorem, quae forte utroque nomine vocabatur. Quod ad locum *Anastasii* attinet, illum corruptissimum puto, & restituendum: *Quod Diocletianum & Galerium inveni*. Vel: *Quod Diocletianum & Valeriam inveni*. Potuit *Vigilius* pro Vxore *Diocletiani* filiam nominare, quae *Galerio Maximiano* nupta fuit. Sed quum utraque Christiana fuerit, puto potius eum *Galerium* dixisse. Actorum vero D. *Georgii* omnino fabulosorum rationem nullam habeo, nisi ita excusari possent, ut non de *Diocletiani* Coniuge Augusta, sed de aliqua eius Concubina, quae *Alexandra* vocaretur, sicut de *Tryphonia* superius *pag.* 380. vidimus, loqui intelligantur. De Augustabus Christianis exposuit *Christophorsonus* illa *Eusebii* initio *Libri VIII.* verba, quibus libertatem religionis ab Imperatoribus Ethnicis concessam Christianis praedicat, quaeque ita habent. „ Qualem quantamque glo„ riam simul ac libertatem doctrina verae erga supremum De„ um pietatis a Christo primum hominibus adnunciata, apud „ omnes Graecos pariter & Barbaros ante persequutionem no„ stra memoria excitatam consequuta sit, nos certe pro me„ rito explicare non possumus. Argumento esse possit Impe„ ratorum benignitas erga nostros: quibus regendas etiam pro„ vincias committebant, omni sacrificandi metu eos liberantes „ ob singularem, qua erga religionem nostram adfecti erant, „ benevolentiam. Quid opus est dicere de iis, qui in Impe„ ratorum Palatiis versabantur, quid de Imperatoribus ipsis? „ *οἳ τοῖς οἰκείοις εἰς ἀφρόντιστον ἐπὶ τῷ θείῳ παρρησιαζομένοις λόγῳ τε καὶ βίῳ συνεχώρουν* ΓΑΜΕΤΑΙΣ, *καὶ παισὶ, καὶ οἰκέταις, μονονουχὶ καὶ ἐγκαυχᾶσθαι ἐπὶ τῇ παρρησίᾳ τῆς πίστεως ἐπιτρέποντες* &c.

οις &c. Qui domesticis suis coram semetipsis, quae religionis suae erant, tam verbis quam factis libere exsequendi potestatem dederunt, CONIVGIBVS, filiis, ac servis, ob bonae fidei suae libertatem gloriari, ac se ostentare quodammodo, permittentes: eosque prae ceteris omnibus ministris praecipuo quodam amore complectebantur. οὓς ἐξόχως καὶ μᾶλλον τῶν συνθεραπόντων ἀποδοχῆς ἠξίουν. *Valesius* ex his postremis verbis colligit, ibi ab *Eusebio* de famulis & ministris tantum Imperatorum sermonem haberi, adeoque & quae de coniugibus & filiis dicuntur, de eorumdem famulorum uxoribus liberisque intelligenda esse: quare illa ita vertit: *Qui domesticis suis, eorumque uxoribus, liberis, ac servis, ea, quae religionis suae erant &c.* Sed si ita verba illa interpretanda sunt, *Eusebium* superflua & inutilia, ac prope ridicula, narrantem facimus; nam si domesticis suis illam libertatem & potestatem Imperatores concessserunt, quidni & eorum uxoribus & filiis ac famulis concessam fuisse statim perspicueque comprehendam? Si viris, cur non & uxoribus? Si uxoribus, cur non & filiis; si filiis, cur non & servis? Videtur igitur *Eusebius* prius generaliter indicare, Imperatores *domesticis suis τοῖς οἰκείοις* eam potestatem dedisse; deinde vero exponere singillatim, quinam illi domestici essent, cum scribit γαμεταῖς, καὶ παισὶ, καὶ οἰκέταις, CONIVGIBVS, *filiis, ac servis*; ita ut servos, a coniugibus Imperatorum filiisque distinguat, nec servos servorum ingerere velit; at quia servi plurimi, ad hos deinde orationem convertit, & eos Christianos prae ceteris ministris dilectos fuisse adfirmat, & adstruit exemplis. Nam sequitur: „ Cuiusmodi fuit Dorotheus ille, qui summam erga ipsos benevolentiam ac fidem declaravit, eamque ob caussam prae cunctis Magistratibus, & provinciarum Rectoribus, magnum honorem promeruit. Huic adiungendus est celeberrimus ille Gorgonius, & quicumque alii ob sermonem Dei eamdem cum istis gloriam sunt consequuti. Similiter & singulis Ecclesiarum Antistitibus summum honorem cultum ac benevolentiam ab omnibus tam privatis, quam provinciarum Rectoribus deferri vidisses. „ *Helena* tamdem, quae *Constantii Chlori*, e Stabularia, quam egerat, uxor fuit, eique peperit *Constantinum Magnum*, post-

quam

quam is anno CCCXI. Christianam Religionem professus est, & ipsa iisdem sacris initiata est, atque adeo pietate excelluit, ut & Christiana heroa habeatur, & iis laudibus passim ab omnibus mactetur, quas eius egregiae virtutes meruerunt. Sed quum *Constantius* repudium *Helenae* misisset, & *Flaviam Maximianam Theodoram* uxorem secundam duxisset, ex ea tres filias suscepit, *Constantiam*, *Anastasiam*, & *Eutropiam*; quarum *Constantia* Imperatoris *Licinii* coniux fuit, & Christi consultis inhaesit. *Faustam* quoque, *Maximiani Herculis* filiam, & secundam *Constantini Magni* uxorem, Christianam evasisse credere fortasse par est, ex qua hic plures liberos sustulit.

VIII. AVLICI. Vide superius *pag.* 215. 377. 383. 384. Hic tantum addam, Epitaphium *Alexandri*, quod supra *pag.* 222. produxi, ad *Antonini Pii* tempora referri a *Theodor. Ruinarto* in *Praefat. ad Acta Martyr. pag. XXXV. edit. Veronensis*. Puerum collusorem *Caracallae* Christianum fuisse quis dubitet, quum a *Spartiano* ob Iudaicam religionem verberatus fuisse dicatur? En eius verba in *Caracallo Cap. I. Septennis puer, quum collusorem suum puerum, ob Iudaicam religionem verberatum fuisse audisset, neque patrem suum, neque patrem pueri, vel auctores verberum, diu respexit.* Ethnici Christianam religionem cum Iudaica confundebant, ut superius *pag.* 341. animadvertebamus. *Alexandri Severi* Ministri Aulici fere omnes Christiani erant, ut adnotat *Eusebius Lib. VI. Hist. Eccles. Cap. XXVIII.* adeoque sub *Maximino* multi Martyres, quum is apud *Capitolinum* dicatur, omnes *Alexandri Ministros variis modis* interemisse. *Valeriani* Imperatoris familia, maximam partem, Christiana erat, & Dei coetus & Ecclesia esse videbatur, ut *Dionysius* Alexandrinus testatur, quod inferius, voce IMPERATORES, videbimus. Quae *Eusebius* initio *Libri VIII.* de Servis & Ministris Christianis Imperatorum generatim habeat, eius ipsius verbis paulo ante declaravimus *pag.* 381. Ex Actis vero S. *Sebastiani* colligere est, *Carinum* in suo Palatio habuisse quosdam amicos, quos Christiani nominis confessionis titulus decorabat. Multos autem Christianos in Aula *Constantii Chlori*, licet Ethnici Imperatoris, fuisse, patet ex eodem *Eusebio Lib. I. Vitae Constant. Cap. XV. & XVI.* ubi ita scribit: „ Primique o-

maium ex ipsis Imperialibus Palatiis progressi Dei amantissimi Martyres, pro religione certamina obierunt, ignem, & gladios, marisque altissimos gurgites, & cuncta mortis genera, alacri animo perpessi. Adeo ut brevi temporis spatio cuncta Imperatorum Palatia cultoribus Dei viduata sint . . . . Soli Constantio sapiens quoddam consilium venit in mentem . . . . Palatinis omnibus, qui in ipsius Aula militabant, ad ipsos usque Iudices in summis potestatibus constitutos, data eligendi utrum mallent facultate, hanc conditionem detulit, ut siquidem Daemonibus sacrificassent, manere ipsis in Palatio, & consuetis honoribus frui liceret: si vero id facere renuissent, ab ipsius aditu excluderentur, & ab ipsius notitia ac familiaritate remoti discederent. Quum ergo universi bifariam diremti essent, aliisque in hanc, aliis in illam, partem discessisset, & uniuscuiusque propositum ac sententia explorata fuisset: tunc eximius Princeps consilium suum, quod hactenus latuerat, detegens, illorum quidem timiditatem, ac nimium sui ipsorum amorem condemnavit; hos vero ob devotam divino Numini conscientiam magnopere probavit. Ac deinde illos quidem, tamquam Dei proditores, ne Principis quidem obsequio dignos iudicavit. Nam quomodo, inquit, fidem erga Principem suum servaturi sunt, qui erga Deum perfidi esse deprehenduntur? Itaque eiusmodi viros a regiis aedibus procul ablegandos esse censuit. Illos vero, quos Deo dignos esse veritatis ipsius testimonio constaret, eodem erga Principem animo futuros esse affirmans, Protectores atque imperii ipsius Custodes constituit: eiusmodi homines inter praecipuos amicorum & maxime necessarios habendos esse dicens, multoque pluris aestimandos, quam maximarum opum thesauros „ Sed & *Licinium* Augustum diu Christianorum famulatu & obsequio usum fuisse indicat *Eusebius* in *Chronico*, ubi ad annum CCCXXI. scribit: *Licinius Christianos de Palatio suo pellit*: quum scilicet in Christianos persequutionem movit; idemque repetit Historicus ille *Lib. X. Histor. Eccles. Cap. VIII.*

§. II.

§. II.

IX. BIARCHI erant officiales quidam ex schola Agentium in rebus, victui praefecti: hi vulgo nunc *Vivendarii* adpellantur. Eorum meminit *Hieronymus ad Pammachium Adversf. Ioannem Ierosolym. Cap. V.* „ Volo, quod dico, manifestius fieri; finge aliquem Tribunitiae potestatis suo vitio „ regradatum, per singula militiae equestris officia ad Tyronis „ vocabulum devolutum: numquid ex Tribuno statim fit Tyro? non; sed ante Primicerius, deinde Senator, Ducenarius, Biarchus, Circitor, Eques, dein Tyro: & quamquam „ Tribunus quondam miles gregarius sit, tamen ex Tribuno, „ non Tyro, sed Primicerius, factus est,„ Vide Inscriptionem superius *pag.* 331.

§. III.

X. CAESARIANI. Vide superius *pag.* 336.
CANCELLARII. Vide Inscriptionem superius *pag.* 322.

XI. CANDIDATI PRIMICERIORUM. Inscriptio apud *Donium pag.* 532. n. 44.

HIC PO SITVS EST ANTIOCCHOS CANDIDATVS PREMECERI

. . . .

. . . .

. . . .

. . . QVI VISIT ANVS PML ' ' ' N PACE SI KAL ' MART

. . . DOMINI NOSTRI VALENTINIANI AVGG ' I ET ABINIO COS

XII. CENTURIONES. Celebres in Historia Evangelica Centuriones sunt, seu ad illum respicias, qui pro sui pueri salute Christum rogavit; sive ad illum, qui Iesum iam cruci-

 cifi-

cifixum esse Dei Filium, prodigiis excitatus, cognovit & confessus est, de quibus egimus superius *pag.* 295. 363. De *Cornelio* Centurione a *Petro* Apostolo baptissato egimus pariter superius *pag.* 81. 82. 356. 358. *Marcellus* Tingitanus Martyr, erat Cenrio Legionis Traianae, qui anno CCXCVIII. passus est, cuiusque Acta apud *Ruinartum* aliosque exstant. *Gordium* Centurionem & Martyrem memoravimus superius *pag.* 298. *Marinus* Martyr Caesariensis, splendore generis atque opibus clarus, quum militari dignitate decoratus esset, & iam Centurio renunciandus, quod esset Christianus accusatus, supplicio adfectus est, ut scribit *Eusebius Lib. VII. Histor. Cap. XV. Martyrologium Romanum VIII. Idus Maii* nobis exhibet *Acathium* Centurionem & Martyrem; & *XVII. KL. Septemb. Ambrosium* eiusdem ordinis; utrumque sub *Diocletiano* Principe passum. Inscriptio apud *Muratorium pag.* MDCCCLXXIV. 2.

FL · OLIVS PATERNVS
CENTVRIO · CHOR · X · VRB
QVI VIXIT · AN · XXVII ·
IN PACE

XIII. CHARTARII. Vide superius *pag.* 245.
XIV. CHARTVLARII. Vide superius *pag.* 245.
XV. CIRCITORES. Vide supra *pag.* 246. 387.
XVI. COLLECTARII. Vide superius *pag.* 248.
XVII. COMITES. Vide supra *pag.* 326. Inscriptio apud *Muratorium pag.* MDCCCXLV. 5.

HIC IACET B · M · BONIFATIVS COMES
QVI · VIXIT ANNIS PL · M · · · · ·
REQVIEVIT IN PACE D · XII · KAL · M · · · ·

Epigramma est sequioris aetatis.

Et

Et apud *Donium* pag. 537. 65.

DEPOSITVS HERILA
COMES·IN·PACE·FIDEI
CATHOLICE·VII·KAL.
AVG·QVI·VIXIT·ANN
PL·M·L·D N·SEVERI·AVG
PRIMO·CONS

Quis nam hic *Severus* Augustus? Num *Alexander*? Ac non videtur.

XVIII. COMMENTARIENSES. Vide supra *pag.* 250.

XIX. CONSVLES. Vide superius *pag.* 326. 361. 368. 371. S. *Titus Flavius Clemens* Martyr, Consul processit anno XCV. (144) Sancta *Flavia Domitilla* eius uxor in Pandatariam Insulam a *Domitiano* relegata fuit; sicut in Pontiam *Domitilla* Virgo, sororis *Clementis* filia, de quibus consule quae diximus superius *pag.* 341. 342. 344. 361. Consul fuit etiam *Acilius Glabrio* cum *Traiano* anno XCI. & Martyr *Domitiani* gladio caesus est, de quo egimus superius *pag.* 341. 362. Consulendi etiam *Ruinartius Praefat. in Acta Martyr. pag. XXXI. Tillemontius Tom. II. Monum Eccles. Mamachius Lib. II. Origin. & Antiquit. Christian. Cap. VIII. §. II. num. II.* In *Carmine ad Senatorem*, quod *Tertulliano* tribuitur, & vetusti profecto Scriptoris foetus est, Senator ille fuisse Consul, & Philosophum simulasse, dicitur; & e Christi castris ad Ethnicam superstitionem transfugisse improbatur, & redarguitur, observante *Baronio ad Ann. CLXXXIII. num. VII.* ubi legitur: *Ad haec spectat, quod habet Tertullianus de Consulari Viro, qui Christianus quum fuisset, ac Consulatum gessisset, postea lapsus miser, inter Sacerdotes Isidis profiteri coepit: quem idem Auctor, scripto ad eum Carmine, acriter obiurgavit. Quisnam fuerit iste, qui Senator, & Consul,* quo-

(144) De hoc Martyre, & eius Epitaphio, vide quae disserit *Raimundus Fuirgus* in libello hac de re scripto.

quoque, *ut idem Tertullianus ait*, *etiam Philosophum fingeret*, *haud satis compertum habemus*. *Martyrologium Romanum* haec habet VI. Idus Maii: *Romae Beati Calepodii Presbyteri & Martyris*, *quem Alexander Imperator gladio fecit occidi*, *& corpus eius per civitatem trahi*, *atque in Tiberim iactari*: *quod inventum Callistus Papa sepelivit*. *Decollatus est etiam Palmatius Consul cum uxore & filiis*, *& aliis promiscui sexus quadraginta duobus de domo sua*: *Simplicius quoque Senator cum uxore*, *& sexaginta octo de familia sua*: *item & Felix cum uxore sua Blanda*, *quorum capita diversa sunt per diversas Portas Urbis ad exemplum Christianorum*. Kalendis autem Decembris ita habet: *Ameriae in Umbria Sancti Olympiadis viri Consularis*, *qui a Beato Firmina ad fidem conversus*, *sub Diocletiano in equuleo tortus*, *martyrium consummavit*. Horum autem, & praesertim quod ad Consularem & Senatoriam dignitatem adtinet, fides sit penes Auctorem. Sanctae *Martinae* Virginis & Martyris patrem, virum Consularem fuisse tradit Vita eius a *Bollando* ad diem *I. Ianuarii* edita, quam non improbat *Pagius ad Ann. Baronii CCXXXVIII*. *Basilissam* & *Anastasiam* Martyres, feminas Consulares fuisse, dum *Pecchiolus* in suo *Tractatu Peregrinorum Receptuumque Quaestionum Cap. V.* portendit, ludibrium debet Eruditis; nam *Martyrologium Romanum* XVII. Kl. Maii, *nobiles* eas tantum adpellat: quod & ipse *Thrasymachus Epistola II.* indicaverat, ubi eas *ex magna urbe Roma nobiles & divites* tantum declaravit. Sub *Nerone* autem eas passas fuisse, vulgo perhibent: quod non adeo certum & indubitatum existimo, ut Capite antecedenti inter nobiles & divites Christianos primi saeculi eas recensendas fuisse, crediderim; sicuti etiam in *Ephemeridibus Litterariis Florentinis anno MDCCIL.* editis *pag.* 531. protestatus sum, ipso *Baronio* minime in *Annalibus* repugnante, qui *Neronis* iussu interemtas fuisse, fama tantum ferri, adfirmavit. Grandis igitur *Pecchiolii* audacia fuit, seu *ἀβλεψία*, feminae Consularis Martyrologii Romani auctoritate nobis obtrudere, quum in eo de hoc ne verbum quidem. Inscriptiones variae apud *Gruterum* Christianos nobis Consules exhibent, *pag. MLI.* 8. *MCLXIV.* 5. *MCLXXI.* 9. *MCLXXII.* 6. Illae ita habent:

H · IA-

HIC IACET · ELIVS · CONSTAN
TIVS · VIR · CONSVLARIS
COMES · ET · MAGIST · VTRIVSQ
MILITIE · ATQ · PATRICIVS · ET
SCDO CS7L · ORDINARIVS

FL · FELIX V · C · MAGESTER VTRIVSQVE MILITIE
PATRICIVS ET CONS · ORD · ET PADVSIA EIVS INL
FEMINA VOTI COMPOTES DE PROPRIO FECERVNT

Martyris hic Sancti Liberalis membra quiescunt,
Qui quondam in terris Consul honore fuit.
Sed crevit titulis factus de Consule Martyr,
Cui vivit semper morte creatus honor.
Plus fuit irato, quam grato, Principe felix,
Quem periment rabidus misit ad astra furor.
Gratia cui trabeas dederat, dedit ira coronam,
Dum Christi procerem mens inimica facit.
Obtulit haec Domino componens atria Florus,
Vt Sanctos venerans praemia iusta ferat.

Forte ad eumdem Sanctum *Liberalem* Martyrem spectat & insequens Epigramma:

Quamquam patricio clarus de germine Consul
Inlustres trabeas nobilitate tuas.
Plus tamen ad meritum crescit quod morte beata
Martyris effuso sanguine nomen habes.
Adiunctusque Deo, tota quem mente petisti,
Adsertor Christi sidera iure coles.
Sit precor acceptum quod post dispendia belli
In melius famulus restituere Florus.

Hi-

Item apud *Reinesium pag. 974. num. CCCXXXVI.*

Humano generi legem natura creatrix
Hanc dedit, ut tumuli membra sepulta tegant,
Liberii soboles patri matrique sepulcrum
Triste ministerium mente dedere pia.
Hic sunt membra quidem, sed famam non tenet urna,
Nam durat titulis nescia fama mori,
Rexit Romuleos fasces currentibus annis
Successu patris Gallica regna tenens,
Hos non imbelli precio mercatus honores,
Sed precio maius detulit alma fides.
Ausoniis populis gentiles rite cohortes
Disposuit, sanxit foedera, iura dedit,
Cunctis mente pater toto venerabilis aevo
Ter denis lustris proximus occubuit.
O quantum bene gesta valent! quum membra recedunt,
Nescit fama mori, lucida vita manet,

Quae tamen Epigrammata quarto saeculo antiquiora esse non videntur, licet quaedam ad res antiquioris aetatis spectent.

XX. CORNICVLARII fuerunt, qui iussa, sententias, & decreta, Praefecti Praetorio, aut Praesidis, scribebant & publicabant; erantque veluti Scribae. In militia antiqua Romana Cornicularii, genus erant militum honestiorum, qui ab galeae parasemo sic dicebantur, beneficiarii ut plurimum Tribunorum, aut Centurionum. *Martyrologium Romanum XII. KL. Septembris: Salonae Sancti Anastasii Cornicularii, qui quum videret Beatum Agapitum constanter tormenta perferentem, conversus est ad fidem, & pro confessione nominis Christi iubente Aureliano Imperatore interemtus, Martyr migravit ad Dominum.* Huius *Anastasii* Cornicularii meminimus *pag.* 198. & inter milites recensuimus. In Martyrologus quoque, & in *Actis SS. Symphoriani, Claudii, Castorii, Nicostrati, & Simplicii,* quorum tamen valde mediocris est auctoritas, occurrunt Sancti quatuor Martyres, quos *Quatuor Coronatos* adpellant, Praefecti Vrbi Cornicularii, *Severus* scilicet, *Severinus, Carpo-*

pophorus, & *Victorinus*, qui sub *Diocletiano* Principe passi sunt.

XXI. CUBICULARII AULICI. Vide superius *pag.* 251. 384.

XXII. CURATORES CIVITATUM. Vide supra *pag.* 372.

XXIII. CURATORES REGIONUM ROMAE. Inscriptio apud *Muratorium pag. MDCCCXLI.* 3.

CVRATORI R · III · BASILICO · IN · PACE

VIX · AN · XLIIII · M · V ·

XXIV. CUSTODES CARINARUM. Vide superius *pag.* 254. 255.

XXV. CUSTODES CUBICULI. Vide superius *pag.* 254. 255.

XXVI. CUSTODES LATERIS Imperatoris. Vide superius *pag.* 213. 255. 386.

§. IV.

XXVII. DECANI. Vide superius *pag.* 309.

XXVIII. DECURIONES. *Iosephus* ab Arimathia Decurio erat, quo de egimus superius *pag.* 356. S. *Philippus* Heracleae in Thracia Episcopus & Martyr, suae civitatis Decurio fuerat antequam ad Episcopatus dignitatem eveheretur, cuius Acta *Mabillonius Lib. IV. Analectorum* publici iuris fecit. Consule superius *pag.* 254.

XXIX. DISPENSATORES. Vide superius *pag.* 256.

XXX. DUCES. Quum militiae nomen darent Christiani, ut superius *pag.* 295. demonstratum est, nil mirum, si & Duces inter eos quidam extiterunt, & reliquarum militiae dignitatum participes. Nescio an inter Duces *Paullus* Apostolus recensendus sit, qui a Principe Sacerdotum petiit epistolas in Damascum ad Synagogas, ut si quos Christi ade-

sectas invenisset, vinctos perduceret in Ierusalem, illueque cum virorum comitatu proficiscebatur, ut *Lucas* in *Actis Cap. IX.* tradit. Error autem, aut calumnia fuit, quum Tribunus *Paulo* Ierosolymis dixit: *Nonne tu es Aegyptius, qui ante hos dies tumultum concitasti, & eduxisti in desertum quatuor millia virorum sicariorum?* ut habetur apud eumdem *Lucam Cap. XXI.* An *M. Pompeius*, cui suum *Dialogum cum Tryphone Iustinus* Martyr inscribit, Dux Romani exercitus fuerit, dubitant quidam, qua de re ita scribit *Ernestus Grabius Tom. II. Spicilegii pag.* 159. *Langius Interpres suspicatus est, Pompeium hunc Hadriani vel Antonini Ducem fuisse, qui Iudaicam rebellionem contuderit; quum Prudentius in Apotheosi ita adversus Iudaeos cecinerit:*

Quid mereare Titus docuit, docuere rapinis
Pompeianae acies: quibus exstirpata per omnes
Terrarum pelagique plagas tua membra feruntur.

Sed Christianum fuisse φίλτατον, cui opus hoc inscripsit Iustinus, vix dubitari potest: Pompeium autem Ducem suscepisse fidem in Christum, haud constat, imo nec verosimile est. Haec ille. *Procopii* Martyris, Ducis exercitus, Acta a *Surio* die VIII. Iulii ex *Metaphraste* proferuntur; sed forte alius hic non est quam *Procopius* ille Martyr Amasenus celeberrimus, de quo videndus *Tillemontius Tom. V. Monum. Eccles.* Sancti *Ischyrionis* Ductoris militum meminimus superius *pag.* 298. *Martyrologium Romanum VI. KL. Aprilis, Amphilochii* Ducis; *VIII. KL. Maii, Sabae* Ductoris militum; *IX. KL. Iun. Meletii* Ducis exercitus; *VII. KL. Septembris, Secundi*, Viri spectabilis & Ducis ex Legione Thebaeorum, mentionem facit. Dux militum *Marius* occurrit in Inscriptione quam superius *pag.* 362. protulimus.

§. V.

XXXI. ab EPISTVLIS. Vide superius *pag.* 257.

XXXII. EQVITES. Equites Romanos quosdam fuisse Chri-

Christianos saeculo III. patet ex *Valeriani* Rescripto, quo de egimus superius *pag.* 236. *Aemilianus* Martyr Africanus equestris ordinis dicitur in Actis SS. *Iacobi*, *Mariani*, *&c.* apud *Ruinartum*. Vide superius *pag.* 258.

XXXIII. EVNVCHI. Vide superius *pag.* 258. ubi addendus S. *Melito* Sardianus Episcopus doctissimus, qui Eunuchus erat, natura tamen, non officio, ut scribit *Eusebius Histor. Eccles. Lib. V. Cap. XXIV.*

XXXIV. EXCEPTORES. Vide superius *pag.* 262. Exceptoris meminit Inscriptio in *Ephemeridibus Florentinis* anni MDCCL. *pag.* 383.

M · MARTIO · SEMPRONIO · PTOLEMEO EXCEPT · DVPL · VVIC ·

M · MARTIVS · MENELAVS · VETER · SCRIB · FILIO · DVLCISSIMO · ET SIBI

Sed forte Inscriptio Christiana non est.

§. VI.

XXXV. FOSSARII. Vide superius *pag.* 273.

XXXVI. FRVMENTARII. Vide superius *pag.* 280.

§. VII.

XXXVII. GAZOPHYLACES. Vide *pag.* 281. 356.

§. VIII.

XXXVIII. HYPOMNEMATOGRAPHI & HYPOMNEMATOPHYLACES. Vide superius *pag.* 185.

§. IX.

XXXIX. IMPERATORES. Primus omnium Romanorum Imperatorum *Fl. Constantinus* Christianis mysteriis initiatus, nemine contradicente, perhibetur ac noscitur, qui anno CCCXII. pacem, lege lata, Ecclesiae restituit. Post eum, omnes Imperatores Christiani fuere, perfidioso illo desertore excepto *Iuliano*, qui a divina sapientia ad Ethnicam superstitionem sacrilego perfugio defecit, & contra nos scripsit quaedam. Itaque modo mihi investigandum est, an ante *Constantinum* ulli alii Imperatores Christianum dogma amplexi fuerint; vel saltem aliqui a Christianis sacris non abhorruerint, ac erga Christianos leniter ac benigne se habuerint, eosque aliqua probarint & iuverint. In qua disquisitione, ut recta & ordine progrediamur, seriem annorum persequemur. Igitur Christus Iesus sub *Tiberio* Principe crucifixus, ut nos in veram libertatem vindicaret, & a peccati iugo redimeret, Ierosolymis Iubente occubuit. *Tiberius* autem de eo quaedam rescivit, & in Deos referre voluit, nec Christianorum sectam deinde improbavit. *Tertullianus Apologet. Cap. V.* „ Vetus erat decretum, ne qui Deus ab Imperatore consecraretur, „ nisi a Senatu probatus, ut M. Aemilius de Deo suo Alburno. Facit & hoc ad causam nostram, quod apud vos de „ humano arbitratu divinitas pensitatur. Nisi homini Deus „ placuerit, Deus non erit: homo iam Deo propitius esse debebit. TIBERIVS ergo, cuius tempore nomen Christianum „ in saeculum introivit, adnunciatum sibi ex Syria Palaestina, „ quod illic veritatem illius divinitatis revelaverat, detulit ad „ Senatum cum praerogativa suffragii sui. Senatus, qui non in „ se probaverat, respuit: Caesar in sententia mansit, comminatus periculum accusatoribus Christianorum. „ *Eusebius Caesariensis Lib. II. Histor. Eccles. Cap. II.* quum haec eadem *Tertulliani* referre vellet, haec quae sequuntur praefatus est: „ Quum admiranda Servatoris nostri resurrectio, eiusdemque „ in coelum adscensio, omnium pene sermonibus pervulgata „ esset, quoniam vetus haec erat consuetudo provinciarum

„ Ro-

Rectoribus, et quicquid novi apud ipsos contigisset, Imperatori nunciarent, nequid ipsum lateret: Pilatus de resurrectione Servatoris nostri Iesu Christi, cuius per universam Palaestinam celebris erat fama, ad Tiberium Principem retulit: multa quoque alia eiusdem miracula se auditu accepisse significans, & qualiter ad vitam denuo revocatus, a plerisque iam Deus haberetur. Ac Tiberium quidem rem ad Senatum detulisse perhibent, sed Senatum eiusmodi relationem aspernatum esse: specie quidem, eo quod Senatus auctoritas ad id non exspectata videbatur, quum tamen vetus lex esset apud Romanos, ne quis absque decreto Senatus Deus haberetur: re autem ipsa eo quod salutaris divinae doctrinae praedicatio auctoritate & auxilio hominum minime indigeret. Quum igitur Senatus relationem de Servatore nostro ita, ut dictum est, repudiasset, Tiberius tamen in pristina sententia perseverans, nihil adversus doctrinam Christi durius molitus esse dicitur. „ Idem *Eusebius* in *Chronico*: Pilato de Christianorum dogmate ad Tiberium referente, Tiberius retulit ad Senatum, ut inter caetera sacra reciperetur. Verum quum ex consulto Patrum Christianos eliminari urbe placuisset, Tiberius per edictum accusatoribus Christianorum comminatus est mortem. „ *Paullus Orosius Lib. VII. Cap. IV.* „ Ac postquam passus est Dominus Christus, atque a mortuis resurrexit, & discipulos suos ad praedicandum dimisit, Pilatus, Praeses Palaestinae provinciae, ad Tiberium Imperatorem atque ad Senatum retulit de passione & resurrectione Christi, consequentibusque virtutibus, quae vel per ipsum palam factae fuerant, vel per discipulos ipsius in nomine eius fiebant, & de eo quod certatim crescente plurimorum fide Deus crederetur. Tiberius cum suffragio magni favoris retulit ad Senatum, ut Christus Deus haberetur. Senatus indignatione motus, quod non sibi prius secundum morem delatum esset, ut de suscipiendo cultu prius ipse decerneret, consecrationem Christi recusavit, edictoque constituit, exterminandos esse urbe Christianos: praecipue quum & Seianus, Praefectus Tiberii, suscipiendae religioni obstinatissime contradiceret. Tiberius tamen edicto accusatoribus

„ Chri-

„ Christianorum mortem commissurus est . „ Haec fere omnia confirmari videntur ex eo, quod *Iustinus Martyr Apolog. I.* Imperatorem ad Acta sub *Pontio Pilato* condita amandat, ut rerum a Christo gestarum veritatem adstruat atque corroboret. Non me latet, *Tanaquilum Fabrum Tom. II. Epistol. XII.* veritatem huius rei elevare, & deceptum esse *Tertullianum* pertendere; sed futiles eius rationes egregie ac praeclare confutavit *Io. Pearsonus* Episcopus Cestriensis in *Annalibus Paulinis*; & consulendus *Tillemontius* in *Petro* Apostolo *Artic. XIX. Tom. I. Monum. Eccles.* In sententiam tamen *Fabri* discessere non pauci, interque eos *Sigeber. Havercampus* in *Adnotat.* ad *Cap. V. Apolog. Tertulliani*, & ulterius ostendere conatus est, *Tiberium* Christianorum inimicum fuisse, productis illis *Suetonii Cap. XXXVI.* verbis: *Externas caeremonias, Aegyptios, Iudaicosque, ritus compescuit . . . . Iudaeorum iuventutem per speciem sacramenti in provincias gravioris coeli distribuit, reliquos gentis eiusdem, vel similia sectantes, Vrbe submovit, sub poena perpetuae servitutis, nisi obtemperassent.* Addit vero *Havercampus*, *Iusti Lipsii* vestigiis insistens: *Hic per similia sectantes nulli nisi Christiani intelligi possunt.* Ast ipse neque id facile concesserim, quum Romae tunc Christiani nulli essent; quod & *Petr. Burmannus* probat; & *Tiberius* diversis temporibus diversa quoque constituere potuit; nisi potius illud Senatus auctoritate iussum est, ut *Tacitus* quidem scribit. CAIVS, qui *Tiberio* in imperio successit, nullam in Christianos persequutionem movit, sed eos in sua ditione toleravit. De CLAVDIO tamen *Suetonius Tranquillus* ita *Cap. XXIV.* scriptum reliquit: *Iudaeos impulsore Chresto assidue tumultuantes Roma expulit.* At incertum, si *Ant. Vandalio*, *Velsio*, *Burmanno*, aliisque, fidem habemus, an haec de *Christo Iesu*, an potius de homine aliquo *Chresto* nuncupato, sermo sit. Verum esto *Christi*, & novae religionis, caussa Iudaei tumultuarentur inter se, Iudaeorum nomine hic venire Christianos non arbitror, quum *Petrus* fortassis tunc Romam nondum venisset; *Paullus* autem nonnisi sub *Nerone* Romam profectus est. Sed & si a *Suetonio* de Christo Servatore agitur, Iudaeos tamen genere tantum Roma expulsos fuisse dicendum videtur, non au-

autem Christianos, qui ex gentibus nova sacra susceperant, eam *Lucas* ipse *Actor. Cap. XVIII.* luculenter indicat, ad Iudaeos tantum edictum illud pertinuisse, ex quibus si qui Christianum dogma amplexi essent, non novi ritus caussa, sed Iudaei generis praetextu, Roma aufugere coacti sunt. Id etiam sensit magnus *Caesar Baronius ad annum LI.* ubi ita scribit: *Caeterum non tantum Suetonio auctore, quem citat* (Orosius) *exploratum habetur, Iudaeos a Claudio Roma esse expulsos; sed & Lucae Evangelistae testimonio id firmius comprobatur, ac certum redditur, Christianos etiam, qui ex Iudaeis Christi fidem secuti essent, ex urbe procul abire iussos esse. Dum enim agit de Pauli adventu Corinthum, meminit de Aquila Pontico, Iudaeo genere, sed fide Christiano: quem dicit nuper venisse ex Italia cum uxore Priscilla, eo quod praecepisset Claudius discedere omnes Iudaeos a Roma*. Sed hic animadvertendum, exploratum non esse, an *Aquila* & *Priscilla*, quum Roma abscessere, Christiani iam essent: ipse enim potius existimo, *Paullum*, quum Corinthum appulisset, in illius Iudaei domum ob artis communionem divertisse, & Christianis mysteriis eum una cum uxore tunc initiasse. Non enim *Lucas* dicit, Apostolum apud eos mansisse, quia Christiani essent, sed scribit: *Et quia eiusdem erant artis, manebat apud eos, & operabatur: erant autem scenofactoriae artis*. Meae sententiae non obstat *Paullus Orosius Lib. VII Cap. VI.* Ita enim scribit: *Anno eiusdem nono expulsos per Claudium urbe Iudaeos, Iosephus refert. Sed me magis Suetonius movet, qui ait hoc modo: Claudius Iudaeos, impulsore Chresto, assidue tumultuantes Roma expulit. Sed utrum contra Christum tumultuantes Iudaeos coerceri & comprimi iusserit, an etiam Christianos simul, velut cognatae religionis homines, voluerit expelli, nequaquam discernitur*. Aliam caussam expulsionis Iudaeorum dant *Hugo* & *Lyranus*, nimirum, quod *Messalinam*, *Claudii* uxorem, pellexissent ad Iudaismum; nam simili de caussa *Tiberius* eosdem Roma proscripserat, eo quod *Fulviam*, *Saturnini* Senatoris uxorem, ad Iudaismum traduxissent, ut *Iosephus Lib. XVIII. Antiquit. Cap. IV. & V.* memoriae prodidit; sed unde id Interpretes illi hauserint, ignoro prorsus. Si autem id constaret, minus alienum a Christiano

quoque, ut idem Tertullianus ait, etiam Philosophum fingeret, *haud satis compertum habemus*. *Martyrologium Romanum* haec habet VI. Idus Maii: *Romae Beati Calepodii Presbyteri & Martyris, quem Alexander Imperator gladio jussit occidi, & corpus ejus per civitatem trahi, atque in Tiberim jactari: quod inventum Callistus Papa sepelivit. Decollatus est etiam Palmatius Consul cum uxore & filiis, & aliis promiscui sexus quadraginta duobus de domo sua: Simplicius quoque Senator cum uxore, & sexaginta octo de familia sua: item & Felix cum uxore sua Blanda, quorum capita dispersa sunt per diversas Portas Urbis ad exemplum Christianorum*. Kalendis autem Decembris ita habet: *Ameriae in Umbria Sancti Olympiadis viri Consularis, qui a Beato Firmina ad fidem conversus, sub Diocletiano in equuleo tortus, martyrium consummavit*. Horum autem, & praesertim quod ad Consularem & Senatoriam dignitatem adtinet, fides sit penes Auctorem. Sanctae *Martinae* Virginis & Martyris patrem, virum Consularem fuisse tradit Vita ejus a *Bollando* ad diem *I. Januarii* edita, quam non improbat *Pagius ad Ann. Baronii CCXXXVIII*. *Basilissam* & *Anastasiam* Martyres, feminas Consulares fuisse, dum *Pecchiolius* in suo *Tractatu Peregrinarum Recentiumque Quaestionum Cap. V.* pertendit, ludibrium debet Eruditis; nam *Martyrologium Romanum* XVII. KL. Maii, *nobiles* eas tantum adpellat: quod & ipse *Thrasymachus Epistola II.* indicaverat, ubi eas *ex magna urbe Roma nobiles & divites* tantum declaravit. Sub *Nerone* autem eas passas fuisse, vulgo perhibent: quod non adeo certum & indubitatum existimo, ut Capite antecedenti inter nobiles & divites Christianos primi saeculi eas recensendas fuisse, crediderim; sicuti etiam in *Ephemeridibus Litterariis Florentinis anno MDCCIL.* editis *pag.* 331. protestatus sum, ipso *Baronio* minime in *Annalibus* repugnante, qui *Neronis* jussu interemtas fuisse, fama tantum ferri, adfirmavit. Grandis igitur *Pecchiolii* audacia fuit, seu *ἀβλεψία*, feminas Consulares Martyrologii Romani auctoritate nobis obtrudere, quum in eo de hoc ne verbum quidem. Inscriptiones variae apud *Gruterum* Christianos nobis Consules exhibent, *pag. MLI. 8. MCLXIV. 5. MCLXXI. 9. MCLXXII. 6.* Illae ita habent:

H · IA.

HIC IACET · ELIVS · CONSTAN
TIVS · VIR · CONSVLARIS
COMES · ET · MAGIST · VTRIVSQ
MILITIE · ATQ · PATRICIVS · ET
SCDO CS7L · ORDINARIVS

FL · FELIX V · C · MAGISTER VTRIVSQVE MILITIE
PATRICIVS ET CONS · ORD · ET PADVSIA EIVS INL
FEMINA VOTI COMPOTES DE PROPRIO FECERVNT

Martyris hic Sancti Liberalis membra quiescunt,
Qui quondam in terris Consul honore fuit.
Sed crevit titulis factus de Consule Martyr,
Cui vivit semper morte creatus honor.
Plus fuit irato, quam grato, Principe felix,
Quem perimens rabidus misit ad astra furor.
Gratia cui trabeas dederat, dedit ira coronam,
Dum Christo procerem mens inimica facit.
Obtulit haec Domino componens atria Florus,
Ut Sanctos venerans praemia iusta ferat.

Forte ad eumdem Sanctum *Liberalem* Martyrem spectat & insequens Epigramma:

Quamquam patricio clarus de germine Consul
Inlustres trabeas nobilitate tuas.
Plus tamen ad meritum crescit quod morte beata
Martyris effuso sanguine nomen habes.
Adiunctusque Deo, tota quem mente petisti,
Adsertor Christi sidera iure coles.
Sit precor acceptum quod post disp-ndia belli
In melius famulus restituere Florus.

Hu-

Item apud *Reinesium pag. 974. num. CCCXXXVI.*

Humano generi legem natura creatrix
Hanc dedit, ut tumulis membra sepulta tegant,
Liberis suboles patri matrique sepulcrum
Triste ministerium mente dedere pia.
Hic sunt membra quidem, sed famam non tenet urna,
Nam durat titulis nescia fama mori,
Rexit Romuleos fasces currentibus annis
Successu paritis Gallica regna tenens,
Hos non imbellis precio mercatus honores,
Sed precio maius detulit alma fides.
Ausoniis populis gentiles vite cohortes
Disposuit, sanxit foedera, iura dedit.
Cunctis mente pater suo venerabilis aeuo
Ter denis lustris proximus occubuit.
O quantum bene gesta valent! quum membra recedunt,
Nescit fama mori, lucida vita manet,

Quae tamen Epigrammata quarto saeculo antiquiora esse non videntur, licet quaedam ad res antiquioris aetatis spectent.

XX. CORNICVLARII fuerunt, qui iussa, sententias, & decreta, Praefecti Praetorio, aut Praesidis, scribebant & publicabant; erantque veluti Scribae. In militia antiqua Romana Cornicularii, genus erant militum honestiorum, qui ab galeae parasemo sic dicebantur, beneficiarii ut plurimum Tribunorum, aut Centurionum. *Martyrologium Romanum XII. KL. Septembris: Salonae Sancti Anastasii Cornicularii, qui quum videret Beatum Agapitum constanter tormenta perferentem, conversus est ad fidem, & pro confessione nominis Christi iubente Aureliano Imperatore interemtus, Martyr migravit ad Dominum.* Huius *Anastasii* Cornicularii meminimus *pag.* 298. & inter milites recensuimus. In Martyrologio quoque, & in *Actis SS. Symphoriani, Claudii, Castoris, Nicostrati, & Simplicii,* quorum tamen valde mediocris est auctoritas, occurrunt Sancti quatuor Martyres, quos *Quatuor Coronatos* adpellant, Praefecti Vrbi Cornicularii, *Seuerus* scilicet, *Seuerinus*, *Car-*

pophorus, & *Victorinus*, qui sub *Diocletiano* Principe passi sunt.

XXI. CVBICVLARII AVLICI. Vide superius *pag.* 251. 384.

XXII. CVRATORES CIVITATVM. Vide supra *pag.* 372.

XXIII. CVRATORES REGIONVM ROMAE. Inscriptio apud *Muratorium pag. MDCCCXLI.* 3.

CVRATORI R · III · BASILICO · IN · PACE ·
VIX · AN · XLIIII · M · V ·

XXIV. CVSTODES CARINARVM. Vide superius *pag.* 254. 255.

XXV. CVSTODES CVBICVLI. Vide superius *pag.* 254. 255.

XXVI. CVSTODES LATERIS Imperatoris. Vide superius *pag.* 213. 255. 386.

§. IV.

XXVII. DECANI. Vide superius *pag.* 309.

XXVIII. DECVRIONES. *Iosephus* ab Arimathia Decurio erat, quo de egimus superius *pag.* 356. S. *Philippus* Heracleae in Thracia Episcopus & Martyr, suae civitatis Decurio fuerat antequam ad Episcopatus dignitatem eveheretur, cuius Acta *Mabillonius Lib. IV. Analectorum* publici iuris fecit. Consule superius *pag.* 254.

XXIX. DISPENSATORES. Vide superius *pag.* 256.

XXX. DVCES. Quum militiae nomen darent Christiani, ut superius *pag.* 295. demonstratum est, nil mirum, si & Duces inter eos quidam exstiterunt, & reliquarum militiae dignitatum participes. Nescio an inter Duces *Paullus* Apostolus recensendus sit, qui a Principe Sacerdotum petiit epistolas in Damascum ad Synagogas, ut si quos Christi ad-

fectas inveniffet, vinctos perduceret in Ierufalem, illucque cum virorum comitatu proficifcebatur, ut *Lucas* in *Actis Cap. IX.* tradit. Error autem, aut calumnia fuit, quum Tribunus *Paulo* Ierofolymis dixit: *Nonne tu es Aegyptius, qui ante hos dies tumultum concitasti, & eduxisti in desertum quatuor millia virorum sicariorum?* ut habetur apud eumdem *Lucam Cap. XXI.* An *M. Pompeius*, cui fuum *Dialogum cum Tryphone Iustinus* Martyr infcribit, Dux Romani exercitus fuerit, dubitant quidam, qua de re ita fcribit *Ernestus Grabius Tom. II. Spicilegii pag.* 159. *Langius Interpres suspicatus est, Pompeium hunc Hadriani vel Antonini Ducem fuisse, qui Iudaicam rebellionem conuderit; quum Prudentius in Apotheosi ita adversus Iudaeos cecinerit:*

Quid mereare Titus docuit, docuere rapinis
Pompeianae acies: quibus exstirpata per omnes
Terrarum pelagique plagas tua membra feruntur.

Sed Christianum fuisse φίλτατον, cui opus hoc inscripsit Iustinus, vix dubitari potest: Pompeium autem Ducem suscepisse fidem in Christum, haud constat, imo nec verosimile est. Haec ille. *Procopii* Martyris, Ducis exercitus, Acta a *Surio* die VIII. Iulii ex *Metaphraste* proferuntur; fed forte alius hic non eft quam *Procopius* ille Martyr Amafenus celeberrimus, de quo videndus *Tillemontius Tom. V. Monum. Eccles.* Sancti *Ischyrionis* Ductoris militum meminimus fuperius *pag.* 298. *Martyrologium Romanum VI. KL. Aprilis, Amphilochii* Ducis; *VIII. KL. Maii, Sabae* Ductoris militum; *IX. KL. Iun. Meletii* Ducis exercitus; *VII. KL. Septembris, Secundi*, Viri fpectabilis & Ducis ex Legione Thebaeorum, mentionem facit. Dux militum *Marius* occurrit in Infcriptione quam fuperius *pag.* 362. protulimus.

§. V.

XXXI. ab EPISTVLIS. Vide fuperius *pag.* 257.

XXXII. EQVITES. Equites Romanos quofdam fuiffe Chri-

Christianos saeculo III, patet ex *Valeriani* Rescripto, quo de egimus superius *pag.* 236. *Aemilianus* Martyr Africanus equestris ordinis dicitur in Actis SS. *Iacobi*, *Mariani*, *&c.* apud *Ruinartum*. Vide superius *pag.* 258.

XXXIII. EVNVCHI. Vide superius *pag.* 258. ubi addendus S. *Melito* Sardianus Episcopus doctissimus, qui Eunuchus erat, natura tamen, non officio, ut scribit *Eusebius Histor. Eccles. Lib. V. Cap. XXIV.*

XXXIV. EXCEPTORES. Vide superius *pag.* 261. Exceptoris meminit Inscriptio in *Ephemeridibus Florentinis* anni MDCCL. *pag.* 383.

M · MARTIO · SEMPRONIO · PTOLEMEO EXCEPT · DVPL · VVIC ·
M · MARTIVS · MENELAVS · VETER · SCRIB · FILIO · DVLCISSIMO · ET SIBI

Sed forte Inscriptio Christiana non est.

§. VI.

XXXV. FOSSARII. Vide superius *pag.* 273.

XXXVI. FRVMENTARII. Vide superius *pag.* 280.

§. VII.

XXXVII. GAZOPHYLACES. Vide *pag.* 282. 356.

§. VIII.

XXXVIII. HYPOMNEMATOGRAPHI & HYPOMNEMATOPHYLACES. Vide superius *pag.* 185.

§. IX.

XXXIX. IMPERATORES. Primus omnium Romanorum Imperatorum *Fl. Constantinus* Christianis mysteriis initiatus, nemine contradicente, perhibetur ac noscitur, qui anno CCCXII. pacem, lege lata, Ecclesiae restituit. Post eum, omnes Imperatores Christiani fuere, perfidioso illo desertore excepto *Iuliano*, qui a divina sapientia ad Ethnicam superstitionem sacrilego perfugio defecit, & contra nos scripsit quaedam. Itaque modo mihi investigandum est, an ante *Constantinum* ulli alii Imperatores Christianum dogma amplexi fuerint; vel saltem aliqui a Christianis sacris non abhorruerint, ac erga Christianos leniter ac benigne se habuerint, eosque aliqua probarint & iuverint. In qua disquisitione, ut recta & ordine progrediamur, seriem annorum persequemur. Igitur Christus Iesus sub *Tiberio* Principe crucifixus, ut nos in veram libertatem vindicaret, & a peccati iugo redimeret, Ierosolymis lubenter occubuit: *Tiberius* autem de eo quaedam rescivit, & in Deos referre voluit, nec Christianorum sectam deinde improbavit. *Tertullianus Apologet. Cap. V.* „ Vetus erat decretum, ne qui Deus ab Imperatore consecraretur, „ nisi a Senatu probatus, ut M. Aemilius de Deo suo Alburno. Facit & hoc ad caussam nostram, quod apud vos de „ humano arbitratu divinitas pensitatur. Nisi homini Deus „ placuerit, Deus non erit: homo iam Deo propitius esse debebit. TIBERIVS ergo, cuius tempore nomen Christianum „ in saeculum introivit, adnunciatum sibi ex Syria Palaestina, „ quod illic veritatem illius divinitatis revelaverat, detulit ad „ Senatum cum praerogativa suffragii sui. Senatus, qui non in „ se probaverat, respuit: Caesar in sententia mansit, comminatus periculum accusatoribus Christianorum. „ *Eusebius Caesariensis Lib. II. Histor. Eccles. Cap. II.* quum haec eadem *Tertulliani* referre vellet, haec quae sequuntur praefatus est: „ Quum admiranda Servatoris nostri resurrectio, eiusdemque „ in coelum adscensio, omnium pene sermonibus pervulgata „ esset, quoniam vetus haec erat consuetudo provinciarum

„ Ro-

„ Rectoribus, et quicquid novi apud ipsos contigisset, Imperatori nunciarent, ne quid ipsum lateret: Pilatus de resurrectione Servatoris nostri Iesu Christi, cuius per universam Palaestinam celebris erat fama, ad Tiberium Principem retulit: multa quoque alia eiusdem miracula se auditu accepisse significans, & qualiter ad vitam denuo revocatus, a plerisque iam Deus haberetur. Ac Tiberium quidem rem ad Senatum detulisse perhibent, sed Senatum eiusmodi relationem aspernatum esse: specie quidem, eo quod Senatus auctoritas ad id non exspectata videbatur, quum tamen vetus lex esset apud Romanos, ne quis absque decreto Senatus Deus haberetur: re autem ipsa eo quod salutaris divinae doctrinae praedicatio auctoritate & auxilio hominum minime indigeret. Quum igitur Senatus relationem de Servatore nostro ita, ut dictum est, repudiasset, Tiberius tamen in pristina sententia perseverans, nihil adversus doctrinam Christi durius molitus esse dicitur. „ Idem *Eusebius* in *Chronico*: „ Pilato de Christianorum dogmate ad Tiberium referente, Tiberius retulit ad Senatum, ut inter cetera sacra reciperetur. Verum quum ex consulto Patrum Christianos eliminari urbe placuisset, Tiberius per edictum accusatoribus Christianorum comminatus est mortem. „ *Paullus Orosius Lib. VII. Cap. IV.* „ At postquam passus est Dominus Christus, atque a mortuis resurrexit, & discipulos suos ad praedicandum dimisit, Pilatus, Praeses Palaestinae provinciae, ad Tiberium Imperatorem atque ad Senatum retulit de passione & resurrectione Christi, consequentibusque virtutibus, quae vel per ipsum palam factae fuerant, vel per discipulos ipsius in nomine eius fiebant, & de eo quod certatim crescente plurimorum fide Deus crederetur. Tiberius cum suffragio magni favoris retulit ad Senatum, ut Christus Deus haberetur. Senatus indignatione motus, quod non sibi prius secundum morem delatum esset, ut de suscipiendo cultu prius ipse decerneret, consecrationem Christi recusavit, edictoque constituit, exterminandos esse urbe Christianos: praecipue quum & Seianus, Praefectus Tiberii, suscipiendae religioni obstinatissime contradiceret. Tiberius tamen edicto accusatoribus

„ Chri-

„ Christianorum mortem comminatus est. „ Haec fere omnia confirmari videntur ex eo, quod *Iustinus Martyr Apolog. I.* Imperatorem ad Acta sub *Pontio Pilato* condita amandat, ut rerum a Christo gestarum veritatem adstruat atque corroboret. Non me latet, *Tanaquilum Fabrum Tom. II. Epistol. XII.* veritatem huius rei elevare, & deceptum ista *Tertullianum* portendere; sed futiles eius rationes egregie ac praeclare confutavit *Io. Pearsonus* Episcopus Cestriensis in *Annalibus Paulinis*; & consulendus *Tillemontius* in *Petro Apostolo Artic. XIX. Tom. I. Monum. Eccles.* In sententiam tamen *Fabri* discessere non pauci, interque eos *Sigeber. Havercampus* in *Adnotat.* ad *Cap. V. Apolog. Tertulliani*, & ulterius ostendere conatus est, *Tiberium* Christianorum inimicum fuisse, productis illis *Suetonii Cap. XXXVI.* verbis: *Externas caerimonias, Aegyptios, Iudaicosque, ritus compescuit....... Iudaeorum iuventutem per speciem sacramenti in provincias graviores caeli distribuit, reliquos gentis eiusdem, vel similia sectantes, Urbe submovit, sub poena perpetuae servitutis, nisi obtemperassent.* Addit vero *Havercampus*, *Iusti Lipsii* vestigiis insistens: *Hic per similia sectantes nulli nisi Christiani intelligi possunt.* Ast ipse neque id facile concesserim, quum Romae tunc Christiani nulli essent; quod & *Petr. Burmannus* probat; & *Tiberius* diversis temporibus diversa quoque constituere potuit; nisi potius illud Senatus auctoritate iussum est, ut *Tacitus* quidem scribit. CAIUS, qui *Tiberio* in imperio successit, nullam in Christianos persecutionem movit, sed eos in sua ditione toleravit. De CLAVDIO tamen *Suetonius Tranquillus* ita *Cap. XXIV.* scriptum reliquit: *Iudaeos impulsore Chresto assidue tumultuantes Roma expulit.* At incertum, si *Ant. Vandalio, Volfio, Burmanno*, aliisque, fidem habemus, an heic de *Christo Iesu*, an potius de homine aliquo *Chresto* nuncupato, sermo sit. Verum etsi *Christi*, & novae religionis, caussa Iudaei tumultuarentur inter se, Iudaeorum nomine heic venire Christianos non arbitror, quum *Petrus* fortasse tunc Romam nondum venisset; *Paullus* autem nonnisi sub *Nerone* Romam profectus est. Sed & si a *Suetonio* de Christo Servatore agitur, Iudaeos tamen genere tantum Roma expulsos fuisse dicendum videtur, non

au-

autem Christianos, qui ex gentibus nova sacra susceperant: nam *Lucas* ipse *Actor. Cap. XVIII.* luculenter indicat, ad Iudaeos tantum edictum illud pertinuisse, ex quibus si qui Christianum dogma amplexi essent, non novi ritus caussa, sed Iudaicae gentis praetextu, Roma aufugere coacti sunt. Id etiam sensit magnus *Caesar Baronius ad annum LI.* ubi ita scribit: *Caeterum non tantum Suetonio auctore, quem citat (Orosius) exploratum habetur, Iudaeos a Claudio Roma esse expulsos; sed & Lucae Evangelistae testimonio id firmissime comprobatur, ac certum redditur, Christianos etiam, qui ex Iudaeis Christi fidem secuti essent, ex urbe procul abire iussos esse. Dum enim agit de Pauli adventu Corinthum, meminit de Aquila Pontico, Iudaeo genere, sed fide Christiano: quem dicit nuper venisse ex Italia cum uxore Priscilla, eo quod praecepisset Claudius discedere omnes Iudaeos a Roma.* Sed hic animadvertendum, exploratum non esse, an *Aquila* & *Priscilla*, quum Roma abscessere, Christiani iam essent: ipse enim potius existimo, *Paulum*, quum Corinthum adpulisset, in illius Iudaei domum ob artis communionem divertisse, & Christianis mysteriis eum una cum uxore tunc initiasse. Non enim *Lucas* dicit, Apostolum apud eos mansisse, quia Christiani essent, sed scribit: *Et quia eiusdem erant artis, manebat apud eos, & operabatur: erant autem scenofactoriae artis.* Meae sententiae non obstat *Paulus Orosius Lib. VII Cap. VI.* Ita enim scribit: *Anno eiusdem nono expulsos per Claudium urbe Iudaeos, Iosephus refert. Sed me magis Suetonius movet, qui ait hoc modo: Claudius Iudaeos, impulsore Christo, assidue tumultuantes Roma expulit. Sed utrum contra Christum tumultuantes Iudaeos coerceri & comprimi iusserit, an etiam Christianos simul, velut cognatae religionis homines, voluerit expelli, nequaquam discernitur.* Aliam caussam expulsionis Iudaeorum dant *Hugo* & *Lyranus*, nimirum, quod *Messalinam*, Claudii uxorem, pellexissent ad Iudaismum: nam simili de caussa *Tiberius* eosdem Roma proscripserat, eo quod *Fulviam*, *Saturnini* Senatoris uxorem, ad Iudaismum traduxissent, ut *Iosephus Lib. XVIII. Antiquit. Cap. IV. & V.* memoriae prodidit: sed unde id Interpretes illi hauserint, ignoro prorsus. Si autem id constaret, minus alienus a Christiano

[illegible]

nomine *Claudius* fortasse censendus esset, adfinem religionem in coniuge demiratus. At si minus hoc, illud tamen manifeste evincit, *Claudium* Christianos in suis regno & in ipsa Vrbe, toleravisse, quod nemo antiquorum Scriptorum inter Christianae sectae persequutores eum recensuerit; quod non fecissent, si exilio saltem Christianos multavisset. Et eo magis ad verum mihi esse videtur, quo *D. Lucas* disertius Iudaeos tantum Roma abscedere iussos fuisse dicit, nihil de Christianis hominibus addens; quod silentio praetereundum non videbatur. Vtcumque autem se res habeat, compertum habemus, NERONE imperante, Iudaeos iterum Romam convenisse, ibique libere permansisse, id perspicue & luculenter tradente eodem *Luca Actor. Cap. XXVIII.* Nec minus Christiani ibi tranquille & secure vivebant; nam quum *Paullus* advenisset Puteolos, ibi Christiani eum exceperunt, & dies septem apud se detinuerunt; & Romam accedenti Christiani pariter occurrerunt usque ad Appii Forum, & Tres Tabernas; qui quidem homines a *Petro* Apostolo Christianae legis sapientia eruditi fuisse videntur: *Petrus* enim saltem sub imperii *Claudii* exitum, aut *Neronis* initium, Romam se contulit. *Nero* igitur diu Christianos in Vrbe tulit; & *Paullus* Romam ingressus, mansit ibi *biennio toto in suo conducto, & suscipiebat omnes, qui ingrediebantur ad eum, praedicans regnum Dei, & docens quae sunt de Domino Iesu Christo, cum omni fiducia SINE PROHIBITIONE*, quae sunt verba *Lucae* laudati; quaeque latius exposuimus superius *pag.* 216. 217. 218. *Paulli* praedicationis in Vrbe progressus fructusque demonstrantes. Huc respexisse *Tacitum Lib. XV. Annalium* puto, ubi de Christianis, & *Neronis* in eos crudelitate, agens scribit: *Repressaque in praesens exitiabilis superstitio, rursus erumpebat, non modo per Iudaeam, originem eius mali, sed per Vrbem etiam &c.* Repressam autem dicit usque ad ea tempora Christianam religionem, quod eam forte cum Iudaica confunderet, eo quod *Tiberius* primum, deinde *Claudius*, Iudaeos omnes Roma expulissent: & quia forte Senatus *Tiberio* Christum Romanis Diis accensere volenti pertinacius obstiterat, quare usque ad *Petri* & *Paulli* praedicationem Christianum dogma vix Romae profecerat. Non mirum autem si *Paullus* Evangelii ad-

adnuntiandi libertatem facile nactus est, quum multos Aulicos persuasisset, ut superius *pag.* 216. 217. ostendimus; & dilectam ipsam *Neronis* concubinam Christianam effecisset, quod superius pariter *pag.* 98. 320. 358. 374. dictum fuit. Quae vero illa concubina fuerit, ita *Baronius ad ann. LIX. n. VIII.* dat intelligere: *Porro concubina illa Neronis, cuius Chrysostomus meminit, creditur fuisse Poppaea Sabina, quae prae ceteris ab eo in deliciis haberetur.* Nec mirum esset, si *Poppaea* Christianis ritibus aliquatenus inhaesit, quum eam Iudaei ante sibi adeo conciliavissent, ut eius ope & gratia, qui missi fuerant Legati pro templo adversus *Agrippam* Regem, a *Nerone* Rescriptum acceperint, ut *Iosephus Lib. XX. Antiq. Cap. VII.* memoriae prodidit. Christiana autem Religio Iudaicae cognata videbatur, adeoque facilis erat ad eam transitus illis, qui Iudaicis ritibus aliquo modo favissent; quod *Zenobiae* etiam Reginae Palmyrenorum exemplum ostendit, qua de latius agemus inferius. At *Poppaeam* non fuisse illam concubinam, arbitror; nam *Chrysostomus Lib. I. Advers. Vituperat. Vitae Monast.* hanc non tam pellicem, quam uxorem, vel nominasset, vel disertioribus verbis indicasset, quam reapse fecerit. *Pellicem enim eius* (Neronis), *quam ille deperibat, atque in deliciis habebat, quum induxisset* (Paullus) *Fidei ac Religionis sacramenta suscipere, persuaserat una incestum illum impurumque congressum declinare: haec inquam ille crimina obiectans, corruptoremque nequam, flagitiosum, ac nebulonem, ac his similia, quae vos modo perstrepitis, Paullum vocitans, primum coniecit in vincula: quum vero, ut puellae huiuscemodi monita atque consilia dare desineret, persuadere non posset, necavit eumdem.* Haec *Chrysostomus*. At tanta Ecclesiae tranquillitas non perduravit, quum *Nero* tandem anno LXVI. *in hanc sectam tunc maxime Romae orientem Caesariano gladio ferocisset*, quae sunt *Tertulliani Cap. V. Apologetici* verba. Si vera autem est de *Simone Mago*, quae per ora omnium volitat, historia, & eius cum *Petro* Apostolo sub *Nerone* certamen, in ipso persequutionis fervore, vel ab Christiano haeresiarcha Imperator & Populus Romanus non abhorruerit, cui & statuam in Insula Tiberina erexerunt, *Iustino* Martyre, *Irenaeo*, & *Tertulliano*, aliisque

antiquis Scriptoribus, testibus locupletissimis. (149) A *Nerone* ad VESPASIANVM transiliam, quem a *Petro* & *Paullo* fuisse praenunciatum, scribit *Lactantius Lib. IV. Divin. Instit. Cap. XXI.* his verbis. *Futura aperuit illis omnia, quae Petrus & Paullus Romae praedicaverunt: & ea praedicatio in memoriam scripta permansit; in qua cum multa alia mira, tum etiam hoc futurum dixerunt, ut post breve tempus immitteret Deus Regem, qui expugnaret Iudaeos, & civitates eorum solo adaequaret, ipsos autem fame sitique confectos obsideret.* Si minus autem *Vespasianus* Christianos homines novit, aut dilexit, certe inscius & imprudens, Iudaea capta, & Ierosolymis eversis, Christi mortem ultus est; & Christianos serena pace, & diebus Alcyoniis, frui sub suo imperio permisit: nam, si *Baronio ad Annum LXXVII. num. III.* fides, non alia de caussa Paci templum dedicaverat, quam quia ex oraculis noverat, pacis Regem per haec tempora adfuturum fuisse, qui universo terrarum orbi dominaretur: atque ea Iudaeorum Prophetarum vaticinia in se transferre conatus est; atque ita de Christo aliquid, quomodocumque acceperit, ille resciverit, & quae illius erant probaverit. *Sed certe*, inquit, *eam huius rei gerendae caussam conjectura haud contemnenda significat: nimirum, quod, ut superius dictum est, Iudaeorum ac Iosephi praesertim Historici adulatione, ipsum illum se esse Regem persuasus, qui ex Iudaea proditurus, universo dominaretur orbi (quod de Christo dictum a Prophetis erat) omnia pariter, quae de illo praedicta erant, in se transferre curaverit . . . . In hunc modum Vespasianus adfectus animo, quod audisset in oraculis esse, illum ipsum Regem, Pacis Principem nominandum; & in immensum fore ab eo propagandum imperium, pacisque inde nullum futurum esse finem . . . . eadem, perinde ac de se dicta essent, a Iosepho oblata sibi sumens, celeberrimum omnium templum erigens, Paci Aeternae dicavit &c.* Nec obstant quae de martyriis Christianorum quorumdam sub *Vespasiano* memorantur: ea enim cuncta dubia admodum & incerta sunt: nec martyrium ullum sub

(149) Consule V. Cl. *Pet. Francisc. Fogginium De Romano D. Petri Itinere, & Episcopatu Exercitatio XII.* Et *Part. III. Praefatione in novam Editionem Operum D. Augustini a Monachis Benedictinis curatam.* Qui contraria sentiunt, conjecturis pugnant, nec veterum disertissima testimonia, vel infirmant, vel evertunt.

sub eo unquam contigisse evidenter probari potest. Quod si superius pag. 303. in antiqua Inscriptione *Vespasianus divus* adpellatur, quasi *Gaudentium* quemdam Christianum morte adfecisset; vel ibi *Vespasianus* haudquaquam legendum, ut *Reinesius* contendit; vel Inscriptio ad *Domitianum* referenda est, qui pariter *Vespasianus* dictus reperitur, ut recte observat *Sigeb. Havercampus* in *Adnotat. ad Apolog. Tertul. Cap. I. num. 37.* Ad eum *Aringhius* quoque retulerat; quod confirmatur a *Mamachio Lib. II. Orig. & Antiquit. Christianor. Cap. VIII. §. II. n. II.* Constat igitur, quod *Eusebius Lib. III. Hist. Eccles. Cap. XVII.* scriptum reliquit, patrem scilicet *Domitiani Vespasianum* nullam unquam iniuriam Christianis inferre tentasse, & ne cogitavisse quidem, *μηδὲν καθ' ἡμῶν ἄτοπον ἐπινοήσαντος*. Si igitur multi Christiani in *Neronis* aula versabantur; multos quoque in *Vespasiani* Palatio, Regis pacem cunctis largientis, exstitisse credibile est: & multo plures in TITI eius filii, qui post eum imperavit. *Titus* enim, qui mitis ac beneficentissimus fuit, Christianos nec infectatus est, nec ab aliis vexari permisit, ut ex disertissimis *Dionis* verbis intelligitur. *Non modo Senatorem*, inquit, *quamdiu principatum tenuit, nullum interfeci iussit, sed nec alius quisquam sub eius imperio morte adfectus est. De crimine IMPIETATIS ἀσεβείας nunquam cognovit, NEC PERMISIT aliis, ut cognoscerent.* Athei autem & impii passim habebantur & dicebantur Christiani, ut superius pag. 341. opportune observabamus. At non talis fuit semper in Christianos DOMITIANUS, sed eos tandem crudelissime persequutus est. Nihilominus in sua cognatione, & aula, fuerunt Christiani quamplurimi, de quibus egimus superius pag. 341. 345. 361. 362. 374. & si *Hegesippo* apud *Eusebium*, *Tertulliano* in *Apolog. Cap. V.* fides, ipse tandem persequutionem repressit, & relegatos ab exsilio revocavit. Nunc autem quaerimus, an *Clementis* & *Domitillae* filii, quos successores *Domitianus* palam destinaverat, & abolito priore nomine, alterum *Vespasianum* adpellare iusserat, alterum *Domitianum*, ut *Tranquillus* scribit, Christiani existimandi sint? item *Domitilla*, cuius mentio in Inscriptione quam pag. 375. produximus? Id quidem ego censeo, non enim credibile est, *Domitillam*, si nondum *Clemens* Chri-

stianus erat, filios in incredulitate & idololatria, ex quibus ipsa feliciter emerserat, relinquere voluisse. Non autem *Edmundo Verrio* consentire possum opinanti, *Fl. Clementem*, postquam consulatu abdicavit, Christianis sacris initiatum fuisse; quum compertum habeamus, eum in ipso consulatu occisum fuisse, ut viri docti perspicue demonstraverunt, & inter eos *Mamachius Lib. II. Origin. & Antiquit. Christian.* in *Parergo*. Sed forte *Clemens* & ante consulatum Christianus fuit, nec sacrificia peragenda a Consulibus eum a capessendo magistratu prohibuerunt. NERVA successor acta *Domitiani* rescidit, & relegatos ab exilio sine controversia revocavit, sive potius Senatus decrevit, ut omnia, quae *Domitianus* statuerat, in irritum deducerentur, ut habet *Eusebius* in *Chronico*. At si *Dionis* verba attendenda sunt, *Nerva* adeo Cristianis favit, ut eos speciatim in patriam postliminio restitueret. *Ceterum Nerva*, inquit, *omnes, qui impietatis in Deos rei fuerant, absolvi voluit, & exsules in patriam reduxit*: quod & *Paulus Orosius* insinuat. Et paullo post: *Edicto vetuit ne liceret, aut impietatis, aut Iudaicae sectae, quempiam deferre insimulari*. Christiani autem per ea tempora cum Iudaeis passim confundebantur, ut superius *pag.* 341. opportune innuimus. *Nervae* successor TRAIANVS Christianos quidem persequutus est, sed *Plinius Secundus*, verba sunt *Tertulliani Cap. II. Apolog. quum Provinciam* (Bithyniam) *regeret, damnatis quibusdam Christianis, quibusdam gradu pulsis; ipsa tamen multitudine perturbatus, quid de cetero ageret, consuluit tunc Traianum Imperatorem; adlegans praeter obstinationem non sacrificandi, nihil aliud se de sacramentis eorum comperisse, quam coetus antelucanos ad canendum Christo ut Deo, & ad confoederandam disciplinam, homicidium, adulterium, fraudem, perfidiam, & cetera scelera prohibentes. Tunc Traianus rescripsit: hoc genus inquirendos quidem non esse, oblatos vero puniri oportere*. Eadem habet *Eusebius Lib.* III. *Hist. Eccles. Cap.* XXXIII. & in *Chronico*, & *Paulus Orosius Lib.* VII. *Cap.* XII. & nos quaedam attigimus superius *pag.* 194. Sed *Traiani* Rescriptum ex *Lib. X. Epistolarum Plinii num.* IIC. producamus: „ Actum, quem debuisti, „ mi Secunde, in excutiendis caussis eorum, qui Christiani „ ad te delati fuerunt, sequutus es. Neque enim in universum

„ ab-

„ aliquid, quod quasi certam formam habeat, constitui po-
„ test. Conquirendi non sunt: si deferantur & arguantur,
„ puniendi sunt. Ita tamen, ut qui negaverit, se Christianum
„ esse, idque reipsa manifestum fecerit, idest, supplicando
„ diis nostris, quamvis subspectus in praeteritum fuerit, ve-
„ niam ex poenitentia impetret. Sine auctore vero propositi
„ libelli, nullo crimine locum habere debent: nam & pessimi
„ exempli, nec nostri saeculi est. „ Exclamabat heic *Tertullia-
nus: „ O sententiam necessitate confusam! negat inquirendos,
„ ut innocentes; mandat puniri, ut nocentes. Parcit, & sae-
„ vit: dissimulat, & animadvertit. Quid temetipsum censura
„ circumvenis? Si damnas, cur non & inquiris? Si non
„ inquiris, cur non & absolvis? „ Et quidem, ut ait *Euse-
bius „ hoc ubi factum est, & si fervor persequutionis acerbae
„ in nos intentatae quodammodo extinctus fuit; tamen his,
„ qui nobis mali aliquid ingerere cupiebant, non minor relicta
„ videbatur occasio, dum hic quidem populi, illic autem
„ Provinciarum Praesides, parabant insidias, sic, ut quam-
„ vis palam & aperte non persequerentur, sigillatim tamen
„ in quacumque provincia suam in nos redintegrarent cru-
„ delitatem, & complures fideles pro Christo decertantes va-
„ riis martyrii generibus obtruncarentur. „ Itaque non mul-
tum profuit adflictis divexatisque Christianis hoc Rescripto *Tra-
ianus*; plus profuit, quum circa sui imperii finem, puniri
amplius Christianos edicto prohibuit. Scribit enim *Suidas* v.
Traianus. „ Tiberianus, qui primae Palaestinorum genti praee-
„ rat, ad Traianum retulit, se non parem esse Christianis oc-
„ cidendis, qui ultro supplicia adpeterent. Unde Traianus
„ omnibus Praefectis suis mandavit, ne suppliciis eos adfica-
„ rent. „ Sed si haec *Suidae* constant, non tamen hinc vero-
similitudo ulla exoritur, quae probabilitatem aliquam concilies
fabulae, quae diu obtinuit, *Traianum*, *Gregorii Magni* precibus,
fuisse poenis solutum, quae aeternae esse deberent: & de qua
vide quae indicat *Mamachius Lib. II. Orig. & Antiq. Christian.
Cap. XXI. §. IV.* HADRIANUS, licet, vestigiorum *Traiani* in
procurando Imperio sectator, persequutionem contra Christianos
statim non cohibuerit, quaedam tamen praecepit, quae eam fal-
tem

tum mitiorem redddiderint. Hunc enim *Quadratus* Episcopus Atheniensis oratione coram habita compellavit; & Apologiam, quam pro nostrae religionis defensione propterea conteuerat, quod nonnulli nequam & perditi homines nostris molestiam facessere conarentur, ei obtulit. *Aristides* etiam Scriptor fidelis, & nostrae religionis institutis imbutus, Apologiam pro fide nostra scripsit post se relictam: quam quidem *Hadriano* dedicavit, ut *Quadratus* antea suam, ut scribit *Eusebius Lib. IV. Histor. Eccles. Cap. III.* Eadem de iisdem memoriae prodidit Sanctus *Hieronymus* agens de Scriptoribus Ecclesiasticis, & in *Epistola ad Magnum Oratorem*, ubi quantum illi, & in primis *Quadratus*, profecerint apud Imperatorem, & concitatum eius in Christianos animum cohibuerint, declarans haec ait. *Quadratus Apostolorum discipulus, & Atheniensis Pontifex Ecclesiae, nonne Hadriano Principi Eleusinae sacra invisenti librum pro nostra religione tradidit? Et tantae admirationi omnibus fuit, ut persecutionem gravissimam illius excellens sedaret ingenium? Aristides Philosophus, vir eloquentissimus, eidem Principi Apologeticum pro Christianis obtulit contextum Philosophorum sententiis.* Sed Hadrianum mitiorem effectum, ad concedendam pacem Ecclesiae, impulerunt insuper Literae *Sereni Graniani* antea redditae. Nam *Eusebius* haec scribit in *Chronico*: *Et Serenius Granianus Legatus, vir apprime nobilis, literas ad Imperatorem mittit, iniquum esse dicens, clamoribus vulgi innocentissimorum hominum sanguinem concedi, & sine ullo crimine, nominis tantum & sectae reos fieri. Quibus commotus Hadrianus, Minucio Fundano Proconsuli Asiae scripsit, sine obiectu criminum Christianos non condemnandos; cuius Epistolae usque ad nostram memoriam durat exemplum.* Haec omnia confirmat *Orosius Lib. VII. Cap. XIII.* scribens: *Hic per Quadratum discipulum Apostolorum, & Aristidem Atheniensem, virum fide sapientiaque plenum, & per Serenum Granium Legatum, libris de Christiana religione compositis, instructus atque eruditus, praecepit per Epistolam ad Minucium Fundanum Proconsulem Asiae datam, ut nemini liceret Christianos sine obiectu criminis aut probatione damnare.* Porro etsi Epistola *Sereni Graniani* non extat, Epistolam tamen *Hadriani* ad *Minucium Fundanum*, a *Sancto Iustino* Martyre in

Apo-

Apologia ad Antoninum Pium descriptam habemus; ante cujus initium ita ad Imperatorem praefatur. „ Etsi ex Epistola Hadriani patris vestri, Caesaris maximi & illustrissimi, possumus a „ vobis jure repetere, ut judicia de Christianis ex ea formu„ la, quam postulavimus, fieri mandetis: illud tamen non tam „ postulavimus, quod ab Hadriano constitutum sit, quam quod „ pro certo intelligimus illud ipsum, quod a nobis postula„ tum est, justum aequumque existere. Atque ut certius co„ gnoscatis hoc nos vere commemorare, Epistolae Hadriani „ exemplar subjunximus, quod quidem ita se habet:

„ Minutio Fundano S. Epistolam a Sereno Graniano viro „ clarissimo, in cujus locum tu ipse subrogatus es, scriptam „ accepi. Atque mihi sane videtur res causaque non sine accu„ rata inquisitione praetermittenda, ne tum homines Christiani „ conturbentur, tum calumniatoribus sceleris in eos admittendi „ facultas praebeatur. Si igitur provinciales pro sua postula„ tione quicquam vere ac manifesto adferre, adfirmareque, „ contra Christianos possint, ita ut pro tribunali respondeant: „ eo se solum convertant, eo spectent; non autem petitionibus „ & solis clamoribus utantur. Immo vero multo magis par „ est, si quis cuiquam crimen velit intendere, ut tu de illo „ diligenter cognoscas: & si a quoquam Christiani homines „ in judicium vocentur, ostendanturque aliquid contra leges „ agere: tu ita, prout criminis ratio & modus postulat, „ decidito. At mehercule, si quisquam, quo eos calumnie„ tur, id tentaverit; tu cogitationem suscipe de hac crudeli „ agendi ratione, & sedulo prospicito, ut debitas poenas „ luat. „ Porro non solum ad Asiae Proconsulem haec rescripsit *Hadrianus*, sed ad alios etiam provinciarum Praesides, ut testatur *Melito* Sardensis Episcopus in Libello, quem obtulit *Marco Aurelio* Imperatori, sic dum beneficia ejus parentum in Christianos commemorat dicens: *In quorum numero Hadrianus Avus tuus, cum aliis multis, tum Fundano Proconsuli Asiae, litteras scripsisse constat*, ut apud *Eusebium Lib. IV. Hist. Eccles. Cap. XXVI.* legere est: quodque confirmatur ex iis, quae habet Rescriptum *Antonini Pii* inferius producendum. Quid dicam, *Hadrianum* adeo a Christiana religione non abhorruisse, ut

ut Christo templa dedicare deliberaverit, ut testatur *Lampridius*, cuius verba protulimus superius *pag.* 364. Non minus Christianis aliquo modo favit ANTONINUS PIUS, qui post *Hadrianum* imperium excepit, nam quum illi *Iustinus* Martyr suam Apologiam pro Christianis scripsisset, *Antoninus* Gentiles a Christianorum persequutione dato Rescripto cohibuit. Erat autem Rescriptum huiusmodi, ut habetur in fine *Apologiae Iustini*, & apud *Eusebium Lib. IV. Cap. XIII.* apud quem tamen titulus depravatus esse videtur *Baronio ad annum CLIV. num. V.* & viro doctissimo *Thomae Mariae Mamachio Lib. II. Originum & Antiquitatum Christian. Cap. VII. § I. pag.* 381. ubi ita scribit: „ Ex Acatholicis Scaliger, Pearsonus, Dod-
„ wellus, Grabius, Moylius; ex Orthodoxis autem Valesius,
„ Pagius, Huetius, aliique, edictum *ad Commune Asiæ* non An-
„ tonino Pio, sed Marco Antonino, acceptum referunt. Contra
„ magnus Baronius, Petrus Halloixius, & Iosephus Augustinus
„ Orsius, Antonino Pio esse tribuendum censent. Eusebius *Lib.*
„ IV. *H. E. cap.* XII. *& seq. edit. Cantabr. Interpellatus*, inquit,
„ *idem Imperator* (Antoninus Pius) *ab aliis fratribus in Asia*
„ *commorantibus* . . . . *ad Commune Asiæ huiusmodi constitutionem*
„ *scripsit &c.* At mihi quidem videtur incredibile, Eusebium,
„ qui plane sciret Antoninum Pium diversum a Marco Aure-
„ lio Antonino fuisse, labi adeo turpiter potuisse, ut adscribe-
„ ret priori ea, quæ Marci Aurelii nomen præferrent, huiusque
„ revera propria essent. Itaque quod Grabius in *Not. ad* I. *Iu-*
„ *stini Apolog. pag.* 136. scribit, adpositum ad marginem a libra-
„ rio perito M. Aurelii nomen fuisse, quod deinde in textum ir-
„ repserit; hoc ego subspicor factum ab imperito librario fuis-
„ se, qui Armeniaci quoque epitheton addiderit. Itaque sic Eu-
„ sebium inscriptionem Epistolae ad Commune Asiae legisse ar-
„ bitror, ut in calce Apologiae Iustini, quae secunda dicitur, ex-
„ hibetur: *Imperator Caesar Titus AElius Hadrianus Antoninus*
„ *Augustus Pius Pontifex Maximus Tribunic. Potestat.* XV. *&c.* At
„ Melito Sardensis, inquiunt Adversarii, in suo ad Marcum Au-
„ relium Apologetico libro, etsi epistolarum ad varias civitates
„ ab Antonino Pio scriptarum meminerit, huius tamen ad Com-
„ mune Asiae non meminit; quod numquam fecisset, si ad

Com-

„ mune Asiae Antoninus Pius scripsisset. Ego vero nescio an
„ hi, qui Apologeticon Melitonis numquam viderunt, quum
„ iniuria temporum interciderit, oculatiores esse Eusebio pos-
„ sint, qui vidit. Atque Eusebius, ut retulit litteras ad Com-
„ mune Asiae ab Antonino Pio scriptas, mox addit: *Haec*
„ *quidem ita gesta esse, Melito Ecclesiae Sardensis Episcopus,*
„ *qui iisdem temporibus floruit, perspicue testatur in Apologe-*
„ *tico illo longe utilissimo, quem ad Imperatorem Verum pro re-*
„ *ligione nostra conscripsit.* Quod si in fragmento, quod ex
„ Apologetico Melitonis alio loco Eusebius profert, non fit
„ huiusce epistolae mentio; parvi refert. Nam Eusebius, qui
„ uno loco, ut vidimus, dixit, memoratam epistolam eam
„ fuisse a Melitone; repetere, quae in eodem Apologetico
„ de iisdem rebus erant, non aequum duxit. „ En igitur Re-
scriptum ipsum: „ Imperator Caesar M. Aurelius Antoninus
„ Aug. Armenicus, Pontifex Maximus, Tribuniciae Potestatis
„ XV. Consul III. Communi Asiae S. Equidem scio Diis ipsis
„ curae esse, ne huiusmodi homines lateant. Multo enim ma-
„ gis illi convenit punire eos, qui colere ipsos recusant,
„ quam vobis. Qui eorum, adversus quos tumultuamini, sen-
„ tentiam ac propositum amplius confirmatis, dum eos ac-
„ cusatis tamquam impios. Illis autem longe optabilius fuerit,
„ ut in ius vocati mortem oppetere videantur pro Deo suo,
„ quam ut incolumes remaneant. Ita victores evadunt, ani-
„ mas suas potius proiicientes, quam ut ea facere, quae vos
„ iubetis, in animum suum inducant. Ceterum de terraemo-
„ tibus, qui vel facti sunt, vel etiamnum fiunt, non absurdum
„ videtur vos commonere, qui & animos abiicitis, quoties
„ huiusmodi casus contingunt, & vestra cum illorum institutis
„ comparatis. Atque illi quidem maiorem tunc fiduciam in
„ Deo collocant. Vos vero per omne illud tempus, quo prae
„ imperitia labi mihi videmini, Deos negligitis: & tunc alias
„ caeremonias insuper habetis, tum cultum immortalis illius.
„ Et Christianos, qui illum venerantur, expellitis, & ad mor-
„ tem usque infestius perurgetis, Porro de his hominibus plu-
„ rimi Provinciarum Rectores Divo Patri nostro antea scripse-
„ runt; quibus ille rescripsit, eiusmodi homines nulla molestia

„ adiiciendos esse, nisi forte contra statum Imperii Romani
„ aliquid moliri viderentur. Sed & multi ad me de illis re-
„ tulerunt: quibus ego Patris mei constitutionem sequutus
„ respondi. Quod si quis adhuc pergit cuiquam illorum ne-
„ gotium facessere ex eo quod Christianus sit, delatus quidem
„ crimine absolvatur, tametsi constet eum reipsa Christianum
„ esse; delator autem ipse poenas luat. „ Hactenus Rescriptum, quod propositum fuit Ephesi in publico Conventu Asiae, ut apud *Eusebium* ipse *Melito* Ecclesiae Sardensis Episcopus, qui iisdem temporibus floruit, perspicue testatur in Apologetico illo longe utilissimo, quem, ut dixi, ad Imperatorem *Verum* pro religione nostra conscripsit. Interpellatus enim fuerat Imperator a fratribus in Asia commorantibus, qui omni iniuriarum genere a provincialibus iniquissime vexabantur. Quod si minus Rescriptum illud ad *Antoninum Pium* pertinet, & *M. Aurelii* potius est, ut multi iam indicati pertendunt, non omisit tamen *Antoninus Pius* similia Rescripta pro Christianis dare; nam ad *M. Aurelium* laudatus *Melito* in eodem Apologetico ita scribit: *Pater quoque tuus, quo tempore cuncta simul tum ipso administrabat, scripsit ad Civitates ne contra nos tumultus concitarent: nominatim ad Larissaeos, ad Thessalonicenses, ad Athenienses, ad universos denique Graecos;* ut apud laudatum *Eusebium Lib. IV. Histor. Eccles. Cap. XXVI.* videre est. Sed si minus illa subsistant, erga Christianos tamen benevolum & beneficum aliqualiter MARCUM AURELIUM successorem ostenderent, quae idem *Baronius ad annum CLXIII.* de *Abercio* Hierapoleos Episcopo refert, eius Actorum apud *Metaphrasten* auctoritate abusus, nisi Acta illa multis exceptionibus merito obnoxia essent. Neque hic Imperator primum legem ullam contra Christianos sancivisse videtur; & siqua in eos tunc persequutio efferbuit, id a Magistratibus & Praesidibus provinciarum veteres leges & edicta exsequentibus actum est: sed postea edicta ab eo contra Christianos promulgata fuisse *Baronius ad Annum* CLXIV. confirmat. Hac de caussa *Iustinus* Martyr secundam pro Christianis Apologiam scripsit, quae non multum profuit, nam & ipse paullo post martyrium fecit, & persequutio non deferbuit. *Apollinaris*

quo-

quoque Hieropolitanus Episcopus Orationem ad *M. Aurelium* Imperatorem scripsit, ut *Eusebius Lib. II. Histor. Eccles. Cap. XXVII.* tradit, quae quantum Christianis profuerit, ignoramus. *Athenagoras* etiam Apologiam exaravit, & legationem pro Christianis suscepit, Imperatoribus *M. Aurelio Antonino* & *Aurelio Commodo* inscribens; sed, ut videtur, ea exoptato fructu caruit, nam Gentiles a persequendis Christianis, quamd *M. Aurelius* vixit, minime abstinuerunt. Tandem in Marcomannico bello ea fuerunt merita Legionis Militinae, quum pereundi siti exercitui Romano pluviam a Deo suis precibus obtinuit, ut Imperator beneficium adgnoverit, & Christianos remuneratus sit, persequutionem aliquandiu coercens. Pluribus de his agit *Baronius ad Annum* CLXXVI. & ad eum *Pagius*; & a *Baronio* hac de re *M. Aurelii* litterae ad Senatum referuntur, n. XXI. quas subposititias & adulterinas esse, eruditiores omnes consentiunt. Ceterum res ipsa veritate non caret. *Tertullianus* enim *Apologetici Cap. V.* ita scribit: „ Ceterum de tot ex„ inde Principibus usque ad hodiernum, divinum humanum„ que sapientibus, edite aliquem debellatorem Christianorum. „ At nos e contrario edimus protectorem: si litterae Marci „ Aurelii gravissimi Imperatoris requirantur, quibus illam Ger„ manicam sitim, Christianorum forte militum precationibus „ impetrato imbri, discussam contestatur. Qui sicut non palam „ ab eiusmodi hominibus poenam dimovit, ita alio modo pa„ lam dispersit, adiecta etiam accusatoribus damnatione, & „ quidem tetriore. „ In libro autem ad *Scapulam Cap. IV.* ita ait: *Marcus quoque Aurelius, in Germanica expeditione, Christianorum militum orationibus ad Deum factis, imbres in siti sua impetravit.* *Eusebius* autem *Lib. V. Histor. Eccles. Cap. V.* haec tradit: „ Marcum Aurelium Caesarem, quum adversus Ger„ manos & Sarmatas pugnaturus aciem instrueret, & exerci„ tus ipsius siti premeretur, pene ad inopiam consilii reda„ ctum esse, memorant. Tum vero milites Legionis Melıti„ nae, quae fidei merito etiamnum manet, dum acies adver„ sus hostes ordinatur, flexis in terram genibus, ut nostris „ orantibus mos est, preces ad Deum fudisse perhibentur. „ Cuius spectaculi novitate hostibus stupefactis, aliud quid-

„ dam longe maiori dignum admiratione accidisse narrant :
„ hunc quidem fulminum ictus, quibus hostium copiae in fu-
„ gam versae, atque extinctae sint : illinc vero imbrium vim,
„ quibus exercitus eorum, qui Deum precati fuerant, iam
„ iam siti periturus, praeter spem recreatus est. Atque ea
„ res, tum a Scriptoribus a fide nostra penitus alienis, qui-
„ bus curae fuit res eo tempore gestas memoriae mandare,
„ tum a nostris etiam hominibus refertur. Sed Gentilium Scri-
„ ptores, utpote a religione nostra diffidentes, hoc quidem
„ miraculum commemorarunt ; non tamen id nostrorum pre-
„ cibus factum esse confessi sunt. Nostri vero, utpote veri-
„ tatis cultores, simpliciter atque ingenue rem ipsam literis
„ tradiderunt. Ex his est Apollinaris, qui Legionem ipsam,
„ cuius precibus id miraculum perpetratum est, exinde con-
„ gruo rei vocabulo Fulmineam ab Imperatore cognominatam
„ esse scribit. Sed & Tertullianus &c. „ Idem auctor in *Chro-
nico* eamdem rem his verbis testatam reliquit : „ Imperator
„ Antoninus, multis adversum se nascentibus bellis, saepe ipse
„ se intererat, saepe duces nobilissimos destinabat : in quibus
„ semel perniciter exercitui, qui cum eo in Quadorum re-
„ gione pugnabat, siti oppresso, pluvia divinitus missa est :
„ quum e contrario Germanos & Sarmatas fulmina perseque-
„ rentur, & plurimos eorum interficerent. Extant litterae
„ Marci Aurelii gravissimi Imperatoris, quibus illam Germa-
„ nicam sitim, Christianorum forte militum precationibus im-
„ petrato imbri, discussam contestatur. „ Eadem confirmat
Gregorius Nyssenus Oratione II. in Quadraginta Martyres, &
Paullus Orosius Lib. VII. Cap. XV. qui Imperatoris litterarum
exemplaria suo tempore complura exstitisse tradit. Sunt qui
haec falsa & adulterina omnia esse contendant, sed historia,
ut vidimus, antiquissimis & locupletissimis testibus nititur,
quare incassum illi laborant, dum adeo robustam vetustate
veritatem convellere conantur, de qua vide *Mamachium
Lib. II. Origin. & Antiquit. Christianor. Cap. VII. §. I.* Ve-
rum persequutio illa deinde recruduit, ut *Baronius ad An-
num CLXXIX.* ostendit. Etsi vero COMMODUS perversus
& inquinatissimus eius successor fuerit, mitior tamen & beni-
gnior

gnior extitit in Christianos. Quare *Baronius ad Annum CLXXXII. num. III.* ita scripsit: *Quum Gentiles tot Commodianus essent excogitati molestius, ac dives unusquisque semper casibus adstitatis, Christi tamen Ecclesia pace ubique tranquillissima fruebatur: vixque fit aliquem reperire, cui religionis causa negotium exhibitum sit: nisi fortasse, inscio Principe, & Senatus vel Magistratus sententia quispiam jussus sit duci.* Nescio an hic Augustus, alias impius & saevus, quae *Athenagoras* peroraverat, justa cognovit, & ubi solus imperium tenuit, ea exsequenda censuit; an *Marcia* potius ejus Concubina Christianorum studiosissima, ut superius *pag.* 376. dictum est, ne eos insectaretur, obtinuit. De hac Ecclesiae tranquillitate *Eusebius Lib. V. Cap. XXI.* scriptum reliquit, quod superius *pag.* 371. protulimus. Post *Commodum*, & PERTINACEM, & IVLIANVM, SEPTIMIVS SEVERVS imperavit, qui imperii sui exordio nullum negotium Christianis facessivit; sed eos bene habuisse *Tertullianus ad Scapulam Cap. IV.* non obscure declarat, cujus verba produximus superius *pag.* 369. quod *Nicephorus Lib. V. Cap. XXVI.* confirmat. Hinc forte est, quod *Caecilius Capella* in exitu Byzantino, Christiani gaudete, exclamavit, ut refert *Tertullianus* ejusdem operis *Cap. III.* sicuti & superius *pag.* 345. adnotavimus: nimirum quod ipse Byzantii persequutus Christianos, dum, partium *Nigri* fautor, illic Praesidem ageret, civitate a *Severo* expugnata, meliora jam illis tempora adfulgere videret, ut *Baronius ad Ann. CIIC. n. XX.* observat. Sed quum postea *Severus* Christianos crudeliter adflixerit, mirum est quod *Lactantius Libro De Mortibus Persequutorum n. III.* ita de Principibus, qui post *Domitianum* usque ad *Decium* imperaverunt, scribat: *Rescissis igitur Actis Tyranni, non modo in statum pristinum Ecclesia restituta est, sed etiam multo clarius ac floridius enituit: sequutisque temporibus, quibus multi ac boni Principes Romani imperii clavum regimenque tenuerunt, nullos inimicorum impetus passa, manus suas in Orientem Occidentemque porrexit, &c. Severo* patri ANTONINVS & GETA filii successerunt. De *Antonino* autem puero, quem Christiano lacte nutritum *Tertullianus* dixit, memoratu dignum est, quod *Spartianus* scribit: *Septennis puer, quum collusorem suum puerum*

rum ob Iudaicam religionem gravius verberatum audisset, neque patrem suum, neque patrem pueri, vel auctores verberum, diu respexit. Baronius, quum Iudaicam religionem, Christianam, recte exposuisset, *ad Annum CCXIII. n. III.* deinde subdit: *Accidisse enim existimo, ut Antoninus, quum lacte Christiano educaretur, collusorem atque habuerit Christianum puerulum, eumdemque collactaneum, atque Evbodi educatoris filium; quem tamen quod Christianam religionem inter iocos, ut pueri solent, Antonino ut acciperet suaderet, Severus, & pater pueri Evbodus ipse educator, acriter verberari iusserint:* nosque haec ipsa delibavimus superius *pag.* 376. 385. Post MACRINVM & DIADVMENIANVM Imperatores ANTONINVS ELAGABALVS rei Romanae arbitrium obtinuit, qui imprudens, dum *Elagabali Dei* cultum Romam introducere studet, unumque stabilire, Romanas superstitiones delet, ritus evertit, caeremonias profanat, sacra depopulatur & perdit; atque ita Christianae religioni aliquatenus favit, quam omnino non improbabat. Scribit enim *Lampridius: Ubi primum ingressus est Urbem, omissis iis, quae in provincia gerebantur, Elagabalum in Palatino monte iuxta aedes Imperatorias consecravit, eique templum fecit; studens & Matris typum, & Vestae ignem, & Palladium, & Ancilia, & omnia Romanis veneranda, in illud transferre templum: & id agens, ne quis Romae Deus, nisi Elagabalus coleretur. Dicebat praeterea, Iudaeorum & Samaritanorum religiones, & Christianam devotionem, illuc transferendam, ut omnium culturarum secretum Elagabali sacerdotium teneret.* Haec *Lampridius*, apud quem alia falsorum sacrorum profanationis exempla videre est. *Iulius Africanus*, inter viros eruditos huius temporis clarus, legationem ad Imperatorem *Antoninum Elagabalum* suscepit (fortasse suadente *Origene*, qui eo utebatur familiarissime, in Palaestina tunc agente) pro restituenda olim incensa civitate Nicopoli Palaestinae, quam ex Romanorum victoria nomen illud consequutam fuisse perhibent, quum Emmaus antea vocaretur. Re autem obtenta sequenti anno est civitas excitata, ut tradit *Eusebius* in *Chronico*. *Elagabalum* ALEXANDER SEVERVS excepit, cuius mater *Mamaea* Christiana fuisse traditur, ut superius *pag.* 376. pluribus disseruimus.

mus, quae & Christianum aliquem praeceptorem filio dare potuit, quum omnigenae eruditionis magistros illi submittere solitam fuisse, *Suidas* auctor sit. Illa quidem sancta a *Lampridio* dicitur, licet ut avara, & auri atque argenti cupida, vitio feminco sexui communi, ab eodem infametur. Hic igitur Christianos esse passus est, ut *Lampridius* testatur; & Christo Deo aliquem qualemcumque cultum exhibuit. Nam de eo ex Scriptore suorum temporum idem Auctor haec memoriae prodidit: *Matutinis horis in Larario suo, in quo & divos Principes, & optimos electos, & animas sanctiores, in queis & Apollonium, & Christum, & Abraham, & Orpheum, & huiuscemodi Deos habebat, ad maiorum effigies rem divinam faciebat.* Et post multa: *Christo templum facere voluit, eumque inter Deos recipere, quod & Hadrianus cogitasse fertur, &c.* quod & superius *pag.* 364. observabamus. Sed *Caesaris Baronii* verba ad annum CCXXIV. n. III. huc transcribamus: *Porro Alexander non solum Christianae religionis studiosus fuisse videtur, sed earum quoque institutorum, quantum fas fuit, diligens imitator, in his praesertim, quae ad regimen politicum pertinere videbat. Nam de eo haec idem Lampridius tradit:* Et quia de publicandis dispositionibus mentio contigit, ubi aliquos voluisset vel Rectores provinciis dare, vel Praepositos facere, vel Procuratores, idest, Rationales, ordinare, nomina eorum proponebat, hortans populum, ut, si quis quid haberet criminis, probaret manifestis rebus: si non probasset, subiret poenam capitis. Dicebatque, grave esse, quum id Christiani & Iudaei facerent in praedicandis Sacerdotibus, qui ordinandi sunt, non fieri in provinciarum Rectoribus, quibus fortunae hominum committuntur, & capita. *Sed & illud:* Clamabatque saepius, quod a quibusdam, sive Iudaeis sive Christianis, audierat, & tenebat: idque per praeconem, quum aliquem emendaret, dici iubebat: Quod tibi non vis, alteri ne feceris. Quam sententiam usque adeo dilexit, ut in Palatio, & in publicis operibus, perscribi iuberet. *Recenset idem quoque Auctor eiusdem Imperatoris iudicium pro Christianis exhibitum:* Quum, *inquit*, Christiani quemdam locum, qui publicus fuerat, occupassent, contra Popinarii dicerent, sibi eum deberi: rescripsit, melius esse, ut quomodocumque illic Deus colatur, quam Popinariis deda-

dedatur. *Haec de Alexandro Lampridius*. Hactenus *Baronius*. Quum autem Christianis ita faveret *Alexander*, non mirum si & Iudaeis, non admodum diversae sectae hominibus, privilegia reservavit, ut laudatus *Lampridius* ait; & eos Praefectum quemdam habere permiserit, qui nihil differret ab eo, qui regnum obtineret in gentem; quod *Origenes* in *Epistola de Susanna ad Africanum* testatur. Quamquam vero nullum contra Christianos edictum promulgaverit *Alexander*, tamen sub eius imperio quosdam damnatos & necatos fuisse perhibent; quin *Domitius Vlpianus* De officio Proconsulis Libro septimo Rescripta Principum nefaria collegit, ut doceret, quibus poenis adfici oporteret eos, qui se cultores Dei confiterentur, ut *Lactantius Lib. V. Divin. Institut. Cap. XI. & XII.* scriptum reliquit. Sed etsi praecedentium Principum constitutionibus minime obstabat *Alexander* certa de caussa; eius in Christianos benevolentia non obscure etiam ex eo elucebat, quod familiam suam utplurimum Christianis sacris initiatam haberet, quod nos docuit *Eusebius Lib. VI. Cap. XXI.* dum his verbis utitur: *MAXIMINVS propter gravem invidiam, qua contra Alexandri familiam, in qua complures Fideles & Christiani versabantur, flagrabat, acerbam persequutionis tempestatem concitavit, iussitque, solos Ecclesiarum Praesides, tamquam auctores doctrinae Evangelicae, necti dari*; quae quidem superius *pag.* 377. 385. etiam attigimus. *Maximino* post GORDIANVM successit in Imperio PHILIPPVS, qui a *Gordiano* Praefectura Praetorii fuerat honestatus. Hunc Imperatorem, & eius filium *Philippum*, coniugemque *Severam*, fuisse Christianos superius *pag.* 377. 378. 379. quae adstruximus, quae innuimus. Et quidem, Imperatorum aliquos ante *Constantinum* fuisse Christianos, satis superque insinuat S. *Dionysius* Alexandrinus, ubi apud *Eusebium Lib. VII. Hist. Eccl. Cap. X.* in *Epistola ad Hermammonem* ita loquitur de *Valeriano*: ὡς ἤπιός τε καὶ φιλόφρων ἦν πρὸς τοὺς ἀνθρώπους τοῦ θεοῦ. οὐδὲ γὰρ ἄλλος τις οὕτω τῶν πρὸ αὐτοῦ βασιλέων, εὐμενῶς καὶ δεξιῶς πρὸς αὐτοὺς διετέθη, οὐδ' οἱ λεχθέντες ἀναφανδὸν χριστιανοὶ γεγονέναι. *Qualiter mansuetus quidem & benignus, erat erga homines Dei. Neque enim ullus alius eorum, qui ante eum Imperatores fuerunt, tanta benevolentia & humanitate erga eos dispositus est; ne illi quidem qui palam*

Christiani fuisse dicti sunt. Haec *Dionysii* verba serio ac mature expendenda sunt. Nam illis diserte significatur, Imperatores quosdam ante *Valerianum*, palam *ἀναφανδὸν* Christianos fuisse, & tales quidem exstitisse dictitatum esse. De quibusnam Imperatoribus haec intelligi debent? Non de *Hadriano*, qui & si Christum inter Deos referre volebat, eique templa aedificare, tamen id facere supersedit, immo Christianos persequutus est, ac diu adflixit. Non de *Alexandro Severo*, qui qualem Christianismum professus sit, superius adgnovimus. De Imperatoribus igitur intelligenda veniunt, qui palam Christiani fuisse dicti sunt. De *Philippis* igitur, quos fuisse Christianos, constans veterum omnium, nemine refragante, traditio est; & suae religionis specimina luculenta dedisse, ex antiquorum monumentis perspicue deprehendimus. Nec negotium facessit illud *οἱ λεχθέντες qui dicti sunt*; non enim, nisi memoriam, famam, traditionem, *Dionysius* adlegare poterat; quum enim homo Aegyptius esset, nec forte unquam Romam accessisset, nonnisi aliorum relatione accipere poterat, *Philippos* Augustos Christianam religionem professos fuisse; adeoque dicere, id populari fama ab omnibus celebrari. Vixerit enim, ut vere vixit, etiam sub *Philippis*: nil aliud de iis reicire poterat, quam quod fama ferebatur; quum nullo forte publico ac solemniore actu, propter imperii, & consequenter Christianismi, sui brevitatem, id omnibus perspectum, testatum, exploratumque, facere potuerint; quod *Constantino* tandem feliciter contigit. Famam igitur, hominumque traditionem, adlegat *Dionysius*, quum nec Historicum tunc temporis, quum res in litteras nondum missa fuisset, laudare potuerit, nec sibi rem adeo compertam ex ipso veluti experimento, & *αὐτοψίᾳ*, habuerit, ut adfirmate, atque adseveranter, eam testaretur. Nihil igitur prohibet, quin *Dionysio* scribenti adsentiamur, & *Philipporum* Christianismum merito sapienterque praedicemus; quum insuper *Eusebius* laudatus, qui a *Philippi* aetate parum distabat, *Lib. VI. Hist. Eccl. Cap. XXXIV.* ita diserte ac perspicue scribat: *Ἔτεσι δὲ ὅλοις ἓξ Γορδιανοῦ τὴν Ῥωμαίων ἡγεμονίαν διανύσαντος, Φίλιππος ἅμα παιδὶ Φιλίππῳ τὴν ἀρχὴν διαδέχεται. Τοῦτον κατέχει λόγος χριστιανὸν ὄντα, ἐν ἡμέρᾳ τῆς ὑστάτης τοῦ Πάσχα παννυχίδος, τῶν ἐπὶ τῆς ἐκκλη-*

σίας εὐχῶν τῷ πλήθει μετασχεῖν ἐθελήσαντα· οὐ πρότερον ὑπὸ τοῦ τηνικάδε προεστῶτος ἐπιτραπῆναι εἰσβαλεῖν, ἢ ἐξομολογήσασθαι, καὶ τοῖς ἐν παραπτώμασιν ἐξεταζομένοις, μετανοίας τε χώραν ἴσχουσιν, ἑαυτὸν καταλέξαι· ἄλλως γὰρ μὴ ἄν ποτε πρὸς αὐτοῦ, μὴ οὐχὶ τοῦτο ποιήσαντα, διὰ πολλὰς τῶν κατ' αὐτὸν αἰτίας παραδεχθῆναι· καὶ πειθαρχῆσαί γε προθύμως λέγεται, τὸ γνήσιον καὶ εὐλαβὲς τῆς περὶ τὸν θεῖον φόβον διαθέσεως ἔργοις ἐπιδεδειγμένον. *Interea quum Gordianus sex totis annis Romanum Imperium administrasset, Philippus, una cum Philippo filio, in eius locum successit. Hunc, quum Christianus esset, fama obtinet, seu perseverat, in postrema Paschae vigilia precationum in Ecclesia participem simul cum reliquo populo fieri voluisse; sed Episcopum, qui tunc Ecclesiae praeerat, non prius illi aditum permisisse, quam confessionem scelerum fecisset, iisque, qui bimaritus iussi fuerant, & in poenitentium ordine stabant, sese adiunxisset. Quippe ob multa, quae commiserat, crimina numquam omnino ab Episcopo fuisset admissus, nisi id prius fecisset. Et libenter obtemperasse dicitur, sinceramque ac religiosum adfectum timoris Dei, operibus ipsis, declarasse*. Non me latet, tam diserto & perspicuo *Eusebii* testimonio tenebras obfundere quosdam tentavisse, elevando videlicet, quod de re praesenti, aut literis tradita, aut oculis usurpata, non loquatur; sed tantum fando acceptam fateatur, illis: κατέχει λόγος, & λέγεται. Sed quid, si a nullo Scriptore adhuc in litteras missa fuerat, & traditione tantum populari ferebatur historia haec? Num *Eusebius* alium auctorem adlegare poterat, quam famam, & traditionem illorum, qui ipsi narraverant; quique seniores quum essent, *Philippi* aetatem potuerunt attingere, & de re vel ab ipsis inspecta, vel recens audita, & ab omnibus unanimiter confirmata, testimonium perhibere? Insuper illud κατέχει λόγος, *Fama obtinet*, perspicue denotat, talem famam fuisse, quae a nemine in dubium vocaretur, & incontroversa perseveraret; secus enim *Fama non obtinuisset*, sed dubia & incerta instabilisque pervagata fuisset, quae κατέχειν satis improprie diceretur. Insuper si minus certa & explorata traditio fuisset, non tam generaliter *Eusebius* loquutus fuisset, nec illud κατέχει λόγος enuntiasset; sed tradi a quibusdam,

rat aliquibus accredi, vel simili modo, dicendo, narrationem apte congrueque temperasset. Traditioni autem, & quidem recenti, (nam *Eusebius*, ut dixi, a *Philippi* temporibus non multum distabat,) fides augetur ex eo, quod rem omnem distincte, minute, exiliterque, referebat, & totam facti speciem per suas partes explicabat. Sed quid pluribus lectorem distineo? Adeo verum est; *Eusebium* hanc historiam, quam ex aliorum relatione didicerat, tamquam veram & indubiam litteris mandare voluisse, ut in *Chronico* adfirmite, & disertissime, *Philippum* Christianum fuisse, pronunciaverit; quod insuper demonstrat, illud κατέχει λόγος, non χριστιανὸν ὄντα respicere, sed ad synaxin, ad quam *Philippus* accessit, eiusque rei historiam, spectare: adeoque *Eusebius* non fama accepisse dicit, *Philippum* fuisse Christianum, sed talem fuisse subponit; & deinde eius Christianos actus iuxta id, quod certus rumor ferebat, exponit. Nam χριστιανὸν ὄντα, seu vertas, *utpote Christianum*, quod optime conversum erit; seu *Christianum existentem*, ut pertendit *Menelia*; res semper eodem recidit, idemque significatur: nec ideo illud κατέχει λόγος magis cum eo connectitur. Insuper observandum est, illa κατέχει λόγος, & λόγος ἔχει, usurpari etiam, quum de rebus exploratis, atque compertis, & de quibus nulla controversia est, verba fiunt; quare idem *Eusebius*, quum *Lib. IV. Hist. Ecclesiast. Cap. XXVIII. & XXIX.* de *Tatiano* ageret, & eum esse Encratitarum haereseos auctorem probe sciret, idque ipsis S. *Irenaei* verbis productis evinceret & confirmaret; tamen ea phrasi utitur, ut dicat, illius sectae auctorem *Tatianum* fuisse λόγον ἔχειν. En eius perspicua verba: ἧς παρεκτροπῆς ἀρχηγὸν γενέσθαι Τατιανὸν λόγος ἔχει. *Huius sectae auctorem fuisse Tatianum, fama obtinet*. Res enim extra omnem dubitationis aleam posita est, *Tatianum* illius sectae auctorem fuisse, ut praeter *Irenaeum* & *Eusebium* adseverant *Hieronymus* in *Catalogo*, *Augustinus* & *Philastrius De Haeresibus*, *Epiphanius Haeres. XLVI.* *Libro* autem *III. Cap. XXIV.* de Apostolis *Matthaeo* & *Ioanne* agens, & necessario Evangelium scripsisse, docens ait: οὓς καὶ ἐπάναγκες ἐπὶ τὴν γραφὴν ἐλθεῖν κατέχει λόγος. *Quos quidem necessitate quadam ad scribendum impulsos fuisse, fama obtinet*. Et deinde

quae fuerit illa necessitas ita exponit, ut nemo unquam huiusmodi narrationi refragatus deinde fuerit. *Libro VI. Cap. XXVIII.* de *Ambrosio* & *Protocteto* Caesariensibus civibus, & suae Ecclesiae famigeratis fidelibus, adeoque explorata ac constanti loquens, ita scribit: *ἐν ᾗ δὴ διαπρέψαι κατέχει λόγος ἐν ὁμολογίᾳ τοὺς ἄνδρας. Unde & maximam gloriam ob confessionem nominis Christi ambos retulisse, fama obtinet.* Quod adeo verum est, ut D. *Hieronymus* in *Catalogo* adseveranter scripserit: *Ambrosius, primum Marcionites, deinde ab Origene correctus, Ecclesiae Diaconus, & confessionis Dominicae gloria insignis: cui pro Theoctisto (lege Protocteto) presbytero liber Origenis de Martyrio scribitur.* Et quidem nemo de hoc dubitare poterat, quum liber *Origenis*, qui *Exhortatio ad Martyrium* inscribitur, adhuc extet, quem occasione illorum confessionis composuit. Quid autem dicemus de eo, quod *Lib. VII. Cap. XXXII.* de *Anatolio* Episcopo Laodiceno, qui *Eusebii* ipsius aetate floruit, loquens, eum scholam Aristotelicae Philosophiae tenuisse Alexandriae λόγον ἔχειν adfirmat, quum id non nisi certum & exploratum habere potuerit? Sed ad verba Eusebiani Chronici revertamur: *Philippus Philippum filium suum consortem regni fecit: primusque omnium ex Christianis Imperatoribus Christianus fuit.* Non me fugit, haec in Chronico Graeco non haberi: sed Codex integer, quo S. *Hieronymus* usus est, probabiliter habuit. Habetur tamen in Graeco illud, ubi de *Origene* agit: ἐπέστελλε δὲ καὶ Φιλίππῳ τῷ βασιλεῖ καὶ Σεβήρᾳ τῇ τούτου γυναικὶ βασιλίδι. *Scribebat autem & Philippo Imperatori, & Severae huius coniugi Augustae.* Iam mirari subit, V. Cl. *Thom. Mar. Mamachium* laudatum, post tam diserta *Eusebii* testimonia, & apertam *Hieronymi* auctoritatem, pertendere potuisse, *Eusebium* de huiusmodi ad *Philippum* & *Severam* Epistolis nihil certi compertique habuisse, sed fama id ferri pronunciavisse; quod iam superius *pag.* 378. feliciter faciliterque confutavimus; quidque φέρεται apud Graecos valeat, perspicue demonstravimus exemplis manifestis adlatis, quibus alia ex eodem *Eusebio* addi possent, ut ex *Lib. IV. Cap. XXVIII. & XXIX. Lib. V. Cap. V. Lib. VI. Cap. XXXI. XXXIII. XXXVIII.* Frustra quoque est *Mamachius*, dum opponit, eundem *Eusebium*, qui *Philippum* Christia-

stia-

stianum fuisse dicit, in eodem *Chronico* ludos saeculares ab eo celebratos fuisse, refertur his verbis: *Regnantibus Philippis millesimus annus Romanae urbis expletus est: ob quam solemnitatem innumerabiles bestiae in Circo magno interfectae: ludique in Campo Martio theatrales tribus diebus & tribus noctibus populo pervigilante celebrati*. Ast, ut videtur, *Eusebius* adversari sibi invicem non putavit, Imperatorem esse Christianum, & ludos saeculares ab Romanis Ethnicis celebrari; sed de hoc plura inferius. Minus obstat, quod putant quidam, *Philippum* sub initium imperii sui anno Christi CCXLIV. Anthiochiae in pervigilio Paschatis synaxi cum aliis Christianis interfuisse, quum eo anno Pascha in diem XIV. Aprilis inciderit, & tunc nondum *Gordianus* a *Philippo* occisus fuerit, quum factum illud *Gordiani* caedes praecesserit: nam quo anno illud *Philippus* Anthiochiae peregerit ignoramus, quum perfecta eius vitae historia non exstet. Interim animadvertere debuerat, adeo verum esse, *Eusebium* de Christianismo *Philippi* numquam dubitasse, ut *Lib. VI. Histor. Eccles. Cap. XXXIX.* scripserit, *Philippo* successisse *Decium*, qui, prae odio adversus *Philippum*, Ecclesiae persequutionem intulerit: τῆς πρὸς Φίλιππον ἔχθους ἕνεκα. Quod quidem consistere non potest, nisi Historicus ille, Christianum *Philippum* fuisse, certo constanterque credidisset. Id, quod habet *Eusebius*, confirmat *Orosius Lib. VII. Cap. XXI.* de *Decio* scribens: *Idem continuo, ut quo se etiam ob hoc Philippos interfecisse doceret, ad persequendos interficiendosque Christianos, septimus post Neronem feralia dispersit edicta, &c.* Omnia, quae his *Menelius* respondet, nihil conficiunt: aliud enim est, movere simpliciter persequutionem in Christianos, post alicuius Imperatoris obitum, aliud eam movere ex odio, quod quis adversus illum Imperatorem conceperat: hoc enim eius Christianismi manifestum indicium est. Nec iuvat *Menelium* exemplum, quod ex *Eusebio* adfert, persequutionis a *Maximino*, post *Alexandri Severi* caedem, in Christi cultores excitatae; non enim dicit *Eusebius*, *Maximinum* Christianos persequi adgressum esse ex *Alexandri* odio; sed gravi odio succensum adversus eius familiam, in qua plerique erant Christiani. Immo retorquetur exemplum; nam si *Maximinus* Christianos insectatus est, quod Christianam

Ale-

Alexandri familiam vatiniano odio prosequeretur: ergo persequutio Christianorum ex odio in aliquem concepto orta, illum ipsum Christianum fuisse, praeclarissimo argumento est. Sed ut ad accessum Augustorum ad Ecclesiam Anthiochiae rursus regrediar, nonne *Ioannes* Antiochenus, cognomento *Chrysostomus*, Patriarcha Constantinopolitanus eloquentissimus, qui rem patriam hanc perspectam aliquatenus habere poterat, ea de Imperatore quodam Christiano refert, in *Oratione contra Gentiles & de Sancto Babyla Episcopo Antiocheno*, ut nonnisi de *Philippo* Imperatore intelligi possint, quod & Chronicon Alexandrinorum confirmat? En eius clara & disertissima verba: "Fuit Imperator quidam maiorum nostrorum temporibus, qui qualis alioqui fuerit, dicere non habeo, verum ubi scelus ab eodem magna audacia atque improbitate factum audieritis, & reliquam morum illius crudelitatem perspectam habebitis .... Manus illas impias tam innocenti sanguine ubi conspurcavit, atque conscelerävit, novamque illam tragoediam peregit, quasi nullo prorsus a se scelere facto, effrons & ipsius etiam saxis durior, ad Dei optimi maximi templum festinabundus accurrit .... Forte fortuna per quod tempus crudelis ac miseranda, quam dixi, fabula licentiose ageretur, magnus quidam ac admirabilis vir (si modo viri nomine designare illum fas est) nostri huius gregis curam gerebat; Babylas huic nomen erat: is igitur per eos dies Christi Ecclesiam a Spiritus gratia sibi concreditam quum haberet .... neque paucarum civitatum Tetrarcham, neque gentis unius Regem, sed eum, qui imperio suo plurimam totius orbis partem contineret, ipsum hunc inquam homicidam, de quo nobis est sermo, eumdem multarum gentium, multarum civitatum, immensi item exercitus dominum, eumdem quoquo te vertas, cum ab imperii amplitudine, cum a morum ferocitate, terribilem, quasi vile quoddam, ac nullius pretii mancipium, sic a Dei templo exegit." Innuit tamen alibi *Chrysostomus*, S. *Babylam* tunc fuisse ab Imperatore trucidatum, sed ab interpolata aliqua narratione deceptus est. Nam quod ad accessum Imperatoris ad templum pertinet, adeo ce-

caeteris Scriptoribus consonat, ut qui eius dicta infirmare conabuntur, laterem lavare videantur. Ecce enim quomodo rem tradit *Chronicon Alexandrinum Olymp. CCLVII.* ex *Leontii* Antiocheni Antistitis, qui medio saeculo IV. floruit, auctoritate: „Ex maiorum porro relatione, & hoc de Sancto Babyla ad illos pervenit, ut iis, qui ante haec tempora vixere, narravit Beatus Leontius Anthiochiae Episcopus: Hic Decius Sanctum Babylam, non solum, quod Christianorum religionem profiteretur, interfecit; sed & quod Imperatoris Philippi uxorem, atque adeo ipsum Philippum, utrumque Christianum, ab aedis sacrae ingressu arcere esset ausus, propter perpetratum ab Philippo crimen, quod eiusmodi fuit: Philippus iste Iunior, quum Praefecturam Praetorii, imperante illius decessore Gordiano, gereret, commendatum sibi ac suae tutelae datum a Gordiano filium, ipso Gordiano Imperatore mortuo, interfecit, ac imperium adripuit.„ Nihil clarius, nihil disertius, dici potest. V. Cl. *Manelia*, ut huius narrationis fidem elevet, dicit, Chronici Auctorem in quibusdam peccasse. Primo, quod *Gordiani* tutelam puero commendaverit, *Philippo* filio, ut puto, eumque Praetorio praefecerit. Secundo, quod B. *Leontium* Arianarum partium hominem vocaverit. Sed quod ad primum spectat, animadvertere debuerat, a Chronico Alexandrino, nomine *Philippi Iunioris*, non filium, sed patrem *Philippum* designari, quod ex iis, quae praecedunt, elucet atque eminet. Nam scribit: Φίλιππος ὁ Ἰουνίορ πολλοὺς συμβαλὼν πολέμους εὐτυχῶς ἔπραξε. *Philippus Iunior multa bella feliciter confecit*. Et manifestius paullo ante scripserat, quum de Schola Legionis ageret ab *Philippis* instituta: καλέσαντες δὲ σχολὴν τὸ παρ' αὐτῶν συστάντος τάγματος εἰς τὸ ἐπώνυμον Φιλίππου τοῦ πατρὸς, Ἰουνιόρων. *Quum vocassent Scholam Legionis ab iis institutae de Philippi Patris COGNOMINE, IVNIORVM*. Et ad Olympiadem CCLVI. ut omnem difficultatis umbram amoveat, scribit: Ῥωμαίων ἐβασίλευσε Φίλιππος ὁ Ἰουνίορ ἅμα Φιλίππῳ τῷ υἱῷ αὐτοῦ. *Romanis XXV. Imperavit PHILIPPVS IVNIOR una cum Philippo filio suo*. En quod liquido constat, Chronicon nomine *Philippi Iunioris*, non filium, sed patrem *Philippum* Augustum significare. Quod

ad

ad secundum vero attinet, certo certius est, locum Chronici a *Menelia* indicatum inspectantibus, ibi de B. *Leontii* Arianismo ne γρῦ quidem exsistere: quare nisi vir pereruditus verba Chronici adferat, quibus *Leontii* haeresim indicat, aliam responsionem dare non possumus. Multo autem minus subsistit, quod ille praefracte pertendit cum *Leontium*, tum Chronici Auctorem, aliosque, omnes suam hac de re narrationem ex *Eusebii* fonte derivasse; quum omnes tam multa, diversa omnino, & *Eusebio* indicta; & tam distincte & subtiliter exposita adferant, quod *Eusebius* non fecit: ut nihil minus sit, quam hoc verisimile. Adde quod iam, quae *Eusebii* testimonio *Menelia* obiicit, tempestive exsufflavimus, ita ut, & si illi *Eusebii* auctoritatem sequuti essent, vera tamen & perenni traditione robusta retulissent. Sed ad veterum de Christianismo *Philippi* testimonia revertamur. S. *Hieronymus* in Catalogo, ubi de *Origene* agit, ita scribit: *Ad Philippum Imperatorem, qui primus de Regibus Romanis Christianus fuit, & ad matrem eius litteras fecit, quae usque hodie exstant*. Sed & *Vincentius Lirinensis* in *Commonitorio* idem testatur, cuius verba, sicuti & *Hieronymi*, superius *pag.* 377. 378. opportune, quum de *Severae*, *Philippi* Coniugis, religione ageremus, in medium adduximus, & difficultates omnes *Menelianas*, *Lirinensis* auctoritati obiectas, amovimus: verborumque Scriptoris illius sensum interiorem enucleavimus; simulque *Eusebii* locum, frustra obpositum, vera significatione donavimus. Accedat nunc *Paulli Orosii* auctoritas, qui *Lib. VII. Cap. XX.* pariter scribit de *Philippo*: *Hic primus Imperatorum omnium Christianus fuit*. Et horum Scriptorum testimonia sufficiant, ut *Philippum* Christianum fuisse constet: nam Acta quaedam Martyrum variis praescriptionibus obnoxia non moror; & proximorum temporum Auctores cum antiquioribus illis non contendo: licet quae Sancti *Pontii Acta* de *Philippi* Christianismo habent, penitus improbanda non videantur, quicquid de reliquo Actorum illorum contextu dicendum sit. Sed obiicit rursus *Menelia*, *Lactantium Firmianum*, *Ambrosium* Mediolanensem, *Sulpicium Severum*, *Acta Sancti Pachomii*, *Theodoretum*, *Epiphanium* Diaconum, omnes uno ore proclamare, *Constantinum* omnium Romanorum Principum pri-

mum Christianum fuisse. At ipse respondeo, *Eusebium*, *Lactantium*, *Hieronymum*, *Jo. Chrysostomum*, *Orosium*, *Vincentium Lirinensem*, *Auctorem Chronici Alexandrini*, aliosque sexcentos Scriptores, qui non minoris auctoritatis quam illi sint, & majoris fortasse, diserte ac perspicue contrarium praedicare, & primum omnium Imperatorum Christianum fuisse *Philippum* asseverare. Quin nec omnino illud omnes dicunt, quod *Menelas* aliique pertendunt. Nam *Lactantius* scribit, primum Romanorum Principum *Constantinum* majestatem Dei singularis ac veri *& cognovisse & honorasse*, pace scilicet Ecclesiae reddita, & legibus pro Christiana religione latis; quod *Philippus* ob temporum difficultatem, imperiique brevitatem, assequi non potuit. S. *Ambrosius* dicit, quod primus Imperatorum credidit, *& post se hereditatem fidei Principibus dereliquit*; quod *Philippus* facere nequivit, ipse cum filio obtruncatus a suis. *Theodoretus* affirmat, ante *Constantini Magni* principatum, *quotquot Romani Imperatores fuerunt, adversus pietatis cultores furere non* destitisse; quae nisi benigne interpretemur, falsa bonam partem esse manifesto revincuntur. *Sulpicius* autem *Severus*, *Acta S. Pachomii*, *Epiphanius* Diaconus in septima Synodo, ita loquuti sunt, ut *Constantinum* primum Imperatorem Romanorum fuisse Christianum, dixisse intelligantur, quod hic palam, & in propatulo, & solemni prope inauguratione, Christianam religionem professus sit, leges pro ea tulerit, restituerit Ecclesiae tranquillitatem, sacrificia ritusque impios prohibuerit, & post imperium diuturnum, non tam regnum, quam fidem Christianam, filiis successoribus perpetuo servandam dereliquerit; id quod nullus anteriorum Principum fecit, ut recte ac sapienter *Tillemontius* observavit, & alii viri doctissimi adnotaverunt. Quando antiqui classicique Scriptores inter se pugnare videntur, non eos hostiliter committere oportet, sed lenis atque aptae interpretationis foedere conciliare; quum nihil, quominus id peragatur, obsistit. Idem de *Eusebio* Caesariensi in *Vita Constantini Lib. IV. Cap. XLII.* dicendum est, & ne sibi ipsi contrarius arguatur, recta interpretatione exponendus: nam ibi non dicit absolute, *Constantinum* primum Imperatorum Christianum fuisse, sed solum ex omnibus in *Christi Martyriis* re-

natum, perfectum, & divino signaculo munitum, spiritu exsultavisse: quod totum *Philippo* fortasse non contigit. Sed ad alia argumenta contra *Philippi* Christianismum transeamus. Anno CCXLVIII. persequutio adversus Christianos Alexandriae, populo contra eos furente, exorta est, nec *Philippus* eam repressit. At quamdiu haec persequutio duravit? Vix totis sex mensibus. Nam *Dionysius* Alexandrinus tradit, alia excitata Alexandriae seditione & tumultu, persequutionem illam Christianorum quievisse, antequam *Decius* imperii habenas capesseret, quod aestate anni CCIL. contigit. Si autem *Pearsonio* in *Annalibus Cyprianicis* fidem habemus, non ante ipsum annum CCIL. Christiani Alexandrini vexati sunt: quare tres aut quatuor circiter menses persequutio illa perduravit. In tam brevi temporis spatio, quid *Philippus* agere potuit? Vix ad eum tanti facinoris fama pervenerit: nam Alexandria Romam vix totis tribus mensibus, si tempestates obstent, maris aequore peragrato transmittitur. Transmissum esto uno mense: Romae quid facto opus esset, inter infinitas alias imperii immensi curas deliberandum: antequam Princeps rescribere edicereque potuerit, duo forsitan tresve alii menses elapsi sunt. Quando autem Alexandriam principalia iussa pervenerint? Mare, venti, procellae, interrogandae sunt. Forte, quum Rescripta venerunt, persequutio iam sedata erat. Item, ne teruncii quidem valet illud argumentum, quod *Philippus Gordianum*, ab se interfectum, *Divum* semper adpellando veneratus sit, *Iulio Capitolino* auctore. Non enim video, quid obstet Christiano homini, mortuum Imperatorem communi ac vulgari titulo *Divum* adpellare, & eius memoriam civili quodam obsequio venerari: sed forte *Philippus* decessorem suum ea ratione deridebat, ut *Claudium* consecrando derisit *Nero*, si *Plinio* in *Panegyrico*, si aliis Scriptoribus, credimus. Num obstitit *Constantini* religioni, quod sub eius imperio *Diocletianus* inter Deos relatus fuit, ut *Eutropius* auctor est; quod eius pater *Constantius* titulo *Divi* in publicis elogiis eo consentiente denotatus sit, ut apud *Muratorium pag. CCLVIII. 6. 8. CCLIX. 5. 6.* videre est? Quin numi plures ab ipso *Constantino* Patris memoriae cusi apud *Mediobarbum* & *Bandurium* occurrunt, in quibus *Con-*

stan-

tius Pater *Divus* praedicatur. Item, non religioni duxit *Constantius* Imperator Parentem suum *Constantinum* Divum adpellare, magis solito honoris vocabulo, quam iure superstitiosae consecrationis, ut ex *Lib. XVI. Cod. Theod. Tit. X. Leg. II.* intelligere est; ut Inscriptiones apud laudatum *Muratorium pag. CCLIX.* & *CCLX. 1.* silentio praeteream, in quibus *Divi Constantini* filius *Constantinus* alter praedicatur: & apud *Mediobarbum* & *Bandurium* nummi *Divo Constantio* iuniori percussi habentur. Apud eumdem *Muratorium* in Inscriptione *pag. CCCLXXXIII. 1.* & apud *Gruterum pag. CCLI. 6. CCLXXXIV. 5. 7. CCLXXXV. 5.* *Divus Iovianus* Augustus memoratur. *Gratianus* Augustus apud *Ausonium* in *Panegyrico*, *Divum Constantium* parentem suum in Palmata intextum fuisse ait. Ipse *Ausonius* Divinitatem *Gratiano* adscribit illis verbis: *Divinitatis tuae prope eam pauculo verbo transcurro*. *Theodosius* autem & *Valentinianus*, Numinis adpellationem sibi vindicant in *eod. Cod. Lib. XV. Tit. V. Lege V.* ubi: *In honorem Numinis nostri*. Ita *Diva Iustina*, *Valentiniani Senioris* uxor, in nummis dicitur. His similia usurpat passim *Iustinianus* in suis Legibus, qui vulgo in suis Institutionibus Ethnicos Principes decessores suos *Divos* titulo honorat, ut *Lib. I. Tit. XI. De Adoptionibus §. penult. & Titul. XXV. De Excus. Tut. vel Curat. §. Non esse. & Tit. XXVI. De Suspectis Tut. vel Curat. §. Consequens est &c.* Et quidem Ethnicos Imperatores Christiani omnes venerabantur, ut suos Principes, ut Dei Ministros, adeoque perhonorificis titulis, atque etiam religiosis, eos exornabant. Hinc *Dionysius Alexandrinus*, Imperatores Ethnicos Deo amantissimos & sanctissimos adpellavit; *Eusebius* & *Hieronymus Mammaeam* religiosam & piam feminam dixerunt, quod etiam superius *pag. 377. 378. 380.* observabamus. Insuper Christiani illi veteres, Ethnicis misti, Ethnicas loquutiones usurpabant interdum; & gentilium caeremoniarum nonnullam rationem adhuc habebant. Hinc illa *Ausonius* in *Panegyrico ad Gratianum*: *Operto conclavis tui non sanctior ara Vestalis, non Pontificis cubile castius, nec pulvinar Flaminis tam pudicum*. Deinde non Sanctum fuisse *Philippum* dico, sed Christianum; non Christianum bonum atque perfectum, sed malum & vitiis inquinatum, ut multi veterum Christianorum erant, teste *Tertulliano Ad Na-*

tiones, & in *Apologetico*, atque alibi, ut superius *pag.* 97. 179. 180. 283. indicavimus. Ast triumphum agunt adversarii, dum *Philippi* consecrationem post eius obitum celebratam decantant? Nihil minus. Quomodo mortuus suam Apotheosin prohibere poterat? At, inquiunt, Ethnici numquam *Philippum* inter Divos retulissent, si Christianus fuisset. Quidni? Romani religiones omnes facile admittebant, maximo si a suis Principibus aliqua probarentur. nec esse Christianum, quominus quis dieigeretur, obstabat, nisi alia odii caussa subesset: quod in *Constantino* perspectissimum factum est. Potuit igitur amari *Philippus* Christianus licet; potuit ab Ethnicis consecrari post mortem. *Constantius Chlorus* quamquam fautor Christianorum maximus inter Deos relatus est, *Eusebio Lib. VIII. Histor. Ecclesiast. Cap. XIII. & Lib. I. Vitae Constant. Cap. XXII.* auctore, quod & nummi apud *Mediobarbum* & *Bandurium* confirmant. Quin etiam *Constantinus* ipse, Christianissimus licet, consecratione honoratus est, & eius apotheoseos memoria in nummis signata, qui in *Museo Pisano*, & apud laudatos *Mediobarbum* & *Bandurium*, habentur, ritu quidem Ethnico, ut videtur. Hinc passim *Divus* adpellatus est, ut paullo ante demonstravimus; & in *Kalendario Hervagiano Romano* ad d. IV. KL. Novembris adscriptum est: *Adventus Divi*, hoc est, *Constantini*. Quid quod templum eidem sacratum fuisse, Historici produnt apud *Tillemontium Tomo XX.* & forte illud est, quod in eius numo apud *Bandurium* visitur; & ei sacrae Imagines Romae constitutae, ut laudatus *Eusebius Lib. IV. Vitae Constant. Cap. LXIX.* memoriae tradidit, & Auctor cuiusdam Panegyrici indicat. Imagines enim Imperatorum consecrabantur, easque Imperatores Christiani permittebant, ut *Leg. XII. Tit. VII. Lib. XV. Cod. Theodos.* videre est. Quae vero, ac quantis, laudibus hunc ipsum *Constantinum* Christianum Principem mactarint Oratores disertissimi licet Gentiles, testes locupletissimi sunt Panegyrici, qui ei dicti adhuc exstant. Sed & alii Imperatores Christiani *Divi* titulo insigniti, quorum paulo ante mentionem fecimus, eam consecrationis notam praeseferunt: & *Theodosius* ipse consecratus fuisse videtur, cuius Christiana pietas quam maxime eluxit: nam apud *Muratorium pag. CCLXV.* 4. legitur:

MAR-

MARTIA THEVDOSIVM DOMINORVM ROMA PARENTEM
AETHERIO DIVVM VENERANS SACRAVIT IN ORBE.

Valentinianum autem Seniorem a *Gratiano* Augusto consecratum fuisse, diserte testatur *Ausonius* in *Panegyrico*, aitque, id agendo Dei consilio obsequutum fuisse. Et id quidem est observatione dignissimum, ritum illum & caeremoniam, qua Principes Romani consecrabantur, non adeo fuisse Ethnicorum hominum propriam ut Christianis etiam tamdem non haeserit; non adeo Ethnicis Imperatoribus inter Deos referendis addictam, ut Christianorum etiam Principum honori, seu ab Ethnicis, seu ab Christianis, minime perageretur. Sed etsi odio ob Christianismum habitus esset *Philippus*, diligi potuit ob clementiam, benignitatem, strenuitatem, aliasque virtutes principales; & ob eas a populo facili & superstitioso consecrari. Nonne & alii Imperatores nonnulli, licet minus probarentur ob aliqua sive animi, sive naturae, vitia, tamen Diis accenseri meruerunt? Sed quaenam *Philippi* virtutes? Optimas leges sanxit, Poetas maledicos & impudentes coercuit, impuratos corruptosque mores reformavit, exsecranda libidinum genera flammis ultricibus destinavit. Dux fortissimus de Carpis insuper triumphavit, & milites beneficiis & privilegiis auxit, quare de eo hae Inscriptiones apud *Muratorium* habentur *pag. CCLII.* 4.

MAXIMO ET SVPER
OMNES FORTISSIMO
IMPERATORI CAESARI
M. IVLIO PHILIPPO
PIO FELICI INVICTO
AVG. PONTIFICI
MAXIMO PATRI P

Pog.

Pag. CCCLXII. 1.

IMP · CAES · M · IVLIVS PHILIPPVS PIVS
FEL AVG PONT MAX TR POT V COS III PP PROCOS ·
IMP CAES M IVLIVS PHILIPPVS PIVS FEL AVG
PONT MAX TRIB POT II COS II PP
NOMINA MILITVM QVI MILITAVER · IN CO
HORTIBVS PRAETOR · PHILIPPIANIS DECEM
I · II · III · IIII · V · VI · VII · VIII · VIIII · X · PIIS VINDICIBVS
QVI PIE ET FORTITER MILITIA PVNCTI SVNT
IVS TRIBVIMVS CONNVBII DVMTAXAT CVM
SINGVLIS ET PRIMIS VXORIBVS VT ETIAM
SI PEREGRINI IVRIS FEMINAS IN MA
TRIMONIO SVO IVNXER PROINDE LIBE
ROS TOLLANT AC SI EX DVOBVS CIVIBVS
ROMANIS NATOS AD VII ID IAN
IMP M IVLIO PHILIPPO PIO FEL AVG III ET
IMP M IVLIO PHILIPPO PIO FEL AVG II COS
COH · VIII · PR · PHILIPPIAN · P · V ·
M · BRAENO · M · F · IVSTINO
SABATIN · MANTVA
DESCRIPT ET RECOGNIT EX TABVLA AEN QVE FIX
EST ROM · IN MVR POST TEMPLVM DIVI AVG AD
MINERVAM

Quid si ipsius *Decii* veteratoria calliditate consecratus est, ut caedis illius auctor militibus non fuisse videretur? Ast tempus jam, ad maximam, ut quibusdam videtur, difficultatum deveniendi. Ludi saeculares a *Philippo* celebrati sunt, qui sine profanis ritibus, & sacrificiis Ethnicis, sine crudelitate Theatri, sine Circi vanitate, edi non poterent. At quid si ipse sponte sua non edidit? Si populus petiit? Si obtinuit, Cae-

sar-

sarque permisit? Si hic eos impedire impune non poterat? Et quidem populi petitio fieri facile potuit, quem millesimum Romae annum celebrandi ardens cupido incessiverit. Nova & insolita caussa, insolitum Romanorum desiderium accendere poterat. *Eutropius* quidem ita de his ludis saecularibus loquitur, ut sub *Philipporum* principatu editos indicet, non autem eorum iussu peractos. En eius *Libro IX.* verba: *His imperantibus millesimus annus Romae Urbis ingenti ludorum adparatu spectaculorumque celebratus est*. *Orosius* autem *Lib. VII. Cap. XX.* saltem tradit, a nullo Auctore ostendi in his ludis saecularibus adscensum in Capitolium, immolatasque ex more hostias fuisse. Eius verba sunt: *Hic primus Imperatorum omnium Christianus fuit, ac post tertium Imperii eius annum, millesimus a conditione Romae annus impletus est. Ita magnificis ludis augustissimus omnium praeteritorum hic natalis annus a Christiano Imperatore celebratus est. Nec dubium est, quin Philippus huius tantae devotionis gratiam & honorem ad Christum & Ecclesiam reportaverit, quando vel adscensum fuisse in Capitolium, immolatasque ex more hostias, nullus Auctor ostendit*. Et quidem, non *Aurelius Victor*, non *Eutropius*, non *Iulius Capitolinus*, id memoriae prodiderunt. Verum quidem est, iuxta *Orosium*, *Philippum* ipsum millesimum Romae annum celebrasse; sed hoc scribere potuit, quod eius permissu id actum fuerit. At adscensum fuisse in Capitolium, immolatasque hostias, *Philippi* numismata evincant: sed non evincant ab ipso *Philippo* Capitolium adscensum, & sacrificatum ex more fuisse: quomodo *Orosius* intelligendus esse videtur. At numisma maximi moduli integerrimum exhibet utrumque *Philippum*, patrem atque filium, in aditu templi ornatissimi, octo columnis subfulti, sacra peragentes tibicine, popa, & victimario, adstantibus, biniisque aliis superstitiosi cultus administris cum epigraphe circumscripta SAECVLVM NOVVM, ait *Menelus* doctissimus. Sed quaenam & qualia isthaec sunt? Quomodo eo numismate utrumque *Philippum* sacrificantem exhiberi probat? Ridet inspector, quum duos sacrificulos, duos Imperatores credi videt; & duos quidem sacrificulos statura & proceritate corporis prope aequales. An ignoramus tunc *Philippum* filium de-

decennem fuisse? adeoque parvulum, & qui vix femora paterna capitis vertice attingeret? Imperatores ergo sacrificuli illi esse nequeunt. At numismata maximi moduli, unius Imperatoris jussu & auctoritate cusa sunt. Cusa fuerint, & insignibus solitis, quum revera sacrificia peracta fuerint, ludorum saecularium nota primaria: id Christianum Principem in imperii Ethnici novellitate dedecere numquam demonstrabitur. In aversa quoque nummorum Christiani *Constantini* facie, profanorum Deorum nomina leguntur, & visuntur insignia: sicuti & in nummis *Constantii* ejus filii, & *Justinae* Augustae *Valentiniani Senioris* conjugis, ut apud *Mediobarbum* videre est. At Christianus Princeps sacrificia profana permittat? Permittat justis de caussis populo Ethnico, subditis avita superstitione implicatis, qui non statim ad saniorem sententiam illici aut adigi possunt. Permiserunt & toleraverunt alii Principes Christiani, & *Constantinus* praecipue, ut patet ex *Leg. I. Lib. XVI. Cod. Theodos. Tit. X.* & ex iis, quae *Gothofredus* ad eam commentatur, qui recte ac sapienter animadvertit, *Constantinum Magnum, ut caeteroqui Gentilibus ἐθελοθρησκείαν religionis suae, ritusque suos, per imperii sui initia relinquere coactus fuit, antiquandis videlicet illis simul & semel longe tum impar, ita Haruspicinae quoque exercendae, et nominatim Romae, potestatem adhuc fecisse*: quae multo magis *Philippos* conveniunt. Immo ostendit idem *Gothofredus*, *Constantinum*, ut saluti suae & Reip. consuleret, aliter facere non potuisse; quare templa everti aut occludi, & ne sacrificia fierent, nonnisi sub imperii sui finem, prudenter jussit; & diuturna patientia Ethnicam superstitionem ad extremos suae vitae annos toleravit. Hinc anno CCCXXVIII. CRIOBOLIVM ET AEMOBOLIVM MOVIT DE SVO PETRONIVS MARCELLVS, ut est in Inscriptione apud *Muratorium pag. CCCLXXIV.* 2. Id quod etiam obtinuit sub aliis Imperatoribus Christianis, ut inferius patebit. Sed & *Philippi* ipsi ludis saecularibus interfuerunt, *Aurelio Victore* teste. Concedam, sed non adeo sacrificiis. Interfuerint muneribus, ludis, aliisque publicis voluptatibus. Sed Christianus Imperator munera crudelia permiserit, spectaverit? Alii Principes Christiani permiserunt; alii Christiani, Di

Au-

Augustino Lib. VI. Confess. Cap. VIII., & in *Sermonibus* teste, spectaverunt. Hinc reprehensiones illae Christianis factae ab vetusto Auctore *Libri De Spectaculis*, *Cypriano* tributi; hinc illae, quibus in antecessum *Tertullianus* in libro eiusdem tituli Christianos ab gladiatoriis spectaculis avertebat; quos *Cap. XX.* se defendentes inducit illis verbis: *Quam vane igitur, imo desperate argumentatio eorum, qui sine dubio tergiversatione amittendae voluptatis, obtendunt. Nullam eius abstinentiae mentionem specialiter in Scripturis determinari, quae directo prohibeat eiusmodi conventibus inseri servum Dei? Novam proxime defensionem suaviludii cuiusdam audivi. Sol (inquit) immo etiam ipse Deus, de coelo spectat, nec contaminatur.* Adeo verum est, non ab omnibus Christianis huiusmodi spectacula evitata fuisse, nec eos minus ideo fuisse Christianos. Quare *Constantius* Augustus *Lib. XVI. Cod. Theod. Tit. X. Leg. III.* licet omnem superstitionem evertendam esse dicat, tamen publicas voluptates ex ea natas servari & custodiri desiderat, illis verbis: *Quamquam omnis superstitio penitus eruenda sit, tamen volumus, ut aedes templorum, quae extra muros sunt positae, intactae incorruptaeque consistant. Nam quum ex nonnullis, vel Ludorum, vel Circensium, vel Agonum, origo fuerit exorta, non convenit ea convelli, ex quibus Populo Romano praebeatur priscarum sollemnitas voluptatum.* Nec ulla lex Christianorum Principum, qui quarto saeculo imperaverunt, reperitur, qua munera & ludi generaliter prohibeantur. Sed & ipse *Honorius* diu haec voluit, aut permisit, ut *Leg. XVII. eod. Titulo* videre est: & passim adprobata sunt Legibus *Libro XV. eiusdem Codicis* comprehensis, quae de spectaculis, ludis, & voluptatibus, publicis agunt. Speciatim autem *Titulo XII.* eiusdem libri, qui *De Gladiatoribus* est, gladiatoria munera toto saeculo IV. durasse comprobantur; & illum *Gottofredus* illustrans prolixe ac luculente demonstrat. Gladiatorum igitur munera in his ludis Saecularibus vere data sint, & id ex *Capitolino* in *Gordianis* arguatur, cuius verba ita habent: *Fuerunt sub Gordiano Romae Elephanti XXXII. quorum ipse duodecim miserat, Alexander decem: Alces decem. Tigres decem. Leones mansueti sexaginta. Leopardi mansueti triginta, Belbi, idest Hyaenae, decem, Gladiatorum fi-*

scalium paria mille, Hippopotamus & Rhinoceros unus, Archoleontes decem, Camelopardali decem, Onagri XX. Equi feri quadraginta, & cetera huiusmodi animalia, innumera & diversa; quae omnia Philippus ludis saecularibus vel dedit, vel occidit. Has autem omnes feras mansuetas, & praeterea efferas, parabat ad triumphum Persicum: sed votum publicum nihil valuit; nam omnia haec Philippus exhibuit saecularibus ludis, & muneribus, atque circensibus, quum millesimum ab urbe condita annum in Consulatu suo, & filii sui, celebraret. Tunc *Philippus* dederit, permiserit, spectaverit, quod alii Christiani Imperatores post *Constantinum*, seu dederunt, seu permiserunt. Sed ut liberalius agamus, multa permiserit *Philippus*, multa etiam fecerit, quae ad Ethnicam superstitionem accedant, quae sine crimine fieri & expediri non possunt: Christianus tamen adhuc fuerit. Non omnes primitivi Christiani, adeo sancti religiosique erant, ut multa Ethnicae superstitionis sibi non exercenda arbitrarentur, modo sacrificiis & immolationibus abstinerent. Docet, reprehenditque, passim *Tertullianus Libro De Idololatria*, & aliis libris: docent & alii veteres Patres. Sed *Tertullianum Cap. II.* laudati operis audiamus: *Plerique Idololatriam simpliciter existimant his solis modis interpretandam, si quis aut incendat, aut immolet, aut polluceat, aut sacris aliquibus, aut sacerdotiis, obligetur.* Sic *Constantinus*, ut diximus, & Patrem consecravit, vel consecrari passus est; & *Diocletianum* inter Deos referri, haudquaquam prohibuit; & plenam Ecclesiae libertatem & tranquillitatem nonnisi sex elapsis ab obitu Patris annis restituit, licet & ante Patris obitum Christianus esset, ut diserte indicat *Lactantius De Mort. Persequut. Cap. XXIV. & Divin. Institut. Lib. I. in Praefat.* & talia multa dissimulavit, aut fecit, quae paullo ante commemoravimus. Sic *Theodosius Magnus* superstitiosas celebritates in templo Osdroenae provinciae fieri permisit, modo iis sacrificia nulla adhiberentur, ut ex *Leg. VIII. Cod. Theodos. Lib. XVI. Tit. X.* & *Gottofredi* ad eam commentario, liquet. Sic sub *Gratiano* Augusto anno CCCLXXV. votivitate & tota mente devota Genium Curiae dedicatum in statuam, & in Curia Augusta positum, a *Vesonio Frontiniano*, legimus in Epigrammate

apud

apud *Muratorium pag. CCCLXXXVI.* 5. Mithriaca autem sacra etiam peragebantur sub eodem Augusto, ut ex Inscriptionibus, quae habentur apud eumdem *pag. CCCLXXXVII.* 2. & *CCCLXXXVIII.* 1. patet. Immo & sub *Theodosio* Seniore, ut *pag. CCCLXXXIX.* 4. & sub *Valentiniano*, ut *pag. CCCXCII.* 1. In subditis enim Ethnicis Ethnica multa prudenter dissimulanda fuerunt; quare non mirum si *Vettius Agorius Praetextatus*, qui anno CCCLXXXIV. Praefecturam Praetorianam gessit, per omnes superstitionis Ethnicae, & profani sacerdotii, gradus, una cum uxore *Paulina*, devolutus est, ut Inscriptiones apud *Gruterum pag. MCII.* 2. & *CCCIX.* 5. & in *Ephemeridibus Litterariis Florentinis anni MDCCL. col.* 449. luculente testantur; de quo *Praetextato Prosopographia Codicis Theodosiani* omnino consulenda est. Quae quum firma, & indubitata, constent, ne ipso quidem *Thom. Mar. Mamachio* omnino repugnante *Tom. III. Origin. & Antiquit. Christ. pag.* 19. 121. 122. 136. non video, quomodo levibus incertisque coniecturis, quae hoc ipso omnes facile evertuntur ac corruunt, putent quidam, luculenta illa veterum Scriptorum de utriusque *Philippi* Christianismo testimonia posse destruere. Propterea sapientissimus *Tillemontius*, aliique viri doctissimi, Christianum, sed malum, *Philippum* iure meritoque adgnoverunt. Haec autem omnia disputavi, ut, quid contra *Philippi* Christianismum negantes regeri possit, ostenderem; non ut hanc litem meam facerem. *Philippum* excepit DECIVS, cui GALLVS & VOLVSIANVS successere, ac deinde VALERIANVS & GALLIENVS imperaverunt. De *Valeriano* autem ita scribit *Dionysius* Alexandrinus in *Epistola ad Hermammonem* apud *Eusebium Lib. VII. Cap. X. Ioanni quoque similiter revelatum est. Ait enim: Et datum est illi os loquens magna & impia: & data est illi potestas & menses quadraginta duo. Utrumque porro in Valeriano impletum mirari licet, illudque ante omnia considerare, cuiusmodi is ante persecutionem fuerit: qualiter mansuetus quidem ac benignus erat erga famulos Dei. Neque enim ullus superiorum Principum, ne illi quidem ipsi, qui palam Christiani fuisse dicuntur, tanta humanitate ac benevolentia nostros complexus est, quantam ille prae se ferebat initio principatus sui. Totaque*

eius familia piis hominibus abundabat, ac Dei Ecclesia esse videbatur. Verum Magister & Archisynagogus Magorum Aegypti, eum tandem persuasit, ut ab hoc instituto desisceret; iubens ut castos quidem, & sanctos viros persequeretur & occideret &c. Atque haec sunt, quae de benevolentia *Valeriani* erga Christianos initio sui imperii memoranda habui; quae innui etiam supra *pag.* 385. nam quum in eosdem saevire coepisset, divinam sensit ultionem a *Sapore* Rege Persarum captus; quare de eius filio *Gallieno* ita scribit *Eusebius Lib. VII. Hist. Eccl. Cap. XIII. Valeriano non multo post a Barbaris capto, & in servitutem redacto, filius eius Gallienus solus imperium obtinens, moderatius se gessit: missis enim edictis, persecutionem adversus nostros commotam sedavit; atque religionis nostrae Antistites secure deinceps munus suum obire, huiusmodi Rescripto praecepit. Imperator Caesar L. Licinius Gallienus, Pius, Felix, Augustus, Dionysio, Pinnae, Demetrio, & reliquis Episcopis. Indulgentiam beneficii nostri per universum orbem diffundi praecepimus; ut cuncti a religiosis locis abscedant. Quocirca & vos rescripti nostri forma uti potestis, ut nullus vobis deinceps molestiam facessat. Atque id quod vobis exsequi licet, a me concessum est. Proinde Aurelius Cyrenius Procurator summae rei, datam a nobis Rescripti formam sequetur .... Est & alia eiusdem Imperatoris constitutio ad alios Episcopos data, qua iis permisit, ut coemeteriorum suorum loca reciperarent.* Hinc non mirum, si *Dionysius* Alexandrinus apud *Eusebium Lib. VII. Hist. Eccles. Cap. XXIII. Gallienum* laudibus fert, dum de infelici *Macriani* tyranni exitu loquitur. *Macrianus*, ait, *qui seipsum praeposuerat, & ad ipsum Gallieni imperium proxime admoverat; ipse quidem iam non est, quippe qui nec antea erat: Gallienus vero sui similis, idemque, qui prius, manet. Ipse denique principatus, velut senectute deposita, & pristinae improbitatis sordibus repurgatus, nunc florentius viget; & longius cernitur atque auditur, & quacumque diffunditur.* Et ex intervallo: *At mihi rursus Imperatoris nostri annos contemplari subit. Video enim impiissimos illos, qui adeo celebres olim extiterant, brevi postea obscurissimos evasisse. Religiosissimus vero Deique amantissimus Imperator, septennalem circulum iam emensus, nonum imperii annum degit, quo nos festa celebraturi sumus.*

nus. Sed *Gallieno* imperante ODENATVS Rex Palmyrenorum obtinuit totius Orientis imperium. Erat *Odenato* coniux, insignis pudicitiae atque prudentiae in rebus agendis femina, quam *Trebellius* mirifice laudat. Hanc fuisse religione Iudaeam, S. *Athanasius Epist. ad Solitar.* testari videtur, quum ait in Arianos: *Zenobia Iudaea erat, & protectrix Pauli Samosateni; & tamen Iudaeis in Synagogas Ecclesias non tradidit.* Haec igitur scientiis erudita, usa est in Graecis litteris *Longino* praeceptore, quod prodit *Vopiscus* in *Aureliano*; sed & cupida Christianarum litterarum, male consulta, adscivit sibi magistrum *Paullum* Samosatenum, Episcopum Antiochenum, haereticum, de Christo abiecte nimis & humiliter sentientem, ac penitus iudaizantem; de quo, quum loquitur S. *Philastrius De Haeresibus Cap. LXV.* ita scribit: *Hic Christum hominem iustum, non Deum verum, praedicabat, iudaizans potius, qui & circumcisionem docebat; unde & Zenobiam quamdam Reginam in Oriente tunc temporis ipse docuit iudaizare.* Non multum diversa scribit *Nicephorus Callistus Lib. VI. Histor. Eccles. Cap. XXVII. Paullus porro ipse, curare eam (Zenobiam) in religione iudaissantem volens, plurimumque operae & curae in ea recte instituenda atque convertenda ponens, in Artemonis haeresin impegit.* Haec, occiso viro, Orientale imperium cum filiis capessivit, tandemque ab AVRELIANO devicta, capta, & triumphata fuit. Quid autem *Aurelianus* pro Christianis fecerit, refert *Eusebius Lib. VII. Histor. Ecclesiastic. Cap. XXX.* ubi de *Paullo* Samosatensi, Episcopali sede Concilii auctoritate deiecto, agit: *Igitur quum Paullus a recta fide simul & Episcopatu excidisset, Domnus, ut dictum est, administrationem Antiochensis Ecclesiae suscepit. Sed quum Paullus e domo Ecclesiae nullatenus excedere vellet, interpellatus Imperator Aurelianus rectissime hoc negotium diiudicavit, iis domum tradi praecipiens, quibus Italici Christianae religionis Antistites & Romanus Episcopus scriberent. Hoc modo vir supra memoratus cum summo dedecore per saecularem potestatem ab Ecclesia exturbatus est. Ac tam quidem erga nostros sic adfectus erat Aurelianus.* Post *Aurelianum* regnavit TACITVS, qui simul ac est adeptus imperium, datis in omnes provincias Rescriptis, persequutio-

nem

nem cessare iussit; nam in *Actis Charitonis* apud *Lippomanum* *Tom. VI. die 28. Septembris*, & *Surium Tom. V. eadem die*, haec scripta habentur: *Qui imperii Aureliani sceptra suscepit, erat, qui prius imperaverat, exemplo castigatus. Et timens, ne forte eadem faciens adversus Christianos, fieret etiam obnoxius eisdem suppliciis, iussit persequutionem adversus Christianos cessare per omnes provincias*. Sequitur ibidem scripta narratio de *Charitone*, qui multa passus, & iam pro Christo victima immolandus, ex *Taciti* Edicto, carcere, eidem atque aliis Martyribus patefacto, coactus est invitus liber exire. *Tacitum* excepit PROBVS in Oriente, cui CARVS subfectus est. Alterutri autem horum Imperatorum multum ob singularem doctrinam & eruditionem se probavit *Dorotheus* ille, qui deinde Episcopus Antiochenus fuit, & de quo superius *pag* 261. verba fecimus, *Eusebii* locum proferentes, cui deinde ille insequentia addit: *Unde & Imperator tamquam miraculo obstupefactus, eum in familiaritatem suam adscivit, & baphii purpurarum, quod est apud Tyrum, Procuratorem constituit*. CARINVM Imperatorem quosdam ex Christianis habuisse in amicitia, atque persequutionem excitatam cessare fecisse, certiora Martyrum Acta testantur, ut scribit *Baronius ad Ann. CCLXXXIV. n. VIII.* & nos superius *pag.* 385. indicavimus. De NVMERIANO vero illud a quibusdam traditum, minus tamen certis fundamentis innixum, quod, quum Antiochiam, quae ad Orontem est, venisset, in Ecclesiam Christianorum ingressus fuerit: & quum ibi libere quasi per transennam inspicere arcana eorum mysteria vellet, *Babylas* Episcopus magno animo in faciem ei resistens, id prohibuit, non licere dicens, eum, cruore ex idolorum sacrificiis pollutum, in domum Dei tam praecipitanter ingredi, & divina mysteria contaminatis oculis adspectare. Qua re *Numerianus* offensus excruciatum illum necavit, ut refert *Nicephorus Callistus Libro VI. Hist. Eccl. Cap. XXXIII.* quod ex *Actis Sancti Babylae* sumtum videtur, quae quidem interpolata ac corrupta sunt, ut superius *pag.* 422. animadvertebamus. Etsi vero haec non multum absimilia videantur iis, quae superius de *Philippo* ex *S. Ioanne Chrysostomo pag.* 433. protulimus, tamen ut *Bollandiani* ad diem *XXIV. Ianuarii* §. 2. num. 9. observant,

nec duos *Babylas* diverso tempore Antiochiae Episcopos fuisse, improbabile est; nec casus in omnibus fere similes pluribus contigisse insolitum. Sic *Lactantius Cap. V. De Mortibus Persequutorum* scribit, *Valeriano* dereptam cutim fuisse, & infectam rubro colore, in templo barbarorum Deorum, ad memoriam clarissimi triumphi, positam; & Auctor Chronici Alexandrini similia de *Carino* tradit. Licet vero DIOCLETIANVS & MAXIMIANVS immanissimi Christianorum hostes & persequutores fuerint, tamen quaedam veris Christianis, & Orthodoxae Ecclesiae, satis utilia iubere non omiserunt; nam ad Manichaeorum haeresin, quae Africae quoque provincias penetraverat, compescendam ac penitus submovendam, opportunum dedere Rescriptum, quod ita ex antiquo Codice Gregoriano, Titulo de Maleficis & Manichaeis, Libro VII. exscriptum est, sed depravate admodum, apud *Baronium* ad *Annum CCLXXXVII. num.* 1. „ M. Diocletianus & Maximianus nobilissimi „ Augusti Iuliano Proconsuli Africae. Otia maxima interdum „ homines in communiorem conditionis naturae hominum mo-„ dum excedere hortantur: & quaedam genera immanissima „ ac turpissima doctrinae superstitionis inducere suadent, ut, „ sui erroris arbitrio pertrahere & alios multos videantur, Iu-„ liane carissime. Sed Dii immortales providentia sua ordinare „ & disponere dignati sunt, ut, quae bona & vera sunt, & mul-„ torum & bonorum & egregiorum virorum & sapientissimo-„ rum consilio & tractatu illibata probarentur, & statuerentur; quibus nec obviam ire, nec resistere, fas est: neque „ reprehendi a nova vetus religio deberet. Maximi enim cri-„ minis est retractare, quae semel antiquitus tractata & de-„ finita sunt, & statum & cursum tenent & possident. Vnde „ & pertinaciam pravae mentis nequissimorum hominum pu-„ nire, inde ingens nobis studium est. Hi enim novel-„ las & inauditas sectas anterioribus religionibus opponunt, „ ut pro arbitrio suo prave excludant, quae divinitus con-„ cessa sunt. Quoniam nos, de quibus Solertia tua Sere-„ nitati nostrae retulit, Manichaeos audivimus nuperrime, ve-„ luti nova, & inopinata, prodigia in hunc modum de Persica „ adversaria nobis gente progressa, vel orta esse; & multa

„ fa-

„ facinora ibi committere; populos namque quietos perturbare, nec non civitatibus maxima detrimenta inserere; & verendum est, ne forte, ut fieri adsolet, accedenti tempore conentur exsecranda consuetudine, & ista hac lege Persarum, innocentioris naturae homines, Romanam gentem modestam atque tranquillam, & universum orbem nostrum, veluti venenis de suis malevolentiis inficere. Et quia omnia, quae pandit Prudentia tua in relationem religionis illorum, genera maleficiorum statuunt evidentissimorum, exquisitaque, & adinventa commenta; adeo eorum minas atque poenas debitas & condignas illis statuimus. Iubemus namque, auctores quidem ac principes, una cum abominandis scripturis eorum, severiori poenae subiici; ita ut flammeis ignibus exurantur; consectaneos vero, & usque adeo contentiosos capite puniri praecipimus, & eorum bona fisco nostro vindicari sancimus. Si qui sane etiam honorati, aut cuiuslibet dignitatis, vel maioris personae, ad hanc inauditam & turpem atque per omnia infamem sectam, vel ad doctrinam Persarum se transtulerunt; eorum patrimonia fisco nostro associari facies, ipsosque Froenensibus, vel Proconensibus metallis dari. Ut igitur stirpitus amputari mala, & nequitiae, de saeculo beatissimo nostro possint; Devotio tua iussis ac statutis Tranquillitatis nostrae maturius obsecundato. Dat. prid. Kalend. Aprilis Alexandriae. „ Et initio quidem sui principatus non malevolo erga Christianos animo fuerunt, quare *Eusebius Lib. VIII. Histor. Ecclesiast. Cap. XIII.* scripsit: *Igitur antequam bellum nobis indictum esset; quamdiu Imperatores placido ac benevolo erga nos animo fuerunt, quanta copia omnium bonorum, quantaque felicitate abundaverit imperium Romanum, quis explicare sufficiet?* Quot autem Christiani, quantaque pollentes auctoritate, in horum Palatio versarentur, superius *pag.* 223. 383. copiose ac luculenter explicavimus; quare non mirum si *Diocletiani* uxor *Prisca*, & filia *Valeria*, & ipsae Christianam religionem amplexae fuerunt, de quibus plura superius *pag.* 223. 380. *& seqq.* disseruimus. Illis nunc addere lubet, quod de eadem Augusta, quam *Serenam* alio nomine adpellant, *Gisberto Cupero in Cap. XXXIX. Lucii Caecilii De Mortibus*

tibus

tibus Persequutorum non omnino improbante, habent *Acta* S. *Susannae*, quae tamen sincerae fidei esse, haudquaquam existimo. „ Dum autem Diocletianus (ita in *Actis*) de Susanna
„ nepte sua Maximiano Caesari matrimonio coniungenda initum
„ semel consilium implere satageret; & iam compertum habuis-
„ set, Susannam refragantem, esse Christianae religioni addi-
„ ctam; eamdem una cum patre Gabinio voluit custodia de-
„ tineri, ut sic tam parentis, quam filiae, animum emolliret.
„ Sed, postquam quinquaginta & quinque dies ambo sic deten-
„ ti fuissent, agit idem Princeps cum Augusta Coniuge, ut
„ Susannam ad se perduceret, eiusque animi consilium explo-
„ raret, & ab subscepta nova religione revocare studeret. Se-
„ rena igitur iussu Imperatoris Susannam arcessens, tantum
„ abest, ut eam conata sit ab subscepta religione, quam &
„ ipsa Augusta clam coleret, dimovere; ut eam in ipsius con-
„ fessione vehementer corroborarit, & fortiter atque constan-
„ ter agere hortata sit. Nam ipsam apud se diebus plurimis
„ detinens, una simul cum ea ex Christianorum instituto diu
„ noctuque, quae erant Christianae religionis officia, frequen-
„ tabat &c. Ubi comperit Serena Augusta, Susannam marty-
„ rium suum forti animo consummasse, gaudens, noctu in
„ aedes illius advenit, corpusque eius propriis manibus cura-
„ vit, linteo involvit, & aromatibus condivit, opere pollin-
„ ctorio, sepelivitque in Arenario, in crypta apud Sanctum
„ Alexandrum, tertio idus Augusti: velum autem, quo san-
„ guinem eius abstersit, apud se in theca argentea retinuit, &
„ diu noctuque erat furtivis precibus ibi orans, „ Attamen, ut dixi, huiusmodi Actis fidendum omnino non est; quod in caussa fuit, cur superius *pag.* 380. *& seq.* ubi de *Diocletiani* coniuge *Prisca* egi, eorum rationem habere neglexi; non tamen negaverim, nonnulla eorum, quae heic de Augusta scribuntur, veritati historicae minime repugnare, modo conciliari possint cum illis, quae *Lucius Caecilius De Mortibus Persequutorum Cap. XV.* refert, illam scilicet ab Imperatore sacrificiis pollui coactam fuisse non aliter, quam filiam *Valeriam*. Sed labi potuere, potuere etiam resurgere: nam Auctor ille nihil amplius, quod ad earum religionem adtineat, dein-

Kkk de

de aperte prodit, & mortem tantum describit, *Cap. LI.* sequentibus verbis: *Valeria quoque per varias provincias quindecim mensibus plebeio cultu pervagata, postremo apud Thessalonicam cognita, comprehensa cum matre poenas dedit. Ductae igitur mulieres cum ingenti spectaculo & miseratione tanti casus ad supplicium; & amputatis capitibus, corpora earum in mare abiecta sunt. Ita illis pudicitia & conditio exitio fuit.* Miratur *Tornardus*, *Lactantium* non dixisse, *fuisse Valeriae exitio sacrificia, quibus cogente Diocletiano patre suo polluta fuerat*, Christiana quum esset. At quum tam *Valeria*, quam mater eius *Prisca*, religionis Christianae caussa interfectae non fuerint, aliaque caussa subesset, cur supplicio adducerentur, nil mirum si *Lactantius* illa non addidit. Multum tamen dixit illis postremis verbis: *Ita illis pudicitia & conditio exitio fuit*; & pudicitia quidem, qualis Christianarum mulierum propria erat ut plurimum, monogamia videlicet. *Valeriam* secundas nuptias refugisse Christiana pudicitia & constantia, *Licinii* primum, ut *Gisb. Cuperus* probabiliter opinatur; & *Maximini* deinde, ex eodem *Lactantio* aut constat, aut colligitur. Sed de *Maximini* nuptiis recusatis ita ille diserte *Cap. XXXIX.* „Denique, „quum libidinibus suis hanc legem dedisset (*Maximinus*) ut „fas putaret quicquid concupisset, ne ab Augusta (*Valeria*) „quidem, quam nuper adpellaverat matrem, potuit temperare. Venerat post obitum Maximiani ad eum Valeria, „quum se putaret in partibus eius tutius moraturam, eo „maxime quod habebat uxorem. Sed animal nefarium protinus inardescit. Adhuc in atris vestibus erat mulier, nondum luctus tempore impleto. Legatis praemissis in matrimonio postulat, eiecturus uxorem, si impetrasset. Respondit illa libere, quae sola poterat: primo non posse de nuptiis in illo ferali habitu agere, tepidis adhuc cineribus „mariti sui, patris eius; deinde, illum impie facere, quod „sibi fidam coniugem repudiet, idem utique facturus & sibi: „postremo nefas esse, illius nominis ac loci feminam sine „more, sine exemplo, maritum alterum experiri. Nunciatur „homini quid esset ausa. Libido in iram furoremque convertitur. Statim mulierem proscribit, bona eius rapit, aufert comi-

„ comites, spadones in tormentis necat, ipsam cum matre „ in exsilium relegat; nec in locum certum: sed huc atque „ illuc praecipitem cum ludibrio exturbat, & amicas eius „ adiecto adulterio damnat. „ Sed si *Prisca*, etiam *Serena* dicta est, ut superius *pag.* 383. observabamus, quum eius memoria in Martyrologiis passim habeatur, Christianam obiisse putandum est; & idem de *Valeria* existimandum, quum nihil de ea *Lactantius*, aliique Auctores, tradant, quae Christianam mulierem non deceant; & cum Christiana matre tamdiu deinde vixerit, ac denique una simul obierit. Hic autem opportune observaverim, ab *Eusebio Lib. IX. Histor. Eccles. Cap. I.* tradi, post revocationem Edicti persequutionis ab *Galerio Maximiano* factam, quum Ecclesia iterum pace & libertate potiri coepisset, eos, quorum in persequutione vacillaverat fides, animaeque naufragium fecerant, ad remedium avide properasse, supplicantes & flagitantes a validioribus, ut salutarem sibi dexteram porrigerent: Deumque orarent, ut propitius sibi esse vellet. Nonne inter hos *Prisca* & *Valeria* facile fuerint? Sed quoniam ex D. *Susannae* Actis, licet subiestae fidei, quaedam superius *pag.* 441. retuli; lubet etiam heic proferre, quae ad eius cum *Diocletiano* cognationem attinent, quemadmodum ex illis *Baronius Ad Ann. CCVIC. n. V.* ea colligit. *Susannae in primis*, inquit, *stemma in eis sic deductum invenimus: Maximum, seu Maximianum, Diocletiani fuisse germanum, eumque vita functum duos reliquisse liberos suos, Caium atque Gabinium, quos Christianae religionis professio ab eiusdem Diocletiani consuetudine segregavit. Duxit uxorem Gabinius, ex qua Susanna orta est; idemque postea, uxore defuncta, sacris ordinibus initiatus, presbyteratu dignus est habitus: Caius vero, quod duxisset vitam coelibem, summo quoque sacerdotio auctus & creatus est Urbis Episcopus, totiusque simul Christianae religionis Antistes, &c.* Sed horum apud Actorum Auctorem fides esto. *Ado* Viennensis in *Martyrologio* filiam quamdam *Diocletiani* memorat nomine *Artemiam* a daemonio vexatam, & a S. *Vito* curatam: sed vel historia falsa est, vel filia fuit ex aliqua concubina suscepta. CONSTANTIUS Magni *Constantini* pater ita laudibus ab *Eusebio Lib. VIII. Cap. XIII.* celebratur, ut prope Christianus

fuisse videatur. De eo enim ita scribit: „ Omnium Principum „ clementissimus ac benignissimus; & qui ex cunctis nostri temporis Imperatoribus, solus convenientem Imperatoriae Maiestati vitam exegit. Denique tum aliis in rebus humanissimum „ se ac beneficentissimum erga omnes praestitit; tum concitati „ adversus nos belli nullatenus particeps fuit. Sed quum veri „ Dei cultores, qui sub imperio suo degebant, immunes ab „ omni noxa & calumnia servasset, nec aut Ecclesiarum aedes „ subvertisset, aut quicquam adversus nostros esset molitus, „ tamdem felicissimum ac beatissimum vitae exitum consequutus est. „ Et quidem, quum *Diocletianus* & *Maximianus* crudele bellum Christianis indixere, feralia edicta exequi in homines noluisse, & conventicula tantum dirui passum esse, auctor *Lactantius* quoque est *De Mort. Persecq. Cap. XV.* cuius verba sunt: *Constantius, ne dissentire ab maiorum praeceptis videretur, conventicula, idest, parietes, qui restitui poterant, dirui passus est: verum autem Dei templum, quod est in hominibus, incolume servavit.* Quomodo autem in suo Palatio veros Christianos a se probatos usque retinuerit, expedivimus *pag.* 385. 386. eiusdem *Eusebii* auctoritate verbisque usi, cuius & sequentia verba sunt, *Lib. I. De Vita Constant. Cap. XVII.* „ Huiusmodi fuit Constantini pater, sicut a nobis breviter „ indicatum est. Qualis autem exitus vitae illi contigerit, „ quum se talem erga Deum praestitisset, quantumque discrimen inter illum & reliquos imperii consortes is, quem coluerat, Deus esse voluerit, quisquis rem ipsam attentius „ expenderit, facile cognoscet. Postquam enim multa regiae „ virtutis indicia diutissime praebuisset, unum quidem summum „ omnium Deum adgnoscens, eorum vero, qui plures Deos colerent, impietatem condemnans, & sanctorum hominum precationibus domum suam undique munivisset, reliquum deinceps „ vitae tempus expedite ac tranquille summa cum gloria exegisse dicitur: compos eius felicitatis, quam vulgo perhibent „ in eo positam esse, ut neque ab aliis adficiamur, neque alios „ ipsi adficiamus molestia. Ad hunc igitur modum toto Imperii „ sui tempore, quod aequabile perpetuo ac placidum fuit, universam familiam, coniugem scilicet ac liberos cum omnibus

„ mi-

„ ministris, uni omnium regi Deo consecravit. Adeo ut multitudo eorum, qui in ipsius Palatio simul versabantur, nulla re ab Ecclesia Dei differret. Inter quos erant etiam Ministri Dei, qui continuis precationibus pro salute Principis Deum venerabantur: quum tamen vulgo apud alios ne ipsum quidem Dei cultorum nomen proferre fas esset. Hactenus *Eusebius*. *Nicephorus Callistus Lib. I. Hist. Eccl. Cap. XIX.* ita *Constantium* morti proximum loquentem inducit: *Nunc mihi mors, vita ipsa dulcior est futura: nunc optatus adest obitus. Teneo siquidem maximum epitaphium, sepulcraleque monumentum, meum filium. Et quod in terris Imperatorem relinquo, qui Deo bene juvante Christianorum lacrimas abstersurus, & patratam ab impiis tyrannis crudelitatem vindicaturus est: id ego summae mihi felicitatis loco esse duco.* Quae quidem unde acceperit *Nicephorus*, ignoro, qui statim subdit: *Deinde ad multitudinem conversus, bono animo esse omnes jussit, qui a vera in Christum pietate non descivissent, quem deinceps cum Constantino in armis fore dicebat. Constantius enim in crapula illa imperatoris sobrietatem conservaverat, & Christi religionem obtinere plurimum studuerat, atque in ingruenti illa iniquitatis clavium igniculos inextinctas permanserat.* Et quidem ipse *Constantinus* in sua Constitutione apud *Eusebium Lib. II. Vit. Constant. Cap. IL.* ita patris pietatem laudibus fert: *Superiores quidem Imperatores, ob feritatem atque immanitatem morum, alienos semper atque extraneos habui. Solus pater meus lenitati ac mansuetudini studuit, cum admiranda religione Deum Patrem in omnibus suis actibus invocans.* Quare non mirum, si *Eusebius Lib. I. Vitae Constant. Cap. XXVII.* Christum *Constantii* Deum fuisse, adseveranter adfirmavit. *Maximiani* filius MAXENTIUS primo Christianis favere visus est; nam ita de eo scribit *Eusebius Lib. VIII. Hist. Eccl. Cap. XV. Hujus filius Maxentius, qui Romae tyrannidem arripuit, principio quidem fidei nostrae professionem simulavit, ut in eo morem gereret, blandireturque populo Romano. Itaque subditis suis praecepit, ut a persequutione Christianorum desisterent: fictam scilicet pietatis speciem prae se ferens; atque benignior multo atque humanior superioribus Principibus videretur. Verum progressu temporis haudquaquam talem se rebus ipsis praestitit, qualis futurus sperabatur.*

Aſt ſi *Maxentius* initio fuit erga Chriſtianos mitis & humanus, ac deinde ferox atque crudelis; GALERIVS MAXIMIANVS e contrario, quum iniquus ac furibundus in noſtros primum fuerit, divinam in phthiriaſi vindictam expertus reſipuit tandem, & feralia edicta revocavit, ut tradit *Euſebius Libro VIII. Cap. XVI. & XVII.* quamquam id totum referre lubet archetypis verbis Imperatoris apud *Lucium Caecilium De Mortibus Perſequutorum Cap. XXXIV.* quae ita habent. „ Inter cetera, quae pro reipublicae ſemper commo„ dis atque utilitate diſponimus, nos quidem volueramus „ antehac, iuxta leges veteres & publicam diſciplinam Roma„ norum, cuncta corrigere, atque id providere, ut etiam „ Chriſtiani, qui parentum ſuorum reliquerant ſectam, ad bo„ nas mentes redirent. Si quidem quadam ratione tanta eoſdem „ Chriſtianos voluntas invaſiſſet, & tanta ſtultitia occupaſſet, „ ut non illa veterum inſtituta ſequerentur, quae forſitan pri„ mum parentes eorumdem conſtituerant; ſed pro arbitrio ſuo, „ atque ut hisdem erat libitum, ita ſibimet leges facerent, „ quas obſervarent, & per diverſa varios populos congregarent. „ Denique cum eiuſmodi noſtra iuſſio extitiſſet, ut ad vete„ rum ſe inſtituta conferrent, multi periculo ſubiugati, multi „ etiam deturbati ſunt; atque quum plurimi in propoſito per„ ſeverarent, ac videremus, nec diis eoſdem cultum ac reli„ gionem debitam exhibere, nec Chriſtianorum Deum obſerva„ re; contemplatione mitiſſimae noſtrae clementiae intuentes „ conſuetudinem ſempiternam, qua ſolemus cunctis hominibus „ veniam indulgere, promtiſſimam in his quoque indulgentiam „ noſtram credidimus porrigendam: ut denuo ſint Chriſtiani, „ & conventicula ſua componant, ita ut ne quid contra di„ ſciplinam agant. Alia autem epiſtola iudicibus ſignificaturi „ ſumus, quid debeant obſervare. Vnde iuxta hanc indulgen„ tiam noſtram, debebunt Deum ſuum orare pro ſalute noſtra, „ & reipublicae, ac ſua, ut undiqueverſum reſpublica perſtet „ incolumis, & ſecuri vivere in ſedibus ſuis poſſint. „ Sed nunc *Euſebium* audiamus *Lib. IX. Hiſtor. Eccleſ. Cap. I.* ita ſcribentem: „ Et haec quidem palinodia Imperialis Reſcripti, „ quod ſupra retulimus, paſſim, & ubique in Aſia, & per

„ omnes

omnes circumquaque Provincias proposita cernebatur. Quibus in hunc modum gestis, Maximinus, qui Orientis Provincias tyrannide opprimebat; vir omnium hominum impurissimus, & divinae religionis hostis acerrimus; quum huiusmodi litterae ei displicerent, loco Rescripti, quod propositum fuisse memoravimus, verbis duntaxat mandavit Iudicibus suis, ut ab oppugnatione nostrorum abstinerent. Nam quum alioqui minime auderet potiorum voluntati, ac sententiae, refragari; suppresso edicto illo, quod supra retulimus, omnique cura, & cautione adhibita, ne per Provincias Imperii sui publice proponeretur, ipse nuda voce Rectoribus imperio suo subiectis praecepit, ut persequutionem adversus nostros inhiberent. Quod quidem mandatum ipsi sibi invicem Rectores per literas significarunt. Sabinus quidem qui Praefecturae Praetorianae dignitatem, quae apud illos summa habetur, tunc temporis obtinebat, singularum Provinciarum Praesidibus voluntatem Imperatoris per epistolam Latino sermone conscriptam insinuavit. Eam epistolam Graece nos interpretati sumus in hunc modum. Iampridem maiestas Dominorum nostrorum sacratissimorum Principum, assidua, ac devota solicitudine omnium mortalium mentes ad piam, rectamque, vivendi rationem traducere instituerat, ut & ii, qui peregrinas, & ab institutis Romanorum alienas, caeremonias amplecti videbantur, debitos cultus Diis immortalibus exhiberent. Verum pertinacia quorumdam, & obstinata mentis duritia, eo usque processit, ut neque ipsa Imperialis Praecepti iustitia eos a proposito revocare, nec imminentis supplicii gravitas deterrere, potuerit. Quum igitur acciderit, ut ea de caussa plurimi sese in abrupta pericula coniicerent, maiestas Dominorum nostrorum fortissimorum Principum pro insita sibi pietate, atque clementia, alienum a sanctissimo suo proposito esse iudicans, ut ea eiusmodi occasione in tanta discrimina homines adducantur, nostrae Devotioni praecepit, ut ad tuam Solertiam literas darem: quo si quis forte Christianorum gentis suae religionem observare deprehensus fuerit, eum omni molestia, ac discrimine liberes, neque ob hanc caussam ulla poena adficiendum censeas. Quippe cum tam longo iam temporis

tri-

„ tractu compertum fuerit, eos nulla ratione adduci posse, ut „ ab huiusmodi pertinacia abscedant. Scribere igitur ad Cura- „ tores, & Magistratus, & Praepositos pagi, singularum civi- „ tatum tua debet industria, ut sciant sibi in posterum huius „ negotii amplius curam agere non licere. Posthaec singularum „ Provinciarum Praesides, rati hanc revera esse Principis men- „ tem, quae literis Sabini exprometur, continuo Curatores, „ & pagorum Praepositos, per literas de Imperatoris volunta- „ te certiores faciunt. Nec vero scriptis duntaxat, verum „ etiam factis multo magis instabant, utpote qui Principis iussa „ exsequutioni mandarent. „ Haec ille. LICINIVS vero donec cum *Constantino* consensit, Christianis aequus ac benignus fuit, & coelestibus etiam oraculis dignatus est. Ita enim scribit *Lactantius De Mort. Perseq. Cap. XLVI. Proxima nocte Licinio quiescenti adstit Angelus Dei, monens ut ocyus surgeret, atque oraret Deum summum cum omni exercitu suo; illius fore victoriam, si fecisset. Post has voces, quum surgere sibi visus esset, & cum ipse, qui monebat, adstaret, tum docebat eum quomodo, & quibus verbis, esset orandum. Discussu deinde somno, Notarium iussit acciri, & sicut audierat, haec verba dictavit.* Summe Deus, te rogamus. Sancte Deus, te rogamus. Omnem iustitiam tibi commendamus, salutem nostram tibi commendamus, imperium nostrum tibi commendamus. Per te vivimus, per te victores & felices existimus. Summe Sancte Deus, preces nostras exaudi. Brachia nostra ad te tendimus. Exaudi Sancte Summe Deus. *Scribuntur haec in libellis pluribus, & per Praepositos Tribunosque mittuntur, ut suos quisque milites doceat &c.* Quare *Eusebius Lib. IX. Cap. IX.* ita de ambobus scripsit „ Post haec Imperator Constantinus, & Col- „ lega eius Licinius, qui nondum in eam insaniam proruperat, „ quae postea mentem eius pervertit; ambo DEVM omnium, „ quae sibi evenerant, bonorum auctorem venerantes, placantesque, uno consensu legem pro Christianis absolutissimam, & co- „ piosissimam promulgarunt. Et miracula, quae DEVS in ipsis „ ediderat, partaeque de tyranno victoriae nuntium, ipsamque „ adeo legem ad Maximinum, qui in Orientis partibus etiam- „ tum imperabat, seque ipsis amicum esse simulabat, trans- „ misere. At ille his rebus compertis, primum quidem, ut-

„ po-

pote tyrannus, graviter ingemuit. Postea vero, quum nec videri vellet aliis cessisse, nec rursus id, quod iussum erat, supprimere auderet, metu eorum, qui iusserant, hanc primum pro Christianis Epistolam veluti suopte motu, & ex propria auctoritate, conscriptam ad Praesides Imperii sui, necessitate adactus, direxit; ea, quae nunquam antea fecisset, ipse contra se simulate confingens. *Exemplum interpretationis Epistolae Tyranni Maximini.* Iovius Maximinus Augustus, Sabino. Et Gravitati tuae, & cunctis mortalibus notum esse arbitror, qualiter domini, ac parentes nostri Diocletianus, & Maximianus, quum cunctos fere homines relicto Deorum immortalium cultu ad Christianorum sectam se adplicuisse cernerent, recte atque ordine constituerunt, ut quicumque a Deorum suorum religione descivissent, publica animadversione, & supplicio, ad eorumdem cultum revocarentur: Ego vero cum in Orientis Provincias felicibus auspiciis primum venissem, comperissemque quamplurimos homines, qui Reipublicae usui esse possent, ob eam, quam dixi, caussam a Iudicibus in certa loca relegari; singulis Iudicibus in mandatis dedi, ne quis eorum deinceps adversus Provinciales atrociter saeviret: sed ut potius blanditiis, & adhortationibus, ad Deorum cultum eos revocare conarentur. Quamdiu igitur iuxta mandatum Maiestatis nostrae, haec a Iudicibus, prout iusseram, observata sunt, nemo ex partibus Orientis aut relegatus, aut contumelia adfectus est. Quin potius Provinciales nostri eo, quod clementius cum ipsis agebatur, ad numinum cultum redierunt: postea vero, quum anno praeterito Nicomediam feliciter essem ingressus, cives eius urbis me illic degentem adierunt cum Deorum simulacris; obnixe orantes, ne huiusmodi hominum genus in sua civitate habitare omnino sineretur. Sed quoniam complures huius religionis viros illis in partibus degere cognoveram, hoc eis responsum dedi, me quidem eorum petitioni libenter gratificaturum; sed non animadvertere idipsum ex aequo ab omnibus postulari. Quod si qui sint, qui in Christianorum superstitione permaneant, unumquemque pro arbitratu, ac mentis suae proposito, eligere, quod vellet; & si Deorum religionem amplecti vellent, perinde

„ id licere. Sed tamen & Nicomedienſibus, & reliquis civi-
„ tatibus, quae eamdem ad me petitionem cum ſumma conten-
„ tione detulerant, ut videlicet nullus Chriſtianorum in ſuis
„ urbibus habitaret, neceſſe habui benigne reſpondere: quando
„ ita obſervatum fuiſſet a cunctis retro Imperatoribus; Diis
„ quoque immortalibus, per quos genus humanum, & Rei-
„ publicae permanet ſtatus, idipſum placuiſſet: me quoque
„ huiuſmodi petitionem, quam de cultu Deorum ſuorum
„ ad me detuliſſent, confirmaturum. Quamobrem etſi iam
„ ante ſaepe Devotioni tuae partim per literas ſcripſi, partim
„ coram in mandatis dedi, ut adverſus Provinciales, qui hunc
„ Chriſtianae religionis ritum retinere voluerint, Provinciarum
„ Rectores nihil acerbe ſtatuant, ſed potius clementer, & mo-
„ derate indulgeant, ſeque illis accommodent: tamen ne forte
„ a beneficiariis, aut quibuſcumque aliis, iniurias, & concuſ-
„ ſiones patiantur, his etiam literis Gravitatem tuam admo-
„ nendam eſſe exiſtimavi, ut Provinciales noſtros blanditiis
„ potius, & exhortationibus ad Deorum curam, ac providen-
„ tiam adgnoſcendam adlicias. Itaque ſi quis ſua ſponte Deorum
„ cultum ſuſcipiendum adgnoverit, hunc ambabus ulnis ample-
„ cti oportet. Quod ſi qui religioni ſuae inhaerere maluerint,
„ arbitrio, ac poteſtati ſuae ſunt permittendi. Debet igitur
„ Devotio tua, quod ipſi mandatum eſt, ſedulo obſervare,
„ ne Provinciales noſtros iniuriis, aut concuſſionibus, oppri-
„ mendi licentia cuiquam concedatur: quum potius, uti iam
„ dictum, cohortationibus, blandiſque illecebris, ad Deorum cul-
„ tum revocandi ſint. Porro ut hoc praeceptum Maieſtatis
„ noſtrae univerſis Provincialibus noſtris innoteſcat, edicto abs
„ te propoſito iuſſionem noſtram publicari curabis. „ Sed quum haec ille non ex animi ſui ſententia, ſed neceſſitate compulſus praecepiſſet; & tamdem foedus cum *Licinio* percuſſum violaſſet, adverſus *Licinium* bellum movens, in proelio victus, demum adgnovit ſe ab ſuis Prophetis, Sacerdotibuſque, qui eum ad bellum excitaverant, fuiſſe deceptum, quos ideo neci dedit. Quare quum ſic Chriſtianorum Deo gloriam laudemque tribuiſſet, & abſolutiſſimam atque uberrimam legem pro eorumdem Chriſtianorum libertate tulit, ac paullo poſt gra-

gravissima aegritudine correptus, extremum diem clausit; ut memoriae prodidit *Eusebius Lib. IX. Cap. X.* qui & legem ipsam exhibet, ut sequitur:

„ Imperator Caesar Caius Valerius Maximinus, Germani„ cus, Sarmaticus, Pius, Felix, Invictus, Augustus. Provincia„ lium nostrorum utilitati omnibus modis nos perpetuo con„ sulere, eaque ipsis libenter praestare, quae omnibus maxi„ me fructuosa sint, & quaecumque ad communem ipsorum „ utilitatem, & commodum spectent, & Reipublicae inprimis „ conducant, quaeque singulis grata sint, & accepta, neminem „ ignorare, sed unumquemque res ipsas animo revolventem „ nosse, ac persuasum habere, confidimus. Certe quum antea „ nobis compertum fuisset, occasione legis illius, quae a Di„ vis Diocletiano, & Maximiano parentibus nostris lata erat, „ ut Christianorum conventus penitus abolerentur; multas con„ cussiones, praedasque, ab officialibus factas esse, atque hoc „ malum in dies longius serpere adversus Provinciales nostros, „ quibus maxime consultum volumus, quorum facultates hoc „ praetextu graviter atteruntur: superiore anno datis ad sin„ gulos Provinciarum Praesides literis statuimus, ut si quis „ adhaerere huic sectae, & religionis illius observantiam sequi „ vellet, ei liceret absque ullo impedimento in proposito suo „ permanere, nec ullus eum impedire, aut prohibere aude„ ret; sed ut quisque eorum id, quod sibi libitum esset, sine „ ullo metu, ac subspicione, agendi licentiam haberet. Verum „ ne nunc quidem latere nos potuit, quosdam ex Iudicibus „ praecepta nostra minus recte intellexisse, & in caussa fuisse, „ ut subditi nostri iussionibus nostris diffiderent, & ad cultum „ religionis illius, quam maxime probabant, cunctantius acce„ derent. Igitur, ut omnis in posterum subspicio, metus, & „ ambiguitas, adimatur, hoc Edictum proponi statuimus, quo „ cuncti intelligant, iis, qui hanc sectam, & religionem, sequi „ volunt, ex hac indulgentia Maiestatis nostrae licere, prout „ cuique libitum, aut acceptum fuerit, ad eam religionem, „ cui ex more servire constituit, colendam accedere. Sed & „ Dominica sua ipsis instaurare conceditur. Ceterum, ut in„ dulgentia nostra prolixior adpareat, illud etiam sancire volu-

„ mus; ut si quae domus, aut loca, ad ius Christianorum an-
„ tehac pertinentia, ex iussione Divorum parentum nostrorum
„ ad ius fisci devoluta sint, aut ab aliqua civitate occupata,
„ aut certe vendita, aut alicui dono data; cuncta ad pristi-
„ num ius, ac dominium Christianorum revocentur, ut hac
„ etiam in re pietatem ac providentiam nostram cuncti possint
„ adgnoscere. „ *Lucius Caecilius De Mortibus Persequutorum Cap. XXXXIX.* scribit, *Maximinum*, quum venenum hausisset, per dies quatuor insania percitum fuisse, additque: *Post multos gravesque cruciatus, quum caput suum parietibus infligeret, exsiluerunt oculi eius de caveis. Tum demum, amisso visu, Deum videre coepit candidatis ministris de se iudicantem. Exclamabat ergo sicut ii, qui torqueri solent; & non se, sed alios, fecisse dicebat. Deinde, quasi tormentis adactus, fatebatur; Christum subinde deprecans, & plorans, ut suimet misereretur. Sic inter gemitus, quos tamquam cremaretur edebat, nocentem spiritum detestabili genere mortis efflavit. Licinius* autem Leges duae quas una cum *Constantino* pro Christianorum libertate & incolumitate tulit, sunt quae sequuntur, ex *Eusebio Lib. X. Cap. V.* sumtae:

Iamdudum quidem, quum animadverteremus, non esse cohibendam religionis libertatem, sed uniuscuiusque arbitrio, ac voluntati permittendam, ut ex animi sui sententia rebus divinis operam daret, sanximus, ut tum ceteri omnes, tum Christiani, sectae, ac religionis suae fidem, atque observantiam retinerent. Sed quoniam in eo Rescripto, quo haec facultas illis concessa fuerat, multae ac diversae sectae diserte, ac nominatim, additae videbantur, quidam eorum ob hanc fortasse caussam paullo post ab huiusmodi observantia destiterunt. Quamobrem quum nos, Constantinus, ac Licinius, Augusti, felicibus auspiciis Mediolanum venissemus, & quaecumque ad commodum, utilitatemque Reipublicae pertinebant, solicite inquireremus; inter cetera, quae universis multifariam profutura iudicavimus, seu potius prae reliquis omnibus, haec constituenda esse censuimus, quibus divini numinis cultus, ac veneratio contineretur: hoc est, ut Christianis, & reliquis omnibus libera facultas a nobis tribuatur, quamcumque voluerint religionem, consectandi: quo scilicet quicquid illud est divinum, ac caeleste numen, nobis & universis, qui sub Imperio nostro de-

de-

degunt, propitium esse possit. Hanc igitur nostram voluntatem salubri, & rectissimo consilio promulgavimus, ut nemini prorsus Christianam observantiam, ac religionem sequendi, aut eligendi licentia denegetur. Sed unicuique liceat ad eam religionem, quam sibi conducere censuerit, animum adplicare, quo divinum Numen propensum erga nos studium, ac benignitatem, in omnibus possit ostendere. Porro consentaneum fuit, ut haec nobis ita placere praescriberemus, quo sublatis penitus omnibus sectis, quae in priore nostra de Christianis Epistola ad tuam Devotionem missa continebantur, cum illa, quae prorsus sinistra, & a nostra mansuetudine aliena, esse videbantur, omnino removeantur: tum ut in posterum quicumque Christianam religionem observandam sibi esse statuerunt, eam libere, & constanter absque ulla molestia, & impedimento retineant. Quae quidem idcirco tuae Solertiae indicanda censuimus, ut liberam & absolutam licentiam religionis suae colendae Christianis concessam a nobis esse cognoscas. Quod quoniam a nobis simpliciter, & absolute illis concessum est; simul etiam aliis observantiam, & cultum suum sectari volentibus, id concessum esse tua Devotio intelligit. Quod profecto temporum nostrorum tranquillitati convenire perspicuum est: unicuique liberum sit, quamcumque voluerit, colendi Numinis rationem eligere, atque observare. Atque id a nobis eo factum est, ut ne cui divino cultui, atque honori, quicquam a nobis detractum esse videretur. Hoc autem amplius in gratiam Christianorum decernimus; ut loca ipsorum, in quibus antehac convenire consueverant, de quibus in literis prius ad Devotionem tuam datis alia erat forma superiori tempore constituta, si qui aut a fisco nostro, aut ab alio quopiam ea emisse visi fuerint, ipsis Christianis absque ulla pecunia, & sine repetitione ullo superadditi pretii, incunctanter, ac sine ulla ambage, restituant; & si qui eadem loca dono acceperint, ut ea protinus Christianis reddant. Quod si qui ea loca emerunt, aut donata acceperunt; aliquid a nostra clementia petere velint; ii Praefectum, qui in illa Provincia ius dicit, adeant, ut a nostra Serenitate ratio ipsorum habeatur. Quae quidem omnia protinus sine ulla dilatione corpori Christianorum restitui tua cura, ac diligentia, oportebit. Et quoniam iidem Christiani non solum ea loca, in quibus convenire solebant, sed etiam alia, possedisse noscuntur

scun-

sciuntur, quae non privatim ad singulos ipsorum, sed ad ius corporis pertinuerunt; haec omnia post legem a nobis memoratam absque ulla dubitatione iisdem Christianis, hoc est cuilibet corpori, & conventiculo, ipsorum restitui iubebis: supradicta scilicet ratione servata, ut qui eo loco absque redhibitione pretii, sicut dictum est, restiterint, indemnitatem suam a nostra benignitate exspectent. Atque in his omnibus supradicto corpori Christianorum operam tuam, atque industriam, quoad fieri poterit, praestare debebis, ut mandatum citissime perficiatur, quo in hoc etiam communi, & publicae tranquillitati, a nostra clementia consulatur. Hac enim ratione, sicut iam diximus, DEI erga nos cura, ac benevolentia, quam in multis iam negotiis experti sumus, firma, ac stabilis, perpetuo permanebit. Porro ut huius legis, ac beneficentiae nostrae sententia ad omnium notitiam perferri possit, has literas nostras ubique proponi, & ad cunctorum cognitionem pervenire, convenit: ne benignitatis nostrae constitutio quemquam omnino latere possit. Haec quidem ex *Eusebio*; sed quia *L. Caecilius* hanc eandem nobis legem, licet initio mutilam, Latine servavit, eam iterum, ut ille exhibet, proferre haud abs re esse existimo. *Cum feliciter tam ego Constantinus Augustus, quam etiam ego Licinius Augustus, apud Mediolanum convenissemus, atque universa, quae ad commoda & securitatem publicam pertinerent, in tractatu haberemus: haec inter caetera, quae videbamus pluribus hominibus profutura, vel in primis ordinanda esse credidimus, quibus Divinitatis reverentia continebatur: ut daremus & Christianis, & omnibus, liberam potestatem sequendi religionem, quam quisque voluisset: quo quicquid Divinitatis in sede coelesti, nobis atque omnibus, qui sub potestate nostra sunt constituti, placatum ac propitium possit existere. Itaque hoc consilio salubri ac rectissima ratione ineundum esse credidimus, ut nulli omnino facultatem abnegandam putaremus, qui vel observationi Christianorum, vel ei religioni mentem suam dederat, quam ipse sibi aptissimam esse sentiret; ut possit nobis summa Divinitas, cuius religioni liberis mentibus obsequimur, in omnibus solitum favorem suum benevolentiamque praestare. Quare scire Dicationem tuam convenit, placuisse nobis, ut amotis omnibus omnino conditionibus, quae prius scriptis ad officium tuum datis, super Christianorum*

no-

omnino videbantur, nunc vere ac simpliciter unusquisque eorum, qui eandem observandae religioni Christianorum gerunt voluntatem, citra ullam inquietudinem ac molestiam sui id ipsum observare contendant. Quae sollicitudini tuae plenissime significanda esse credidimus, quo scires, nos liberam atque absolutam colendae religionis suae facultatem hisdem Christianis dedisse. Quod cum hisdem a nobis indultum esse pervideas, intelligit Dicatio tua, etiam aliis religionis suae, vel observantiae, potestatem similiter apertam & liberam, pro quiete temporis nostri, esse concessam, ut in colendo, quod quisque delegerit, habeat liberam facultatem, quia . . . . . . honori, neque cuiquam religioni aliquid a nobis. Atque hoc insuper in persona Christianorum statuendum esse censuimus, quod si eadem loca, ad quae antea convenire consueverant, & quibus etiam datis ad officium tuum literis certa ante hac forma fuerant comprehensa, priore tempore aliud vel a fisco nostro, vel ab alio quocunque videntur esse mercati, eadem Christianis sine pecunia & sine ulla pretii petitione, postposita omni frustratione atque ambiguitate, restituant. Qui etiam dono fuerant consequuti, eadem similiter hisdem Christianis quantocius reddant: etiam vel hi, qui emerunt, vel qui dono erunt consequuti, si putaverint de nostra benevolentia aliquid, Vicarium postulent, quo & ipsis per nostram clementiam consulatur. Quae omnia corpori Christianorum protinus per intercessionem tuam ac sine mora tradi oportebit. Et quoniam iidem Christiani non ea loca tantum, ad quae convenire consueverant, sed alia etiam habuisse noscuntur, ad ius corporis eorum, id est Ecclesiarum, non hominum singulorum, pertinentia, ea omnia lege qua superius comprehendimus, citra ullam prorsus ambiguitatem vel controversiam hisdem Christianis, id est corpori & conventiculis eorum, reddi iubebis: supradicta scilicet ratione servata, ut ii, qui eadem sine pretio, sicut diximus, restituerint, indemnitatem de nostra benevolentia sperent. In quibus omnibus supradicto corpori Christianorum intercessionem tuam efficacissimam exhibere debebis, ut praeceptum nostrum quantocius compleatur: quo etiam in hoc per clementiam nostram quieti publicae consulatur. Hactenus fiet, ut sicut superius comprehensum est, divinus iuxta nos favor, quem in tantis sumus rebus experti, per omne tempus

pro-

prospere successibus nostris cum beatitudine publica perseveret. Ut autem huius sanctionis benevolentiae nostrae forma ad omnium possit pervenire notitiam, prolata programmate tuo haec scripta, & ad omnium scientiam te perferre conveniet, ut huius benevolentiae nostrae sanctio latere non possit.

Exemplum alterius Constitutionis, qua Imperatores soli Ecclesiae Catholicae beneficium a se concessum esse, indicarunt.

Ave Anuline carissime nobis. Est hic mos bonitatis nostrae, ut ea, quae ad alienum ius pertinent, non modo nulla inquietudine adfici, sed etiam restitui, velimus, Anuline carissime. Quapropter iubemus, ut simul atque has literas acceperis, si quae ex illis, quae ad Catholicam Christianorum Ecclesiam per singulas civitates, aut in aliis locis, pertinebant, nunc a Decurionibus, aut quibuslibet aliis detinentur, confestim illorum Ecclesiis restitui facias. Quandoquidem volumus, ut quae supradictae Ecclesiae antea possederunt, ad earumdem ius omnino revertantur. Cum ergo perspiciat Devotio tua, huius nostrae iussionis manifestissimum esse praescriptum, operam dabis, ut sive aedes, seu quodcumque aliud, ad ius earumdem Ecclesiarum pertinuerit, cuncta illis quamtocius restituantur: quo scilicet te huic nostro praecepto accuratissime obtemperasse intelligamus. Vale Anuline carissime, & desideratissime nobis.

Iam non mirum, si tunc *Licinius* multos Aulicos, qui Christianam religionem profiterentur, habuit, ut superius *pag.* 386. demonstravimus.

XL. IVBILATORES. Inscriptio apud *Reinesium pag.* 973. *num. CCCXXIX.*

DOMINO PATRI IVBILATORI
CELERINVS FILIVS FECIT
IN PACE

XLI. IVDICES. *Lactantius De Mortibus Persequutorum Cap. XIV. Diocletianus vero, qui semper se volebat videri astu-*

tum

tum & intelligentem, nihil potuit subspicari: sed ira inflammatus, excarnificare omnes suos protinus coepit. Sedebat ipse, atque innocentes igne torrebat. Item Iudices universi, omnes denique, qui erant in Palatio, Magistri, data potestate, torquebantur. Vide superius *pag.* 386. & AREOPAGITAE.

§. X.

XLII. a LIBELLIS. *Epaphroditus* fuit *Neroni* & *Domitiano* a Libellis, de quo nos egimus superius *pag.* 217. 341. 345. 349. 359.

§. XI.

XLIII. MAGISTRATVS. *Tertullianus De Idololatria Cap. XVIII.* negat a Christiano homine Magistratum geri debere; sed non omnino recte; cuius verba superius *pag.* 370. 371. tempestive in medium adduximus. *Eusebius* pariter *Lib. VIII. Histor. Eccles. Cap. XI.* ea in medium adducit, quae manifeste evincant, Christianos honoribus & muneribus defunctos fuisse, nec ab magistratus gerendo abhorruisse; cuius verborum partem produximus superius *pag.* 372. Nos autem integro hoc Capite severiorem *Tertulliani* opinionem falsi revincimus, dum primitivorum Christianorum honores, dignitates, & magistratus, late recensemus. Relegenda sunt, & in memoriam revocanda, quae in antecessum, initio huius capitis, de Christianorum honoribus & dignitatibus generatim disserentes in medium adduximus *pag.* 368. *& seqq.*

XLIV. MAGISTRI MILITVM. Consule superius *pag.* 391. ubi *Flavius Felix* Magister utriusque militiae dicitur; de quo plura refert *Io. Ciampinius De Sacris Aedific. Cap. II.* *Martyrologium Romanum XVII. KL. Ianuar.* meminit Sancti Martyris *Valentini* Magistri militum. Inscriptiones Magistrorum militum exstant apud *Muratorium pag. MDCCCXXXXIX.* 2.

DOMINO · CASTERIO · MAGISTRO · MILITVM
QVI · VIXIT · ANNVS · LVIII · M · V · D · III · H · VIII
VITALIANVS · FRATER · B · QVIESCIT · IN ; DNO · ZESV ·

Apud *Donium pag.* 545. 89.

VITALIANVS · MAGISTER · MILITVM
QVIESCIT · IN · DOMINO
ZESV VIIII ·
APRILIS

XLV. MAGISTRI PALATII. Vide ſuperius in IVDICES.

XLVI. MAGISTRI SODALITII AGRIPPINENSIVM. Inſcriptio apud *Reineſium pag.* 1001. *num. CCCCXLIV.*

ΕΝΘΑΔΕ ΚΕΙΤΕ ΖΩϹΙΜΟϹ
ΔΙΑ ΒΙΟΥ ΣΥΝΑΓΩΓΗΣ ΑΓΡΙΠΠΕΝΗϹΙΩΝ
ΕΝ ΕΙΡΗΝΗΙ ΚΟΙΜΗϹΙϹ ΑΥΤΟΥ·
ΕΝΘΑΔΕ ΚΕΙΤΕ ΗΕΤΑΛΙϹ······ ΕΤΩΝ Ε·

Ad hanc Inſcriptionem ita ſcribit laudatus *Reineſius : Synagogam Agrippinenſium, cuius ſive Magiſter, ſive Quinquennalis Perpetuus . . . . fuerit Zoſimus, intelligo de Sodalitio Agrippinenſium Negotiatorum Romae commorantium, vel conſiſtentium . . . . & quidem Chriſtianorum ſeu Fidelium.*

§. XII.

XLVII. OECONOMI. Vide ſuperius *pag.* 309.

XLVIII. OFFICIALES. Vide ſuperius *pag.* 309.

XLIX. OPTIONES. Vide ſuperius *pag.* 310.

§. XIII.

§. XIII.

L. PATRICII. Vide superius *pag.* 391.

LI. PHYLARCHI. *Zocomus* Saracenorum Phylarchus, seu Tribus Princeps, Christianae religioni inhaesit, *Sozomeno Lib. VI. Hist. Eccl. Cap. XXXVIII.* auctore.

LII. PRAEFECTI AERARII. Vide ARCARII superius *pag.* 198.

LIII. PRAEFECTI ANNONAE. Inscriptio apud *Aringhium Tom. II. pag.* 717.

HIC REQVIESCIT IN PACE
SABINVS
VS PREF · ANN · QVI VISSIT
ANNVS &c.

LIV. PRAEFECTI ARTIFICVM. *Pusices* Martyr Persa, Praefectus erat Artificum *Saporis* Regis, tradente *Sozomeno Lib. II. Cap. XI.*

LV. PRAEFECTI AVGVSTALES. *Baronius ad Annum CCIV. num. II.* de *Philippo*, *Eugeniae* Martyris patre, Praefecto Augustali Aegypti, Christiano effecto, ex huius Actis, quae tamen non omnino sincera esse ait, agit; & *Martyrologium Romanum a. d. XIII. KL. Novembris* meminit *Artemis* Ducis Augustalis, qui sub *Constantino Maximo* claruit, sub *Iuliano* autem martyrium fecit. *Baronius* vero laudatus in *Adnotationibus ad Martyrologium* idem esse Ducem Augustalem, ac Praefectum Augustalem Aegypti, diserte scribit.

LVI. PRAEFECTI AVLAE IMPERATORIS. *Martyrolog. Roman. Pridie Non. Septemb.* meminit S. Martyris *Romuli* Aulae *Traiani* Praefecti. Vide AVLICI, & inferius *pag.* 464.

LVII. PRAEFECTI COHORTIS. Consule superius *p.* 298.

LVIII. PRAEFECTI CVBICVLARIORVM. Vide superius *pag.* 281. & CVBICVLARII.

LIX. PRAEFECTI GALLIARVM. Vide superius *pag.* 392. & inferius *pag.* 461. 462.

LX. PRAEFECTI PRAETORIO. Vide superius *pag.* 281. De *Probo* Praefecto Praetorio ultra saeculi IV. dimidium consulenda *Prosopographia Codicis Theodosiani*. Inscriptio apud *Baronium ad Annum CCCXCV.* & *Gruterum CCCCL.* 5. de *Probo* illo:

Eximii resolutus in aetheris aequore tantum
Curris iter cunctis integer a vitiis.
Nomine quod resonas imitatus moribus aeque
Iordane ablutus nunc Probus es melior.
Dives opum, clarusque genus, praeclarus honore,
Fascibus illustris, Consule dignus Avo.
Bis gemina populos Praefectus sede gubernans
Has mundi phaleras, hos procerum titulos,
Transcendis senior donatus munere Christi:
Hic est verus honos, haec tua nobilitas.
Laetabare prius mensae regalis honore,
Principis adloquio, Regis amicitia;
Nunc propior Christo, Sanctorum sede potitus,
Luce nova frueris, lux tibi Christus adest.
O numquam deflende tuis cum vita maneret
Corporis, atque arctus spiritus hos regeret.
Primus eras, nullique Patrum virtute secundus,
Nunc renovatus habes perpetuam requiem.
Candida fuscatus nulla velamina culpa,
Et novus insuetis incola liminibus,
His solare tuos, quamquam solatia maesta
Gratia non quaerat, gratia, Christe, tua.
Vivit in aeterna Paradisi sede beatus,
Qui nova decedens muneris aetherei
Vestimenta tulit, quo demigrante Belial
Cessit, & ingemuit hic nihil esse suum.

Nunc

Nunc tu, Christe, choris iungas coelestibus, ordo
Te canat, & placidum iugiter adspiciat.
Quique tuo semper dilectus pendet ab ore
Auxilium soboli, coniugiique, ferat.

Ablavius, qui *Constantini Magni* temporibus floruit, Christianus fuisse videtur. Is Vicarius Italiae, & Praefectus Praetorio, & Consul fuit. Vide *Prosopographiam Codicis Theodosiani*, quae & *Acindynum* Praefectum Praetorio tibi dabit. Alius *Probus*, *Sextus* scilicet *Petronius*, Praefectus Praetorio mihi Christianus esto, quum *Prudentius* loco superius *pag.* 368. producto adfirmet, *Anniadum suboles*, & *pignera clara Proborum*, & *Anicios*, *Olybriosque*, & *Paullinos*, *Bassos*, *Gracchos*, Christi mysteriis iam initiatos fuisse. Insuper hic *Probus* vir fuit *Aniciae Faltoniae Probae*, & pater *Anicii Probini*, & *Hermogeniani Olybrii*, & *Anicii Probi*, qui omnes Christiani videntur. Inscriptiones apud *Gruterum pag. CCCCL.* 2. 3.

SEXTO PETRONIO PROBO V · C
PROCONSVLI AFRICAE
PRAEFECTO PRAETORIO
QVATER ITALIAE ILLYRICI
AFRICAE GALLIARVM
CONSVLI ORDINARIO
PATRI CONSVLVM
ANICIVS PROBINVS V · C
CONSVL ORDINARIVS
ANICIVS PROBVS V C
QVAESTOR CANDIDATVS FILII
MVNVS SINGVLARI RELIGIONI
DEBITVM DEDICARVNT

SEXTO PETRONIO PROBO
ANICIANAE DOMVS
CVLMINI PROCONSVLI
AFRICAE PRAEFECTO
PRAETORIO QVATER
ITALIAE ILLYRICI AFRI
CAE GALLIARVM CON
SVLI ORDINARIO CON
SVLVM. PATRI ANICIVS
HERMOGENIANVS
OLYBRIVS ET ANI·
CIA IVLIANA C·F·EIVS
DEVOTISSIMI FILII
DEDICARVNT·

Et *pag.* CCCLIII. 2.

TYRANIAE ANICIAE
Q·CLODI HERMOGENIANI
OLYBRII V·C·
CONSVLARIS CAMPANIAE
PROCONSVLIS AFRICAE
PRAEFECTI VRBIS
PRAEF·PRAET·ILLYRICI
PRAEF·PRAET·ORIENTIS
CONSVLIS ORDINARII
FL·CLODIVS RVFVS V·P
PATRONAE PERPETVAE

Alia

Alia Inscriptio apud *Mamachium Tom. II. Orig. & Antiquit. Christianar. pag.* 240. ita habet:

FL · VL · CATERVIVS · V · C ·
EX PRAEF · PRAETORIO
QVI VIXIT CVM SEPTIMIA
SEVERINA C · F ·
DVLCISSIMA · CONIVGE · ANNIS · XVI · MINVS · D · XIII
QVIEVIT · IN · PACE · ANNORVM · LVI
DIERVM · XVIII · KVI · KAL · NOB ·
DEPOSITVS · EST · IIII · K · DEB ·
SEPTIMIA · SEVERINA · C · F ·
MARITO · DVLCISSIMO · AC · SIBI · SARCOFACVM
ET · PANTEVM · CVM · TRICORO · DISPOSVIT
ET · PERFECIT

Alia apud *Reinesium pag.* 993. *num.* CCCCXIII.

B · M ·
VLPIO CANDIDO VIRO LAVDABILI PATRI
EX PP · ET CLERICO QVI VIXIT ANNOS
LXXVII · M · V · D · XV · ET AVRELIE VALERIE
MATRI DVLCISSIME ET MVNATIE SPICE
FL · CANDIDVS · M · F ·

LXI. PRAEFECTI VRBI. Consule superius *pag.* 289. 372. & 462. *Martyrologium Romanum die XXII. Decemb.* Sancti *Flaviani*, qui Praefectus Vrbis fuerat, mentionem facit, & sub *Iuliano* Apostata passum dicit; sed *Tillemontius Tom. V. Monum. Eccles.* eius martyrium ad *Diocletiani* persequutionem revocat. S. *Damasus*, seu quicumque ille est, *Carmine XL.* ita canit. *De Fontibus Baptismatis* agens:

Hanc

Hanc autem Fidei sedem construxit ab imo
Militiae clarus titulis aulaeque fidelis
Romanaeque Vrbis Praefectus Longinianus.

Quod *Carmen* exstat etiam apud *Gruterum pag. MCLXIV. 7.*

LXII. PRAEPOSITVS DOMVS REGIAE *Saporis* Persarum fuit *Vstbazades* Christianus & Martyr, de quo agit *Sozomenus Lib. II. Cap. IX.* Vide superius *pag.* 359.

LXIII. PRAESIDES. *Pilati* Praesidis Iudaeae uxor aliquo modo *Christo* favisse videtur, quum illa marito dicenda curavit, quae narrat Evangelista *Matthaeus Cap. XXVII. vers.* 19. *Plinium Iuniorem*, qui Bithyniae Praeses fuerat, in Creta Insula fuisse a Tito ad Christiana sacra perductum, *Pseudo-Liutprandus* in *Adversariis*, & *Pseudo Flavius* in *Chronico*, fabulati sunt. *Tertullianus ad Scapulam Cap. IV.* quorumdam Praesidum meminit, qui si minus Christiani, animo tamen humaniore in Christianos fuere. *Quanti autem*, inquit, *Praesides, & constantiores, & crudeliores, dissimulaverunt ab huiusmodi causis? ut Cincius Severus, qui Thysdri ipse dedit remedium quomodo responderent Christiani, ut dimitti possent. Vt Vespronius Candidus, qui Christianum, quasi tumultuosum, civibus suis satisfacere dimisit: ut Asper, qui modice vexatum hominem, & statim deiectum, nec sacrificium compulit facere, ante professus inter Advocatos, & Adsessores, dolere se incidisse in hanc causam. Pudens etiam missum ad se Christianum in elogio concussione eius intellecta, dimisit, scisso eodem elogio, sine accusatore negans se auditurum hominem, secundum mandatum. Haec omnia tibi & de Officio suggeri possunt, & ab eisdem Advocatis, qui & ipsi beneficia habent Christianorum, licet acclament quae volunt.* Minus etiam crudeles ostendit aliquos, ex intervallo scribens: *Nam & nunc a Praeside Legionis, & a Praeside Mauritaniae, vexatur hoc nomen, sed gladio tenus, sicut & a primordio mandatum est animadverti in huiusmodi . . . . Arrius Antoninus in Asia quum persequeretur instanter, omnes illius civitatis Christiani ante tribunalia eius se manu facta obtulerunt: quum ille, paucis duci iussis, reliquis ait: ὦ δειλοί, εἰ θέλετε ἀποθνήσκειν, κρημνοὺς ἢ βρόχους ἔχετε. Eusebius Lib. VI. Hi-*

stor.

stor. Ecclesiastic. Cap. XIX. memoriae prodidit, quum *Origenes* Alexandriae moraretur, militem quemdam advenientem, *Demetrio* Ecclesiae Episcopo, & Praefecto Aegypti, litteras a Duce, seu Praeside, Arabiae, παρὰ τοῦ τῆς Ἀραβίας ἡγουμένου detulisse, quibus poscebat, ut confestim ad se *Originem* mitterent, qui doctrinam suam ipsi communicaret, κοινωνήσοντα λόγων αὐτῷ. *Martyrologium Romanum XIII. KL. Septembris: Sancti Lucii Senatoris, qui perspecta constantia Theodori Cyrenensis Episcopi in martyrio positi, ad fidem Christi conversus, ad eam etiam Dignianum Praesidem pertraxit, cum quo Cyprum profectus, quum ibi alios Christianos pro confessione Domini torqueri videret, ultro se ipsum obtulit, & eamdem martyrii coronam capitis obtruncatione promeruit.*

LXIV. PRIMICERII. Consule superius *pag.* 259. 387. & *pag.* 296. Primicerius Legionis occurrit, sicuti *pag.* 144. Primicerius Cursoriorum, & Primicerius Monetariorum.

LXV. PRIMISCRINII. *Nicostratus* Primiscrinius Praefecti Urbis, una cum *Zoe* uxore sua, Christi legem amplexus est, ut ex *Actis S. Sebastiani* constat.

LXVI. PRINCIPES. Vide supra *pag.* 355. 356. Princeps Synagogae *Sosthenes*, de quo aliisque, vide superius *pag.* 373. in ARCHISYNAGOGI. Princeps officii erat Sanctus *Florianus* Martyr, de quo consule *Tillemontium Tom. I. Monum. Eccles. in Persequut. Diocletian. Art. XV.* Vide IMPERATORES. REGES.

LXVII. PROCONSULES. Vide supra *pag.* 355. 360. An *Acacius* Proconsul, *Aglaides* pater, Christianus fuerit, ignoro: filia certe Christiana fuit, ut ex *Actis S. Bonifacii* Martyris apud *Ruinartium* constat. *Martyrologium Romanum VIII. Id. Octobris: Thessalonicae Sancti Demetrii Proconsulis, qui quum plurimos ad Christi fidem perduceret, Maximiani Imperatoris jussu lanceis confossus martyrium consummavit.* Sanctus *Pinianus*, Sanctae *Lucinae* vir, Proconsul fuit Asiae anno CCLXXXVI. & sequenti, ab Imperatoribus *Diocletiano*, & *Maximiano* constitutus. Consule *Bollandianos* ad XI. Maii, & *Tillemontium Tom. IV.*

LXVIII. PROCURATORES. An *Chusa*, Procurator *He-*

rodis Regis, Christi dogmata amplexus sit, ignoratur; sed forte ab eo alienus omnino non erat, quum eius uxor *Ioanna* Servatori fideliter adhaeserit, de qua egi in antecessum *pag.* 356. Vide superius *pag.* 374. PROCVRATORES. & infra RATIONALES.

LXIX. PROCVRATORES SVMMAE REI. Vide superius *pag.* 222. 324.

LXX. PROTECTORES. Vide superius *pag.* 386.

§. XIV.

LXXI. QVAESTORES. Consule superius *pag.* 199. 359. 461. *Martyrologium Romanum VII. Id. Februarii* meminit S. *Adauci*, qui quum adhuc in Phrygia Quaestoris officio fungeretur, martyrii corona dignatus est. Sed *Adauctus* vocandus fuerat, & non Quaestor fuit, sed Procurationem summae rei, & Magistri, ac Rationalis, officium integerrime gesserat, de quo egimus superius *pag.* 222. Inscriptio apud *Reinesium pag.* 984. *num. CCCLXXIV.*

HIC REQVIESCIT IN PACE PRAETEXTATVS
V · I · EXQVAESTOR SC · P · DP VII · ID · OCT · FESTO V · C · COS ·
FILIA EIVS PEAETEXTATA C · F · DP · XV · KAL · AVG ·
DECIO V · C · COS ·

Hanc refert etiam *Baronius ad Annum CCCCLXXII.* En etiam ut *Praetextati*, qui iam Gentilium superstitioni devotissimi erant, ut superius *pag.* 435. innuimus, Christi castris tamdem nomen dedere. Licet & antea ex *Praetextatis* aliquis Christianorum legi inhaesit, & sanguinem pro Christo martyr effudit, quo de egimus superius *pag.* 233. Non constat tamen an hi ex familia *Vettii Agorii Praetextati* fuerint.

LXXII. QVINQVENNALES. Vide superius *pag.*

§. XV.

§. XV.

LXXIII. RATIONALES. Consule superius *pag.* 222. 466. Inscriptio apud *Reinesium pag.* 941. *numer.* CXL. & apud *Aringhium Tom. I. pag.* 417.

SIMPLICIVS
EX RATIONABILIBVS VITA
INNOCENTIAQVE OMNIBVS COGNITVS
QVI VIXIT ANNIS XLI MENS · VIII·
D · XXVIIII
DEPOSITVS IN PACE DIE PRIDIE
IDVVM SEPTEMB.

Erant autem Rationales administri Imperatoris, qui etiam Procuratores Caesaris, Procuratores fisci, & Patrimonii Procuratores, adpellabantur.

LXXIV. REGES. Consule superius *pag.* 364. *Martyrologium Romanum XIII. KL. Iunii. Romae via Salaria Natalis Sanctae Basillae Virginis, quae quum esset ex regio genere, & illustrissimum sponsum haberet, illumque dimisisset, accusata ab eo quod esset Christiana, decretum est a Gallieno Augusto, ut aut sponsum reciperet, aut gladio interiret: quae conventa de hoc, quum respondisset Regem regum se habere sponsum, gladio transverberata est.* VII. KL. Iunii: *Romae Sancti Eleutherii Papae & Martyris, qui multos Nobiles Romanorum ad fidem Christi perduxit, & Sanctos Damianum & Fugatum in Britanniam misit, qui Lucium Regem una cum uxore, & toto fere populo baptizarunt.* Et III. KL. Octobris: *In Perside ...... Sanctorum Martyrum Dadae Saporis Regis consanguinei, Casdoae uxoris, & Gabdelae filii, qui honoribus spoliati, ac variis tormentis dilaniati, post longos carceres gladio sunt animadversi.* Sed quod ad *Lucium* Britanniae Regem spectat, sunt qui histo-

riae eius converſionis fidem negandam eſſe putent, de quo conſule *Mamachium Tom. II. Orig. & Antiqu. Chriſtian. pag.* 293. apud quem *pag.* 300. vide pariter, quae de *Donaldo* Scotorum Rege, exeunte ſeculo ſecundo Chriſti conſulta amplexo, quidam adfirmant. Ancilla Chriſtiana, quae Iberorum gentem ad Chriſti legem ſequendam induxit, de qua egimus ſuperius *pag.* 335. Regem etiam & Reginam illius nationis Chriſtianos effecit, ut ibi laudati Scriptores tradunt, quum Romanorum imperium *Conſtantinus* moderaretur. Sed multo ante *Teridates* Armeniae Rex Chriſti religionem profiteri coeperat, ut *Sozomenus Lib. II. Hiſtor. Eccleſ. Cap. VIII.* memoriae prodidit. Sanctam *Iulittam* regio ſanguine cretam fuiſſe, indicant eius *Acta* apud *Ruinartum*, & *Combefiſium*. *Fritigernus* Gothorum Rex ſub *Valente* Principe Chriſtianus effectus eſt, tradente *Socrate Lib. IV. Hiſtor. Eccleſ. Cap. XXXIII.*

LXXV. REGINAE. De Iberorum Regina Chriſtiana paullo ante egimus; & plura de *Zenobia* Regina Palmyrenorum ſuperius *pag.* 437. in medium adduximus. *Mauvia* Regina Saracenorum Chriſtiana fuiſſe videtur, & celebris eſt in *Martyrologio Romano VII. Id. Februar.* & apud *Rufin. Lib. II. Hiſtor. Cap. VI. Socrat. Lib. IV. Cap. XXXVI. & Lib. V. Cap. I. Sozom. Lib. VI. Cap. XXXVIII. & Lib. VII. Cap. I. Theodoret. Lib. IV. Cap. II.* Vide ſuperius *pag.* 364.

§. XVI.

LXXVI. SCRIBAE A MEMORIIS. Talis erat *Euſignius*, qui *Acta* Sancti *Baſiliſci* Militis & Martyris, ſaeculo IV. ſcripſiſſe dicitur in iiſdem *Actis*.

LXXVII. SCRINIARII. Vide ſuperius *pag.* 329. & *pag.* 465. ubi de Primiſcriniis.

LXXVIII. SENATORES. Vide ſuperius *pag.* 236. 360. 368. 369. 370. 387. 389. 390. 465. *Euſebius Lib. VII. Hiſtor. Eccleſ. Cap. XVI.* ubi Sancti *Marini* martyrium deſcribit, ita etiam de *Aſturio*, qui deinde Martyr pariter fuit, ut ex *Rufino Lib. VII. Hiſtor. Cap. XIII.* conſtat, ſcribit: *Tunc & Aſturius*

ob

ob religiosam fiduciam ac libertatem celeberrimum nomen est consequutus: vir ex Romanae Vrbis Senatoribus, Imperatoribus unice carus; & cum ob splendorem generis, tum propter divitias, omnibus notus, qui cum supradicti martyris supplicio interesset, humeris suis impositum cadaver, candida ac pretiosa amictus veste baiulavit: & magnifico cultu ornatum decenti tradidit sepulturae. Alia de eodem habet *Eusebius* Capite insequenti, & sub *Gallieno* Principe floruit. *Martyrologium Romanum* VI. KL. *April.* meminit Sanctorum Martyrum *Phileti* Senatoris, *Lydiae* uxoris, & filiorum *Macedonis* & *Theoprepidis*, quos sub *Hadriano* passos perhibent; & *XIV. KL. Septemb.* Sancti *Iulii* Senatoris, & sub *Commodo* Martyris meminit. Sub *Commodo* pariter Christianus erat *Apollonius* Romanae urbis Senator, in humanioribus litteris, & in Philosophia eximius, qui Christianismi accusatus, coram Senatu rationem fidei suae reddidit, elegantissima oratione pro defensione fidei suae pronuntiata, & nihilo minus capitali supplicio a Senatu damnatus est, de quo *Eusebius Lib. V. Cap. XXI.* & *Hieronymus* in *Catalogo*, & in *Epistola ad Magnum*. Sancti *Marini* ordinis Senatorii, qui Romae sub *Carino* Principe passus est, mentio est apud *Martyrologium Romanum VII. KL. Ianuarii*. Sanctus Quinctinus Martyr, *Zenonis* Romani Senatoris filius fuisse perhibetur in eius *Actis*; & ex Senatoria familia erant Sanctae Martyres Virgines *Rufina* & *Secunda*; & *Henricus Norisius* in *Cenotaphiis Pisanis* putat, eam familiam *Turciam Asteriam* fuisse, in qua *Rufi* & *Secundi* nomina occurrunt. *Asturius* ille, cuius paullo ante meminimus, ab *Rufino Asterius* dicitur; sed compertum non habemus, an *Rufinae* & *Secundae* pater hic fuerit. *Marcus* & *Marcellianus* Martyres Senatores fuisse videntur; nam in *Actis* Sancti *Sebastiani*, viri clarissimi adpellantur. Sanctus *Datīvus* pariter Martyr, Carthaginiensis Senator fuisse indicatur; sed huiusmodi Decuriones potius dicebantur. Sanctus *Tibertius* illustris Senator fuit, de quo consule *Tillemontium*. Hic reminiscendum est, quod *Tertullianus* scripsit, Senatum, Forum, Palatium, Christianis plenum fuisse, cuius ipsissima verba protuli superius *pag.* 178. Liceat mihi ex multis sequioris

aevi

aevi exemplis unum seligere, & epitaphium Sanctae *Paullae* a D. *Hieronymo* scriptum, in medium adferre.

Scipio quam genuit, Paulli fudere parentes,
Gracchorum soboles, Agamemnonis inclita proles,
Hoc iacet in tumulo: Paullam dixere priores:
Eustochii genitrix, Romani prima Senatus,
Pauperiem Christi, & Bethlemitica rura sequuta est.

§. XVII.

LXXIX. ex TABVLARIO PALATII. Vide superius *pag.* 420.

LXXX. TOGATI. Inscriptio apud *Aringhium Tom. I. Romae Subterran. Remesi im pag.* 981. *n. CCCLXVII.*

LXXXI. TRIBVNI MILITVM. Consule superius *pag.* 209. 387. *Martyrologium Romanum* plures Tribunos commemorat, ut *III. KL. April.* Sanctum *Quirinum*, qui sub *Traiano* Principe martyrium fecit; *XII. KL. Iunii*, Sanctos Martyres *Nicostratum* & *Antiochum*; *XIV. KL. Iulii*, Sanctum *Hypatium*; *XIV. KL. Septemb.* Sanctum *Andream*; *XIV. KL. Octobr. Ferreolum* Martyrem. Nil dicam de Tribunis Legionis Thebanae. Inscriptio apud *Muratorium pag. MDCCCLXXV.* 1.

FLAVIVS FLORI . . . ; . . . .
EX TRIBVNIS QVI VIXIT
ANNIS OCTOCINTA ET
SEPTIM MILITAVI ANN
TRICINTA ET NOVEM POSITV
EST AD SANCTOS ET PRO
BATVS ANNORVM DECIM
ET OCTO · HIC COMMEMO
RA . . . . . SANCTA IN ECLESIA
LVCDVNENSI

LXXXII. TRIBVNI VOLVPTATVM. De Tribunis Voluptatum mentio est in *Codice Theodosiano*, & in *Cassiodori Epistolis*. Inscriptio apud *Muratorium pag. MDCCCLXXXIV.* 1.

✠ FL · MAXIMO V · C · CON..............
CONCESSVM · LOCVM · PETRO ....
ROME · ET · TRIBVNO · VOLVP..........
ET · CONIVGI · EIVS · IOHANN..........
PAPA · HORMISDA · ET · TRANSM......
DVS PRAEPOSIT · BASC : BEATI PE.....

Inscriptio est sequioris aevi.

§. XVIII.

LXXXIII. VESTITORES IMPERATORVM. Inscriptiones apud *Aringhium Tom. I. pag.* 417. *Reinesium pag.* 965. *n. CCXCI. Muratorium pag. MDCCCXLII.* 2. apud quem ita habet:

HIC DEPOSITVS EST BENEMERITVS
VESTITOR IMPERATORVM

Aliter habet Inscriptio apud *Aringhium Tom. I. pag.* citata.

HIC POSITVS EST BENEMERITVS FL.....
VESTITOR IMPERATORIS QVI VIX.....
DEPOSITVS D VIIII KAL · SEPTEMBR.....
DOMINI HONORI AVG · VI COSS

Et haec quidem de honoribus & dignitatibus Christianorum, qui quatuor primis Ecclesiae saeculis vixere, dicta sufficiant; nam verum est generatim, quod *Theodoretus Lib. De curandis*

Grae-

[illegible] VIII scriptum reliquit, de Martyribus [illegible], [illegible] vero quomodo fuerint, & unde orti, qui hoc [illegible] Nam clare [illegible] & [illegible] quidem,

qui

(146) [illegible] amplius, & evidentius [illegible] atque eminet, quam recte se [illegible] tum à Baronio, tum à me & [illegible], versus illi *Juvenalis*, quibus de [illegible] multis superius pag. 227. egimus. [illegible] nomine ab illo Vate traductos fuisse putaverimus. Sed quia *[illegible]* [illegible] operis artifices, [illegible] fabri ferrarii, [illegible] tores, sectores lignorum, piscatores, caupones &c. Itaque mirabile non est, si cerdones ab Juvenali fuerint appella[illegible] amobrem miror quid sit [illegible] qui nihil ab ea sine ratione, [illegible] non sit compertum, atque cognitum, sed ut probabile constituerat. Igitur qui cerdo hominem fuisse negant, necesse est fateantur, ne verisimilem quidem esse eius de loco Juvenalis sententiam. Sed lure ne sic statuant, ea sola via, dissidendum est. Quare propenam [illegible] illorum argumenta, deinde [illegible] veterum auctoritate efficere, nihil [illegible] proponi, quod, non dicam evertere (nam est id omnino difficile) sed convellere aliqua ex parte nostram interpretationem possit, tum demum & facile superatum me, & magno in errore Tillemontium, atque [illegible], versatos [illegible].

Primum igitur, omnium [illegible] [illegible] li, impune quidem Domitianum in nobiles saevisse, dici, periisse autem postquam timendus cerdonibus esse coe[illegible] *coeperat*, cum anno nonagesimo quinto [illegible] in nobiles ab Domitiano fuisse tempestatem, scriberem. Si enim anno nonagesimo [illegible] Christiani ad necem Domitian[illegible] coeperunt, ille ve[illegible] rit, qui tandem Poetam dixisse, periisse hominem, postquam *cerdonibus coeperat esse metuendus*? Hoc autem, addunt, Dodwellus hoc modo argumentatur. *Cerdones ab Juvenali memorati*, [illegible] cerdonibus esse [illegible] ab illo pro[illegible] *fuerit* [illegible] quibus [illegible] *poterit*? [illegible] cerdonibus agerei. Quid enim, aiunt, sibi eo versu Poeta voluisset? An [illegible] periisse Domitianum Christiani cuiusquam opera? At falsum id quidem est. Suetonius enim oppressum imperatorem fuisse, scribit, amicorum, libertorumque [illegible] autem hos fuisse principes, Stephanum [illegible] Maurum militem ex eorum ordine, quos Cornicularios vocabant, Maximum libertum Parthenii, & Saturium Decurionem. Incredibile vero esse, horum aliquem fuisse initiatum mysteriis Christianorum. Quam rem non silentio veterum modo, sed etiam recentiorum [illegible] constare, qui [illegible] non esse [illegible] putaverint. Ac nimirum saepe, qui Christianos reos maiestatis agere consueverant, numquam hoc [illegible] facinus fuisse praetermissuros, si a nostris perpetratum intellexissent. Age vero, quem esse hominem non inspiciam, qui

qui se generis nobilitate iactarent, aut qui domesticarum copia circumfluerent, aut potentatu aliquo celebres facti essent? Minime gentium, o viri. Nihil horum illi habuerunt, sed pauperes homines gregariique fuerunt. Nominis vero [illegible] etiam, & [illegible]

Ooo lae,

qui coloniam induent, ut existimo, [illegible] [illegible] Domitianum, propterea quod nostram religionem delere decrevisset, Dei virtute penitus sublatum, atque extinctum dicentibus? Gentilem virum ut certa fama [illegible] [illegible] do posse. Significari autem eo nomine Clodianum, Maximum, Saturium, [illegible] les, qui veriti, ne ab Domitiano simulatis nobilibus, ipsi tandem supplicio [illegible] terent. Atque hoc pacto recte explicari id *corperat*; nostra autem interpretandi ratione non item. Nam Suetonium, ubi Flavium Clementem a Domitiano inter- [illegible] *facile maturavit sibi exitium*. Ab eodem [illegible] phanum Domitii se fuisse libertum, quae aut uxor Clementis fuit, aut altera [illegible] Plautillae filia. Rursus in e- pulentis vita tradita haec fuisse a [illegible] [illegible] *[illegible] tillae)* [illegible] *[illegible] cogitans* [illegible] [illegible] Mortuum autem Clementem nonagesimo [illegible] aerae vulgaris anno fuisse. Septem ergo menses a Clementis interitu ad id tempus fluxisse, quo Stephanus, sociique, contra Domitianum coniurarunt. Duri autem, exegeticique, his observationibus ad locum Iuvenalis explicandum aptius nihil posse.

Ego vero ut quidquam ex in loco [illegible] controversiam, aut primam speciem pugnare loquerer, etsi fieri potuit, tamen [illegible] nego. Neque enim [illegible] ut qui [illegible] in nobiles saevierat, [illegible] [illegible] quam desiderat, Cle- [illegible] *coperat*, idem dicatur, *periisse postquam* [illegible] incipient id quidem [illegible], si diuturni temporis ratio habeatur, quo in fami-

[illegible] Carthaginem ab imperatore [illegible] scripsisset, fateor equidem, me [illegible] cum non *patiens*, sed *postquam* [illegible] quod ad *coeperat* impleverit [illegible] Anno [illegible] *postquam*, & ad tum [illegible] Caecilium aut eundem [illegible] [illegible] Non, enim Iuvenalis,

qui

[illegible] coronam esse consequutos.

[illegible] tunc jussu Domi- [illegible] postquam coeperat ab Juvenale adhibitum [illegible] in ordines, hoc est Christianos saevire anno nonagesimo [illegible]. At Juvenalis quidem neque diu post, neque postquam saevire in nos coepit, tunc Domitianum sublatum affirmavit. Ita ut anceps sit illius de temporis brevitate [illegible] Caecilius affirmavit. Quare si [illegible] Caecilii loco potui, [illegible] non reprehendissem, si, ita ut ipsi adversarii faciunt, [illegible] etiam Juvena- [illegible]

Atenim coeperat, dicunt, ab Juvenali [illegible] Nam id incipere sic est comparatum, ut non solum in tempore, sed etiam in eam, de qua agitur, interdum cadat, quae non nisi diuturna aut ipsa per se, aut comparatione diuturnioris sit. [illegible] Domitiani adversus Christianos per- [illegible] coepit [illegible], ut eius persecutionis initia ab anno nonagesimo tertio removenda, atque in annum [illegible] etiam Eusebii Caesariensis gravissimo [illegible], nullo erat [illegible], nec id coeperat [illegible] minime non fuisse indicatos Christianos demonstrarent. At si qui adversus me [illegible], [illegible] ad ea, quae secundo [illegible] operis libro de Caecilii loco [illegible], modo bona fide, [illegible] Christianos est, [illegible] tum quidem [illegible]

[illegible] collectaneum est, [illegible] esse, ita [illegible] prodit, [illegible] dominationem [illegible] servitiis [illegible] sed tunc tamen [illegible] non erant Christiani, adversum [illegible] Domitiano vitam. Quare non erat opus, ut nos communes, ac pervulgatas adversarii nos docerent [illegible] existimationes, quae tritia omnium sermone sunt, ita ab [illegible] ignorari, ut ab ipsis [illegible]. Sed de his [illegible]

[illegible] Ethnicis moribus. Sit quidem ita, ut volunt. Sed cur non, ut [illegible] est, [illegible] non descripsisset, [illegible] complexit, [illegible] brevi post tempore [illegible] sive Judaeorum, [illegible] Sed qui [illegible] videri [illegible] Ethnicos [illegible]

quo

[illegible] , & [illegible] [illegible] fuerunt , neque [illegible] [illegible] [illegible] , [illegible] [illegible] [illegible] fuerunt . [illegible] [illegible] Sa-cerdotes & [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] . [illegible] [illegible] ergo viris ac feminis Martyrum [illegible] [illegible] sunt .


quae sint , vel malevolentiae in nos fu- [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] conentur. Est enim ab Eusebio traditum, [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] nostrae religionis hostem in morbum incidisse se , propterea quod lacerari Christianos , delerique funditus imperasset . Mitto reliqua , ne sim longior , quam pati brevitas operis videatur.

3. Nihilo gravius est , quod adiungunt , [illegible] ab se esse cerdones , quorum est ab Iuvenali facta in Satyra mentio. Non enim moror Silvestrum Comitem , qui eosdem ipsos censet , atque illos , a quibus Suetonius scribit fuisse caesum Domitianum . Nam etsi virum eruditissimum facimus , ut debeo , plurimi , tamen illius auctoritate non moveor , si quod dicit , nullo vetere monumento confirmare potest . Ecquod autem ille monumentum adfert , quo statuat , opinionem suam ad similitudinem veritatis accedere ? Nam si cerdones dicuntur ii , vel cum ex infima plebe sint , tum [illegible] labore victum parant , ut demonstratum alio loco est , quemadmodum Clodianus Cornicularius miles , Maximus libertus Parthenii , Stephanus libertus & Domitillae Principis feminae Procuratore , Saturius Decurio Cubiculariorum , uxor ipsa Domitiani , item denique , familiaresque eiusdem Imperatoris , adpel- [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] minus propterea se [illegible] [illegible] cerdones numerantem , dicunt . Nulla enim ratio est , quae eos , ut ita sentiunt , hortetur . Quod si ad originem [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] responderint , quibus tandem id efficient monumentis ? Ecquis enim veterum Clodianum , scripsit , humili loco fuisse natum ? Ad libertos autem quod attinet , quis neget , etiam aliquos fuisse non modo nobilibus natis , sed etiam [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] titudinem Christianorum eius aetatis , qua Iuvenalis florebat , cerdonum adpellationem potuisse , nemo , mea sententia , negabit , qui sciat eos tertio [illegible] saeculo fuisse ab Ethnicis [illegible] vocatos *pistores* , & plurimum [illegible]

[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] , & summo genere nati , & illustres dignitate homines numerabantur [illegible] [illegible] nullus in Domitiani caede [illegible] [illegible] tamen [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] aut in eundem partes , permittere , *in his , vel propter haec* , ait , [illegible] [illegible] [illegible] quidem adversarios , ut *vel in* [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] fuisse cerdones ad [illegible] [illegible] , qui & nobiles , & dignitate illustres fuisse constat ? Equidem illum per se ? Minime. [illegible]

Quae quidem omnia verissime dicta esse, Capite huius operis tertio rationibus variis adductis luculente demonstravimus; & Capite quincto, innumeris exemplis undique collectis, & curiose conquisitis, atque in certam seriem digestis, operose non magis quam stabiliter confirmavimus.

Chri-



„Verum cur illi sociorum religionis ratione, qui maximam partem viles, abjecti, artificesque essent, adpellari probro, contumeliisque huiusmodi nomine non potuerint, ne suspicari quidem possum. An Octavius, contra quem Caecilius Ethnicus apud Minucium disputat, pistor erat? Cur igitur *Pistorum praecipuus*, & *Plautina prosapia* ab inimico Christiani nominis vocatur, nisi caussa humilium, vilisque conditionis sociorum? Hoc enim sibi in animum hostes Christianorum induxerant, ut unus, pueros, uno verbo, plebeios vilesque homines libenter a nobis recipi in societatem putarent; nobiles autem, sapientes, philosophos non item. Cum autem plebeii, artificesque suopte labore victum sibi vestitumque comparare solerent, factum, ut arbitror, hinc est, ut quos alii agrestes, pistoresque, eosdem Juvenalis cerdones adpellaret. Ac de cerdonibus quidem hactenus, de quibus est his diebus paecis epistola ab Ioanne Lamio viro eruditissimo Italice ad me scripta, qua egregie, uti quidem solet, suam, Tillemontii, meamque mentem; ostenditque graviter, longe distare a veritate adversariorum sententiam.“

Christianos primitivos imperitos, ut plurimum, & rudes litterarum, fuisse.

CAPVT VIII.

CHristianos primo saeculo humiles ac pauperes despectosque ut plurimum fuisse iam vidimus; ex quo veluti sponte consequitur, eos etiam litterarum rudes, & imperitos, liberaliumque artium & disciplinarum expertes, fuisse. Iure igitur *Paullus* Corinthiis scribens, dicebat: Οὐ πολλοὶ ΣΟΦΟΙ κατὰ σάρκα, οὐ πολλοὶ δυνατοί, οὐ πολλοὶ εὐγενεῖς· ἀλλὰ τὰ ΜΩΡΑ τοῦ κόσμου ἐξελέξατο ὁ θεός, ἵνα τοὺς σοφοὺς καταισχύνῃ. *Non multi SAPIENTES secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles: sed QVAE STVLTA sunt mundi elegit Deus, ut confundat SAPIENTES.* (147) Etsi vero id minus testatum & perspicuum so-

(147) Contra hoc caput adesis, quid obiiciat *Pritanius* Cap. III. num. 4. nam enim comprehendisse satis ostendit, quod ipse in eo [illegible] demonstrandumque susceperim; nam adlegat Cap. IV. Epistolae I. *Pauli* ad Corinthios, in quo sunt illa verba, *Sic non est apud vos sapiens quisquam, qui possit iudicare inter fratrem suum?* Redarguit hic Apostolus Fideles, quod saecularia negotia & lites habentes, iudicari voluerint apud Gentiles, & non apud sanctos. Ecce, inquit *Pritanius*, inter nos sapientes magni, qui de talibus iudices essent. Ipse interea [illegible], quod non omnes dixi fuisse rudes & imperitos primo illo Ecclesiae saeculo, sed plurimos: & proculli insuper eiusdem *Pauli* verba perlege ad Corinthios, quibus non, nulli *sapientes vocabantur*, sed *non multi sapientes*. At *Pritanius*, ut multos fuisse ostendat eximiae peritiae & dexteritatis ad iudicandum, ait, decrevisse Apostolum e[x] illorum particularibus, minus peritos potius eligendos ad id muneris, illis verbis: *Saecularia igitur iudicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad iudicandum.* At non videt *Pritanius*, hisce Apostoli verbis destrui posse etiam illud, quod praecedentibus verbis [illegible] comprobari videbatur? Dicit Apostolus, mirabile profecto, si in vobis quidem saltem non est ad iudicandum idoneus? miratur igitur, interrogat, & nihil affirmat; ac deinde concedens rem ita se habere, infit: sed si ita se res habet, constituite ad iudicandum illos ipsos contemptibiles, hoc est idiotas & rudes; satius enim est Christianorum causas ab huiusmodi idiotis iudicari, quam ad Ethnicorum tribunalia confugere. Agit heic Apostolus non de solemnibus iudiciis, sed de iis, quae sunt de plano, & de arbitriis, in quibus nimis iuris subtilitate opus non est, sed naturali quadam prudentia, secundum ius Evangelicum, & caritatis normam, componi possunt. Quam cito Pritaniani sapientes & eruditi avolantes disparuerunt! Mirum autem [illegible], quod ex Cap. IV. eiusdem Epistolae *Pritanius* adducit, quasi Apostolus Corinthios *prudentes in Christo* dicendo, eos sapientes, & doctos, & eruditos declaret; quod plane ridiculum est; quum inibi Apostolus eos improbet atque damnet, quod sua sibi opinione prudentes videantur, & aliis se praeponant, quum vere non sint; quare eorum hic imprudentiam & temeritatem perstringit; non ut peritos & sapientes commendet; ut interpretes doctissimi docent, & ipsa illius capitis lectio persuadet. Haec igitur [illegible] disertissimis viri doctissimi *Thomae Mariae Mamachii* verbis *Tomo II. Origin.* &

foret his verbis, tamen facile persuadere esset, & ex ignavia Christianis, licet per summam calumniam, ab Ethnicis obiecta; (145) & ex ignorantia iisdem exprobrata; & ex passiva doctrinae eorum contemtione; & ex ingenua ac simplici ipsorum Christianorum confessione; & tandem ex numero, indole, & stilo, eorum Scriptorum, qui post Apostolos, & Evangelistas, aliquid elucubrantes commentati sunt.

Et quidem, quum Ethnici passim Christianos inertiae, & vitae inutilis, insimularent, id contigisse quoque videtur ex eo, quod non solum remp. non capesserent, & honoribus abstinerent, (146) & communibus negotiis minime implicarentur; sed etiam quod litteras, & bonas artes, Graecanicasque, ut ita dicam, doctrinas, aut negligerent, aut aversarentur. Hinc *Suetonius* in *Domitiano*, *Flavium Clementem* Consulem, *contemtissimae inertiae* hominem adpellare non dubitat. Et *Tertullianus Apologet. Cap. XLII.* hanc Christianis impactam calumniam memorat: *Sed alio quoque iniuriarum titulo postulamur, & infructuosi in negotiis dicimur.* Quam quidem calumniam diluens ita *Libro De Pallio* infit: *Ego nihil foro, nihil campo, nihil curiae debeo: nihil officio advigilo, nulla rostra praeoccupo, nulla praetoria observo. Cancellos non adoro, subsellia non contundo, iura non conturbo, caussas non elatro, non iudico, non milito, non regno, secessi de populo: imo unicum negocium mihi est, & aliud non curo, quam ne curem. Vita meliore magis in secessu fruare, quam in promtu. Sed ignava infamique. Scilicet patriae, & imperio, reique publicae, vivendum est. Erat olim ista sententia. Nemo alii nascitur, moriturus sibi. Certe quum* ad

& Antiquitat. Christian. in Parergo pag. 480. „ Apostolos quidem eorumque discipulos primorumque temporum Christianos singulari divinitus accepta doctrinae copia excelluisse, qui negaret, nostrorum hominum, ex ... fuisse, neminem; verumtamen Christianorum, qui tertio secundoque saeculo plures; qui autem primo, ebi paucos; qui Apostolorum denique aetate vixerint, fere nullos fuisse censeo, qui in doctrinis descriptionis Philosophorum versati essent; quod sane insigne est veritatis religionis Christianae argumentum. „ Idque ipsum toto hoc opere evidenter perspicueque demonstro; quare miraris subit, qua fronte *Fel. Solanus* in sua *Epistola VII.* quae est in *Ephemeridibus Litterariis Florentinis* anni *MDCCLI.* edita f. 11, asserere potuerit, *Memorabimus* in hac parte, & in eo, quod ad veterum Christianorum nobilitatem adtinet, mihi adversarium fuisse; quum eadem prope dixerit, ac quae ipse alias demonstravi, & modo amplius confirmare intrepide pergo.

(145) Consule superius, *Caput V.* universum, & praecipue *pag.* 171. *& seqq.*

(146) Consule tamen duo praecedentia Capita.

ad Epicuros & Zenonas ventum est, sapientes vocas, totum quietis magisterium, qui eam summae atque unicae voluptatis nomine conservavere. Tamen propemodum mihi quoque licebit in publicum prodisse. Soleo de qualibet margine vel ara medicinas moribus dicere, quae felicius publicis rebus & civitatibus & imperiis bonas valetudines conferent, quam tuae operae. Et quidem Ethnici etiam inertiae Christianis vertere poterant, quod a docendis litteris abstinerent. Laudatus *Tertullianus De Idololatria*: *Quaerendum autem est etiam de Ludimagistris, sed & ceteris professoribus litterarum. Immo non dubitandum, adfines illos esse multimodae Idololatriae. Primum quibus necesse est, Deos nationum praedicare, nomina, genealogias, fabulas, ornamenta honorifica quaeque eorum enuntiare; tum solemnia festaque eorumdem observare, ut quibus vectigalia sua subputant. Qui Ludimagister sine tabula VII. Idolorum . . . . Quis haec competere Christiano existimabit, nisi qui putabit convenire etiam non magistro? Scimus dici posse, si docere litteras Dei servis non licet, etiam nec discere licebit . . . . Fideles magis discere quam docere litteras capit. Diversa est enim ratio discendi & docendi.* Sed & *Lactantius Lib. V. Cap. II.* ita ingenue scribit: *Defuerunt apud nostros idonei, peritique, doctores, qui vehementer, qui acriter, errores publicos redarguerent: qui causam omnem veritatis ornate copioseque defenderent: provocavit quosdam haec ipsa penuria, ut auderent scribere contra ignotam sibi veritatem.* Paullo ante vero ita scripserat: *Non credunt ergo divinis, quia fuco carent; sed ne illis quidem, qui ea interpretantur, quia sunt & ipsi aut omnino rudes, aut certe parum docti. Nam ut plane sint eloquentes, perraro contingit; cuius rei causa in aperto est. Eloquentia enim saeculo servit &c. Eo fit ut sapientia & veritas idoneis praeconibus indigeat. Et si qui forte literatorum se ad eam contulerunt, defensioni eius non suffecerunt.* Sed & alias liberales artes, ut Picturam, & Sculpturam; & Mathematica quaedam, ut Astrologiam, mirifice negligebant, immo exhorrescebant, utpote quae magnam cum superstitione & Idololatria adfinitatem habere existimarent, quod late docet eodem libro *Tertullianus*; & quod in caussa est, cur antiquas Christianorum picturas & sculpturas,

adeo

adeo rudes, & informes, videamus; quod recte vir eruditissimus *Ph. Bonarotus* in suis ad Vitra antiqua Commentariis observabat. (150)

Hinc Christiani passim indocti, & imperiti, & literarum rudes, habebantur ab Ethnicis, & dicebantur. *Caecilius* quidem apud *Minutium Felicem*, eos, *de ultima faece collectis IMPERITIORIBVS, & mulieribus credulis sexus sui facilitate labentibus, plebem profanae coniurationis instituere* calumniatur. Et antea eosdem respiciens dixerat: *Itaque indignandum omnibus, ingemiscendumque est, audere quosdam, & hos STVDIORVM RVDES, LITTERARVM PROFANOS, EXPERTES artium etiam sordidarum, certum aliquid de summa rerum, ac maiestate decernere, &c.* Et ex intervallo: *Satis est pro pedibus adspicere, maxime indoctis, impolitis, rudibus, agrestibus: quibus non est datum intelligere civilia, multo magis denegatum est disserere divina. Lucianus De morte Peregrini* Christianos *ἰδιώτας ἀνθρώπους, rusticos indoctosque homines*, adpellat, & quorum quis simplicitate facile abuti posset. Praesidi, in *Agone Romani* apud *Prudentium*, Christiani *imperita turba* dicuntur:

Tu

tacet silentio tamen praeterire non possum differta, & mire ad rem facientia, magni Baronii ad annum CCCIII n. XVI. quam de quatuor Sanctis coronatis *Severo, Severiano, Carpophoro, & Victorino*, artis [illegible] [illegible] loquentes [illegible], verba, quae sunt subsequentia: *Est plane observatione dignum, quomodo* [illegible] *numero Christianorum*, [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] *ad Christianam fidem conversi*, [illegible], *sculpere Deos, quos ipsi manibus sculpsissent, mori potius delegerunt, quam Deos, vel* [illegible] *Dei*, [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] *Est* [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] *argumentum, quod quaecumque visuntur Romae* [illegible] [illegible] [illegible], [illegible] [illegible] *esse* [illegible], *ab antiquioribus longe dispares. Sunt in exemplum; ut de singulis* [illegible] [illegible]; *quae visuntur* [illegible] [illegible] *Romae in arcu triumphali, qui post* [illegible] *annos ab* [illegible] [illegible] [illegible] *Constantino*, [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] *opificum*, [illegible] *Traiani &* [illegible] [illegible] [illegible], [illegible] [illegible] *Urbis monumentis*, [illegible] [illegible] *parte apparuit* [illegible]; [illegible] [illegible], *quae* [illegible] [illegible] [illegible], [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible], [illegible] [illegible] [illegible], [illegible] [illegible] *secundum* [illegible] [illegible] [illegible] *videtur* [illegible] [illegible]. Vide tamen quae superius pag. 109. de Architectis; & [illegible] de Aurificibus; & pag. 311. de Pictoribus; & pag. 319. de Sculptoribus, late disseruimus, & quae passim de Artibus & Opificiis Christianorum in Capite V. habentur. Quod vero ad Signarium attinet, lubet heic proferre ex [illegible] antiquam Inscriptionem:

MARTIO · APRILI · ARTIFICI · SIGNARIO · QVI · VIXIT

ANNIS · XXXVII · MESES · DVO · DIES · V · BENEMERENTI · IN P.

Tu ventilator urbis, & vulgi levis
Procella, mentes inquietas mobiles,
Ne se IMPERITA TVRBA dedat legibus.

Iulianus Augustus apud *Gregorium Nazianzenum* συλλογισμῷ ᾧ ita Christianos irridet: Ἡμέτεροι, φησίν, οἱ λόγοι, καὶ τὸ Ἑλληνίζειν, ὧν καὶ τὸ σέβειν θεούς· ὑμῶν δὲ ἡ ἀλογία, καὶ ἡ ἀγροικία, καὶ οὐδὲν ὑπὲρ τὸ πίστευσον, τῆς ὑμετέρας ἐστὶ σοφίας. *Nostrae, inquit, sunt orationes, & Graece scire, quorum etiam Deos colere; vestrum vero infantia, & rusticitas, & nihil supra illud Crede, vestrae sapientiae est.* At criminator *Celsus* apud *Origenem Lib. III.* ulterius progreditur, & Christianos non rudes tantum, stolidos, & indoctos esse ait, verum doctos etiam sapientesque homines aversari, & a se longe repellere. Εἶθ' ἑξῆς φησιν ὁ Κέλσος τὰ ὑπ' ὀλίγων πάνυ παρὰ τὴν Ἰησοῦ διδασκαλίαν λεγόμενα νομιζομένων Χριστιανῶν, οὐ φρονιμωτέρων, ὡς οἴεται, ἀλλ' ἀμαθεστάτων φέρων, φησὶ τοιαῦτα ὑπ' αὐτῶν προστάττεσθαι. Μηδεὶς προσίτω πεπαιδευμένος, μηδεὶς σοφός, μηδεὶς φρόνιμος. κακὰ γὰρ ταῦτα νομίζεται παρ' ἡμῖν. ἀλλ' εἴ τις ἀμαθής, εἴ τις ἀνόητος, εἴ τις ἀπαίδευτος, εἴ τις νήπιος, θαῤῥῶν ἡκέτω· τούτους γὰρ ἀξίους εἶναι τοῦ σφετέρου θεοῦ αὐτόθεν ὁμολογοῦντες, δῆλοί εἰσιν, ὅτι μόνους τοὺς ἠλιθίους, καὶ ἀγεννεῖς, καὶ ἀναισθήτους, καὶ ἀνδράποδα, καὶ γύναια, καὶ παιδάρια, πείθειν ἐθέλουσί τε καὶ δύνανται. *Pergit Celsus, & quae de Iesu doctrina dicuntur a paucis e Christianorum numero non prudentioribus, ut ipse putat, sed rudioribus, ait praecepta esse nostrorum hominum: nemo accedat eruditus, nemo sapiens, nemo prudens: mala enim haec putantur apud nos; sed si quis est indoctus, insipiens, infans, fidenter veniat. Hoc pacto, inquit, satis adparet, quod soles fatuos, ignavos, stolidos, mancipia, mulierculas, pueros, capiant atque pelliciant.* Immo Christiani, Barbari passim audiebant, dum ludibrio habebantur, ut apud *Iustinum* Martyrem, *Tatianum* Assyrium, & *Clementem* Alexandrinum, videre est.

Quare iam non mirum, si Christianorum doctrina, & placita, & instituta, nugae & gerrae merae, stultitia, amentia, ab Ethnicis, solas disciplinas & litteras suspicientibus, passim haberentur, ut vulgo apud *Origenem* contra *Celsum* scri-

bentem videre est. Perantiquus autem ille Auctor Dialogi, qui *Philopatris* inscribitur, & cum *Luciani* operibus circumfertur, de Christianorum opinionibus loquens ait: *γυναικῶν τὰ ἀρέμματα ταῦτα χλεύη, καὶ παίγνια. Nam haec mulierum atque anicularum inventa sunt & ludicra.* Quin ipse *Lucianus De Morte Peregrini* Christianorum doctrinam *θαυμαστὴν σοφίαν mirificam sapientiam* εἰρωνικῶς adpellat. *Theophilus* vero Antiochenus *Lib. III. ad Autolycum* scribit: *λῆρον ἡγῇ τυγχάνειν τὸν λόγον τῆς ἀληθείας. Nugas esse existimas veritatis sermonem.* Et alibi de Gentibus loquens: *ἀλλὰ καὶ ὡς σπορφέαν εἰδότες τὰ καθ' ἡμᾶς λόγους καὶ μηδὲν ἔχειν ἡμᾶς λέγειν εἰς ἀπόδειξιν ἀληθείας τῆς καθ' ἡμᾶς, καὶ διδασκαλίας· μωρίαν δὲ εἶναι τὸν λόγον ἡμῶν φασιν. Nec cessant nostram religionem seu doctrinam maledictis incessere, ut nuperam & omni veritate vacuam, quam nec nos, si controversia oritur, satis luculentis demonstrationibus tueri possimus. Ad haec nostram doctrinam nihil aliud quam stultitiam esse, & meras nugas, cavillantur.* Quidam apud *Lactantium Lib. V. Cap. I. & II. aniles fabulas*, & *anilem superstitionem*, Christianam sapientiam deridentes adpellant. Ethnicis insuper *insania* fides nostra dicitur apud *Cyprianum* sub finem *Libri ad Demetrianum*; *amentia* apud *Plinium Iuniorem Lib. X. Epist. XCVII. dementia* apud *Tertullianum Apolog. Cap. I. XXVII.* & *Minucium Felicem in Octavio*, ubi insuper *furiosa* adpellatur *opinio*; quemadmodum in *Actis Martyrum Scillitanorum* apud *Baronium ad Annum CCII. furoris insipientia*. Sed & *stultitia* eadem audit Idololatris apud laudatum *Minucium*, *Lactantium Lib. VII. Cap. XXVII.* & *Rutilium Lib. I. Itinerarii*. Quod querens dolensque *Tertullianus* in *Apologetico Cap. ultimo*, *Haec sunt*, inquit, *quae in nobis solis praesumtiones vocantur, in Philosophis & Poëtis summae scientiae, & insignia ingenia. Illi prudentes, nos inepti; illi honorandi, nos irridendi; imo vero amplius & puniendi*. Et merito quidem: nam eo processit Ethnicorum malignitas & iniquitas, ut quod virtutis opus, & magni animi indicium, in suis admirarentur & praedicarent, in Christianis pervicaciam, desperationem, perditionemque, nuncuparent atque contemnerent. *Tertullianus* loco laudato: *Licet nunc sarmenticios & semaxios adpelletis, quia ad stipitem dimidii*

axis

affixi revinctis sarmentorum ambitu exurimur. Hic est habitus victoriae nostrae. Haec palmata vestis: tali curru triumphamus: merito itaque victis non placemus. Propterea enim desperati & perditi existimamur. Sed haec desperatio & perditio, penes vos in caussa gloriae & famae, vexillum virtutis extollunt. Mutius dexteram suam libens in ara reliquit. O sublimitas animi! Empedocles totum sese Catinensium Aetneis incendiis donavit. O vigor mentis! &c. Sed & testis omni exceptione maior ipse *M. Aurelius* Augustus, qui & Christianos persequutus est, & *Lib. XI. εἰς ἑαυτὸν* ita scribit, ut sit Christianae virtutis aestimator iniquissimus. Quum enim docuisset, animam mori paratam, ita paratam esse debere, ut id ἀπ' ἰδικῆς κρίσεως ἔρχηται, *a peculiari iudicio veniat*, subdit: μὴ κατὰ ψιλὴν παράταξιν, ὡς οἱ Χριστιανοί, ἀλλὰ λελογισμένως καὶ σεμνῶς. *Non ut simpliciter mortem aliquis subeat, id quod Christiani faciunt, sed bene subductis rationibus, & cum gravitate.*

Christiani tamen divina sapientia, & coelestibus doctrinis, instructi, se profanae eruditionis exsortes, & litteraturae imperitos, ac simplices, ingenue profiteri non verebantur. Iam superius mature *Pauli* Corinthiis scribentis verba protulimus, quibus id pronunciatur; qui etiam Colossenses monet, ut caveant ab inanis Philosophiae fallaciis, & ne ab humanis traditionibus & documentis seducantur. Immo primos Christianos a profanis disciplinis abhorruisse, luculenter indicare videtur, quod *Lucas in Actis Cap. XIX.* narrat, (151) Ephesi scilicet eos, qui

 fue-

(151) *Thrasymachus Epist. II. pag. 39.* hunc locum recitans, obiiciens, aliter a Calmeto enarratum fuisse illis verbis: *Curiosorum artium nomine intelliguntur Magia, Astrologia iudiciaria, fascinationes, praestigiae, ars denique quaedam, sed magicas fraudes, confiniendi.* Ipse etiam ex ipso intelligo, sed non solo, nec tam angustis terminis circumscripta. Dictio narrationis commoda ibi, ut et alias profanas doctrinas, & Graecanicae eruditionis partem, includant. Num id facio temere? Vox περίεργα, qua Lucas utitur, tam haec, quam alia, indicare posse videatur. Nam & *Plato de Socrate*, qui certe Magus & Praestigiator non fuit, scribit: περιεργάζεται ζητῶν τά τε ὑπὸ γῆς καὶ οὐράνια. *Loquentes in complexu* [illegible] generaliter exponit, ut omnes profanas doctrinas comprehendere videatur. *Tum qui fuerant mundi curiosa sectantes, afferentes codices suos, indicantes esse superfluos, igne cremaverunt.* Iesuita *Mariana* artem metalla permutandi, seu Chemiam intelligit, quae licet finem suum non consequatur, tam multa tamen arcana naturae revelat, causasque occultas utiliter detegit. Et si nihil credo haec de Magia & praestigiis aliisque superstitiosis artibus intelligenda essent, quum *Lucas ait* τὰ περίεργα πράξαντες, tamen qui [illegible] recte [illegible] profanarum doctrinarum partem apud Ethnicos constituebant. Astrologia Apotelesmatica inter scientias reputabatur, multique in eam incumbebant; & huiusmodi doctrinae libros fals-

fuerant curiosa sectati, contulisse libros, & coram omnibus concremasse. Vetustus autem Auctor *Epistolae ad Diognetum* Christianorum mores depingens, scribit: οὐ γὰρ ἐπινοίᾳ τινὶ καὶ φροντίδι πολυπραγμόνων ἀνθρώπων μάθημα τι, τοῦτ' αὐτοῖς ἐστιν εὑρημένον· οὐδὲ δόγματος ἀνθρωπίνου προεστᾶσιν, ὥσπερ ἔνιοι. *Neque profecto commentatione aliqua & cura hominum curiosiorum disciplina aliqua adinventa, eorum doctrina est; neque alicui dogmati humano patrocinantur, sicut nonnulli.* Quare non mirum, si deinde Christianus *Hermias* suum διασυρμὸν τῶν ἔξω φιλοσόφων acute festiveque conscripserit. Hinc etiam, quum *Caecilius* apud *Minucium Felicem* rudes, imperitosque homines, Christianos fuisse obiecisset, id non inficiatur *Octavius*, sed ita *Caecilio* respondet: *Et quoniam meus frater erupit, aegre se ferre, stomachari, indignari, dolere, illitteratos, pauperes, imperitos, de rebus coelestibus disputare: sciat omnes homines sine delectu aetatis, sexus, dignitatis, rationis & sensus capaces, & habiles procreatos: nec fortuna nactos, sed natura insitos esse sapientiam; quin ipsos etiam Philosophos, vel si qui alii artium* re-

fuisse eundem libros combustos censet Sanctus *Augustinus* in sua Enarratione Psalmi LXI. Recte ergo dixi, exemplum illud collatum luculenter indicare, primitivos Christianos a profanis disciplinis abhorruisse. Nam si *Lucas* [illegible] illos ac res curiosa [illegible]; eo magis [illegible] profanarum disciplinarum vocabulo illas [illegible]. Sed de hoc *Anglorum Newtonum* pag. LXVI. dissertantem audiamus. *Non Magi tantum, & Divini, atque Arioli, curiosi [illegible], sed Philosophi etiam, quorum nonnullis Zetetici, hoc est, Inquisitores [illegible]; quare Seneca dum [illegible] inquirit, [illegible] quod curiosum nobis [illegible] natura dederit. [illegible] inquirendum non est, ut [illegible] doctrinae genus [illegible], sed potius eos omnes, quos illis temporibus [illegible], quam veritatis habebant. Et profecto Paulus Apostolus, qui [illegible] fuit, ille fuit, qui Thessalonicensibus scribens, Philosophiam [illegible], & quae a Christi doctrina [illegible] ; [illegible] per inanem Philosophiam, quae est secundum traditionem hominum, secundum elementa huius mundi, & non secundum Christum. Adde, quod vox περίεργος curiosus in novo Testamento [illegible]*

[illegible] ad [illegible] [illegible] rerum inquisitorem, ut ab D. Paulo I. ad Timoth. Cap. V. 13. ubi de [illegible] viduis, quae περίεργοι curiosae sunt, & aliena opera investigant, loquitur. Et II. ad Thessalon. Cap. III. 11. περιεργαζομένους nuncupat quosdam, qui moribus [illegible] sunt, [illegible], [illegible] & [illegible] curiosi [illegible]. Sed quis [illegible] & [illegible], & a Christi [illegible] aliena, quam [illegible] Platonicorum, Peripateticorum, Stoicorum, [illegible]? Cur & hos libris [illegible] non debuerunt [illegible], qui [illegible] curiosa [illegible]? Insuper multi eius aetatis Philosophi Magiae operam dabant, ut Pythagorei, & insigni in Apollonio Thyaneo exemplum habemus; ut Platonici, qui theurgiae, & daemonum [illegible] operam dabant, ut eorum libris [illegible], adfirmatque Augustinus [illegible] illis de Civitate Dei voluminibus; quare & ab his [illegible] abhorrere [illegible] Christiani, & eorum libros flammis [illegible]. Michael Neandrus, cuius [illegible] [illegible] potest, [illegible] in Veteris Testamento [illegible], & περίεργα adhiberi, ut [illegible] curiosam operam notam significent, ut in Ecclesiastico Cap. III. [illegible] & Cap. XLI. [illegible]

reperteres in memorias exierunt, priusquam solertia mentis parerent nominis claritatem, habitas esse plebeios, indoctos, seminudos. Propterea etiam *Tertullianus*, quum artes quasdam, & disciplinas, *Libro De Idololatria*, ut superius vidimus, damnet, *Libro* etiam *De Praescriptionibus*, Philosophiam, & Graecanicas doctrinas, elevare videtur, & minus Christiano homini congruentes adserere. *Quid ergo Athenis*, inquit, *& Ierosolymis? Quid Academiae & Ecclesiae? Quid haereticis & Christianis? Nostra institutio de Portica Salomonis est; qui & ipse tradiderat Dominum in simplicitate cordis esse quaerendum. Viderint qui Stoicum, & Platonicum, & Dialecticum, Christianis praetulerunt. Nobis curiositate opus non est post Christum Iesum, nec inquisitione post Evangelium.* Atque haec quidem ille, qui in *Libro adversus Praxean* maiorem credentium partem, simplices, & imprudentes, & idiotas, fuisse ingenue fatetur illis verbis: *Simplices enim quique, ne dixerim, imprudentes & idiotae, quae maior semper credentium pars est, &c.* Quae, ut videtur, respiciens *Hieronymus Epistola ad Oceanum*, Christianos omnes RUSTICORUM nomine denotat. *Ignorat*, inquit, *momentaneus sacerdos humilitatem & mansuetudinem RUSTICORUM, ignorat blanditias Christianas, nescit se ipsum contemnere.* (152) Immo *Arnobius Lib. II. Adversus Gentes* censere videtur, profanae eruditionis ignorationem, prope a Christo Iesu, ut inutilis & supervacaneae, praescriptam fuisse. *Et ideo*, inquit, *Christus, licet vobis invitis Deus. Deus inquam Christus, hoc enim saepe dicendum est, ut infidelium dissiliat, & dirumpatur auditus, Dei principis iussione loquens sub hominis forma, quum mortalium sciret caecam esse naturam, neque ullam posse comprehendere veritatem positarum nec ante oculos rerum, pro comperto habere & cognita quicquid sibi esse suasisset, & prorsus suspicionibus haesitare, litigiosas serere atque intendere quaestiones, omnia*

ista

(152) *Thrasymachus Epist. II. pag. 14.* Nequicquam perlegenti. *Rusticorum* nomine hic ab *Hieronymo* Apostolos denotari; quum legenti *Hieronymi ad Oceanum* Epistolam illam, liquido ac perspicue pateat, agi ibidem de Christianorum perfectorum moribus, quibus ornari non possit momentaneus sacerdos, hoc est neophytus, qui heri & nudius tertius tinctus est & Christianus effectus, & tamen ad sacerdotii dignitatem evehitur; quod improbat cum Apostolo sanctus ille Doctor. Quare verba illa memoranda praecedunt: *Heri Catechumenus, hodie Pontifex; heri in Amphitheatro, hodie in Ecclesia; vespere in Circo, mane in altari; dudum fautor histrionum, nunc virginum consecrator.* Ne verbum quidem de Apostolis in tota illa Epistola.

ista nos linquere & posthabere praecepit; neque in res eas, quae sint a nostra procul cognitione dimotae, infructuosas immittere cogitationes: sed quantum fieri potest, ad Dominum rerum tota mente atque animo proficisci, subtolli ab his locis, atque in eum tradicere subspensas pectoris conversiones, memoriam eius habere perpetuam; & licet nulla possit imaginatione formari, alas tamen nescio quas eius sibi contemplationis adfingere.

At horum omnium argumentum indubitatum, & evidens demonstratio est, indoles & eruditio & stilus primitivorum Christianorum, qui aliquid post Apostolos & Evangelistas commentati literarum monumentis consignaverunt. Etenim, praeterquamquod haud multi sunt, eorum stilus simplex admodum est, & incomtus, quique exiguum, aut nullum, profanae eruditionis adparatum praefefert, & ab divinorum novi foederis Scriptorum genio minime recedit. Horum primus memoriae occurrit *Clemens* Romanus Episcopus, qui utilem ad Corinthios nomine Romanae Ecclesiae scripsit Epistolam, & in qua Graecanicae doctrinae non omnino ineruditum se prodit; de cuius dictione audiamus *Photium Cod. CLXXVI.* ita iudicantem: ἁπλῶς δὲ κατὰ τὴν φράσιν, καὶ σαφής ἐστι, καὶ ἐγγὺς τοῦ ἐκκλησιαστικοῦ, καὶ ἀπεριέργου χαρακτῆρος. *Simplex eius oratio est ac perspicua, & ad Ecclesiasticam & inelaboratam dicendi formam accedens.* Presbyter ille Asianus, qui Periodos *Pauli* & *Theclae* scripsit, ante *Ioannis* Apostoli obitum certe eas composuit, adtestante *Hieronymo De Script. Eccles.* quas quidem Periodos stilo admodum simplici exaratas edidit tamdem *Ernestus Grabius Tomo I. Spicil. Patrum*. Sed & *Hermas* quidam *Librum Pastoris* sub primi saeculi exitum scripsit, in quo simpliciter revelationes quaedam referuntur. (113) Auctor Epistolae ad *Diognetum*, se Apostolorum fuisse discipulum profitetur illis verbis: ἀποστόλων γενόμενος μαθητὴς γίνομαι διδάσκαλος ἐθνῶν. *Quum Apostolorum fuerim discipulus, fio doctor gentium*; & quae scripsit, Christianae sapientiae plenissima sunt,
&

(113) *Thrasimachus Epistol. II. pag. 94.* obiicit mihi, quod *Nourrius Tom. I. Appar. ad Bibliothecam Maxim. Patrum Dissert. IV. Art. XI.* scriptum reliquerit: *Non possumus quidem* [illegible] *inficias Hermam nil potuisse alia methodo scribere simplicius*. At id haudquaquam mihi adversatur; nam si *et* [illegible] *simplicior* desideretur, ergo simplex agnoscitur; in positivo enim ad comparativum adscenditur. Quin ubi sensus est illic *simplicior*

sed florenti eloquio composita: ceterum alii vulgo huius Epistolae auctorem *Iustinum* Philosophum arbitrantur. Sed & eruditus censendus esset Architecton ille, qui *Vespasiani* Amphitheatrum construxit; si illum vere Christianum fuisse constaret, ut *Marangonius De Amphitheatro* pertendit, quo de egi superius *pag.* 201. *Ignatius* quoque Antiochenus Episcopus sub secundi saeculi initium Epistolas septem conscripsit, de quibus *Polycarpus*, Smyrnensis Episcopus eius σύγχρονος, ita in sua Epistola scribit: ἐξ ὧν μεγάλα ὠφεληθῆναι δυνήσεσθε, περιέχουσι γὰρ πίστιν, καὶ ὑπομονὴν καὶ πᾶσαν οἰκοδομὴν τὴν εἰς τὸν κύριον ἡμῶν ἀνήκουσαν. *Ex iis magnam vobis percipere utilitatem licebit; continent enim fidem, patientiam, & cetera, quae ad augendum Domini nostri cultum pertinent.* Ex eodem tempore Epistolae *Polycarpi* meminimus, quae tamen controversa est, & an genuina sit dubitatur; & quam *Photius Cod. CXXVI.* dicit plenam πολλῆς νουθεσίας μετὰ σαφηνείας καὶ ἁπλότητος, *multis admonitionibus, cum perspicuitate & simplicitate.* *Papias* quoque Hierapolitanus Episcopus, cum Apostolorum discipulis consuetudinem habuerat, & *Polycarpi* σύγχρονος erat, & quinque *De explanatione Oraculorum Dominicorum* libros reliquit. *Eusebius Lib. III. Cap. XXXIX.* eum σφόδρα μικρὸν ὄντα τὸν νοῦν, *fuisse mediocri admodum ingenio* ait; & *Henr. Valesius* eruditissimus iudicium illud *Eusebii* de eodem *Papia Lib. III. Cap. XXXVI.* ἀνὴρ τὰ πάντα ὅτι μάλιστα λογιώτατος, καὶ τῆς γραφῆς εἰδήμων: *Vir in primis disertus, & eruditus, & Scripturarum peritus*; ab imperito quodam Scholiaste adiectum esse subspicatur, non tantum quod alii *Eusebii* iudicio adversetur, sed etiam quod in quibusdam MSS. Codicibus desit. Verum quidem est, *Hieronymum* in *Catalogo* venustatem quamdam scriptis *Papiae* & *Polycarpi* tribuere, sed ea forte non aliunde, quam ex quadam naturali facilitate & perspicuitate proveniebat. Quare *Ernestus Grabius Tomo II.* laudati operis, post adlata Hieronymi verba, scripsit: *Nihilominus & istam, quam in Papia notavit Eusebius, nimiam mentis simplicitatem ostendere videntur ex parte pauca nobis conservata fragmenta.* *Quadratus* quoque silentio praetereundus non est, qui cum *Philippi* filiabus prophetica gratia illustrem fuisse memoratur, ut *Eusebius Lib. III. Cap. XXXVII.* litteris manda-

davit; quique *Aelio Hadriano* obtulit orationem, quam pro defensione religionis nostrae idcirco conscripserat, quod quidam malevoli homines vexare nostros atque incessere conabantur, ut idem Historicus prodit *Lib. IV. Cap. III.* qui ait ἐξ οὗ κατιδεῖν ἐστι λαμπρὰ τεκμήρια, τῆς τε τοῦ ἀνδρὸς διανοίας, καὶ τῆς ἀποστολικῆς ὀρθοτομίας; quae quidem verba, etsi in eius laudem vergunt, non tamen eius eloquentiam & eruditionem multum extollunt. Sonant enim: *Ex qua conspicere est splendida signa, & viri huius ingenii, & Apostolicae eius rectae doctrinae. Quadrato* aetate par fuit *Aristides*, qui Apologeticum pro fide nostra, perinde ac ille, *Hadriano* Caesari nuncupavit; qui quidem apud *Eusebium* loco proxime citato audit tantum πιστὸς ἀνὴρ τῆς καθ' ἡμᾶς ὁρμώμενος εὐσεβείας. *Hegesippum* praetereo, quod, etsi eum *Eusebius Lib. IV. Hist. Eccl. Cap. VIII.* in *Hadriani* tempora conferat, tamen hisce posteriorem fuisse constet; quamquam & ipse eidem *Eusebio* dicitur τὴν ἀπλανῆ παράδοσιν τοῦ ἀποστολικοῦ κηρύγματος ἁπλουστάτῃ συντάξει γραφῆς ὑπομνηματισάμενος. Sed & *Agrippa Castor* sub *Hadriani* principatu scriptis adversus *Basilidem* haereticum commentariis inclaruit, & ab *Hieronymo* vir valde doctus adpellatur, quod XXIV. volumina, quae *Basilides* in Evangelium confecerat, fortissime differendo confutaverit, prodens eius universa mysteria, & prophetas enumerans. *Barnabae* etiam Apostoli mentio facienda, & quidem ante alios, fuisset, nisi & Epistola, quae sub eius nomine circumfertur, νοθείας argueretur; & antiquitus etiam, teste *Hieronymo*, reiiceretur inter ἀπόκρυφα. Epistola quoque secunda *Clementis* Romani subpostitia videtur, adeoque eius superius nullam mentionem fecimus, quamquam, *H. Grotio* auctore, ante excidium Ierosolymitanum scripta fuerit. Evidentissima autem est νοθεία & falsitas (114) operum *Dionysio* Areopagitae paullo serius tributorum, quare immerito il-


(114) *Thrasimachus* in suis *Epistolis* pae-[illegible], perperam a me dici evidentissimam *νοθείαν* operum *Dionysii* contendit, quod nonnulli viri docti opera illa vere esse *Dionysii* Areopagitae adfirmaverint, defenderint. Sed pace malefériati Censoris, id quod aliis evidens non est, mihi evidentissimum esse potest. Novi quosdam qui facilem primi libri *Euclidis* propositionem comprehendere animo non possunt, adeoque eius veritatem compertam non habent: an ideo veritas illa mihi aliis, non erit evidentissima? Quidam dari motum negavit: ideo ne moveri mihi non erit evidentissimum? Ratio & sensus evidentiam pariunt, non auctoritas.

illius, tamquam primi saeculi Scriptoris, meminissem. Idem de *Evodii*, *Marcelli*, *Achivorum Presbyterorum*, *Abdiae*, *Martialis*, *Prochori*, & id genus aliorum, subpolititiis voluminibus & epistolis, iudicium esto. Sed quoniam de apocryphis sermo est, heic lubenter addiderim, *Pseudo-Ignatium* in Epistola ad *Heronem* Diaconum Antiochenum, *Mariam* quamdam venerabilem & eruditissimam feminam commemorare: *ἀσπάζομαι δὲ καὶ τὴν σεμνοτάτην Μαρίαν τὴν θυγατέρα μου τὴν πολυμαθεστάτην. Saluta autem & maxime venerandam Mariam filiam meam, & eruditissimam*. Cuius rei penes falsarium Scriptorem fides esto. Nescio autem an D. *Methodius* Martyr in suo *Convivio decem Virginum Orat. VII.* quae de *Theclae* Virginis eruditione habet, eadem fingendi licentia scripserit, qua convivium illud commentus est; an vera profatus fuerit, quum eam *φιλοσοφίας τε τῆς ἐγκυκλίου καὶ παιδείας εἰδότως*, *Philosophia, variaque eruditione, ac liberalium artium comprehensione*, nemini cedere adfirmat. Si quis autem *Nicodemum*, & *Gamalielem*, & *Apollon*, & *Zenam*, Iurisperitos mihi obiecerit; eos nihil litteris mandavisse exploratae fidei est, & eorum scientiam atque doctrinam ultra Ebraicae legis, & litteraturae fines, progressam non fuisse, probabile omnino ac verisimile videatur; id quod amplius constabit, ubi de cuiusque divini Scriptoris eruditione, & doctrina, peculiariter disseremus. Et idem sentiendum videtur, ubi invenerimus, aut primitivos Christianos cum Ethnicis Philosophis disputantes, aut scholas instituentes, atque in iis docentes, de quibus plura congerit eruditus *Nicol. Nourrius Adpar. ad Biblioth. max. Patr. Dissert. I. in Saecul. I. Cap. X.* Evangelica enim doctrina ac sapientia quidem praestabant, & coelestium litterarum cognitione pollebant tantum, utplurimum. Haereticos etiam, primi saeculi Scriptores, contemno, ut *Simonem*, *Cleobium*, *Cerinthum*, aliasque id genus pestes, de quibus plura inferius dicemus; quum eorum scripta non sapientia, & eruditione, sed stultitia & deliramentis, referta mirabiliter fuerint; nec eos veros Christianos adgnoscam. Veros tamen Christianos, & gentium primitias, adgnosco Magos illos, quotquot fuerint, qui ex Oriente, stella duce, *Christum* adoratum venere; quique vel ipso nomine sapientiae speciem praeseferunt.

Primi stellarum Interpretes (inquit *Tertullianus De Idololatria*) *natum Christum adnuntiaverunt, primi muneraverunt.* Pius autem auctor *Homiliarum in Matthaeum*, quae cum operibus *Chrysostomi* circumferuntur, *Homil. II. in Cap. II.* scribit: *Qui sunt Magi? Viri Orientales, qui venerunt e Perside. Magi enim apud illos, non malefici, sed sapientes, intelliguntur.* Confirmatur id *Plinii* auctoritate, qui *Libro XXV. Cap. II.* perspicue indicat, Persidis, Arabiae, Aethiopiae, Aegyptique Magos, herbarum vim, ac naturam, effectumque, intellexisse. Disertissima vero sunt *Diogenis Laertii* verba ipso operis initio: Τὸ τῆς φιλοσοφίας ἔργον ἔνιοί φασιν ἀπὸ βαρβάρων ἄρξαι· γεγενῆσθαι γὰρ παρὰ μὲν Πέρσαις Μάγους, παρὰ δὲ Βαβυλωνίοις ἢ Ἀσσυρίοις Χαλδαίους, καὶ Γυμνοσοφιστὰς παρὰ Ἰνδοῖς κ. τ. λ. *Philosophiae opus quidam a Barbaris incepisse aiunt. Exstitisse enim apud Persas quidem Magos; apud Babylonios vero, vel Assyrios, Chaldaeos; & apud Indos Gymnosophistas &c.* Haec autem omnia ipse facile concesserim, quamquam *Origenes Lib. I. contra Celsum* veros eos fuisse Magos γόητας contendat; sed quum nihil de rebus eorum deinde gestis compertum habeamus, & scripta nulla nobis reliquerint, & probabiliter ante Evangelicam praedicationem supremum diem obierint; non video quomodo ad hanc meam disquisitionem pertinere possint. Etsi vero *Iustinus* Martyr *Apologia II.* Philosophos & litteratos homines Christo credidisse adfirmat, forte tamen de sibi proximioribus temporibus agit; vix enim alios Eruditos anteacta aetate Christianum dogma amplexatos novimus, quam eos, quos hactenus recensuimus; licet *Eusebius Libro V. Histor. Eccles. Cap. XXVII.* tradat, multos fuisse saeculo secundo Scriptores, quorum etiam nomina ipsa intercidere; nam post *Iustini* tempora eos fuisse, credibile est. Quod si ad *Antoninorum* aetatem descendere iuberet, & ipsum *Iustinum* Philosophum adducerem magna minus comto sermone sonantem; & Auctor etiam *Altercationis Papisci & Iasonis* ad haec tempora referri fortasse posset, qui tamen nonnisi nostrarum Scripturarum notitiam praeseferebat, ut *Origenes Lib. III. contram Celsum* innuit: & alios sapientes Ethnicos quosdam; qui Evangelicis consultis deinde credentes adhaesere, ita ut *Origenes Libro I. contra Celsum* vere

scri-

scripserit, *Iesum* potuisse *paucis his annis tantum perficere, ut in multis huiusce nostri orbis locis, Graecos & Barbaros multos, sapientes & ignaros, ad suam doctrinam adliceret.*



Etsi primo Ecclesiae saeculo, & usque ad dimidium secundi, non multi fuerunt Christiani docti & eruditi, disciplinarumque cognitione pollentes, deinde tamen satis huiusmodi floruere.

CAPUT IX.

DIGRESSIO QUARTA.



Bene ac sapienter *Thom. Mar. Mamachius*, cuius verba superius *pag.* 478. protulimus, animadvertit, etsi primo Ecclesiae saeculo pauci admodum fuerint, qui in doctrinis decretisque Philosophorum inter Christianos versati essent, & eruditione ac scientia facundiaque censerentur, secundo tamen saltem exeunte, & tertio, saeculis plures eiusmodi exstitisse; quare de quarto saeculo, quid sentiendum sit, quum plerique omnes ad Christiana sacra amplexanda convolarent, aliis non obtuso ingenio hominibus iudicandum relinquo. Per haec igitur quatuor saecula vagabimur, Christianorum doctrinas, & liberales artes, disciplinasque, persequentes; easque in diversas classes digeremus, ad summa quaedam capita peritos litteratosque homines revocantes, ut facile cuique inde sit, qui & quot in quacumque doctrina & facultate excelluerint, reperire. Iam quae vera & propria esset Christianorum sapientia, quae sublimior Philosophia, peculiari Capite expediemus inferius: nunc de liberalibus artibus, de doctrinis & disciplinis, literisque humanis, tantum sermo instituendus est, quibus primorum saeculorum Christiani laudabiliter praestitere. Interim generalia quaedam exempla eruditionis & scientiae illorum Christianorum in medium proferemus, ut a generalibus ad specialia certo deinde gradu deveniamus. Prodeant ergo omnium primi Sancti, *Alexander* natione Graecus, & *Epipodius* Lugdunensis, qui litteris eruditissimi, circa Christi annum CLXXVIII. martyrium illustre fecerunt, quorum Acta apud *Ruinartum* videre est. Prodeat & *Symphorianus* Augusto-

stodunensis, qui litteris bene instructus & moribus, sub *Aureliano* Principe, vitam pro Christo cum sanguine fudit, ut apud laudatum *Ruinartum* eius Acta testantur. Antea vero *Apollonius* Romanus Senator, quo de egimus superius *pag.* 469. in humanioribus litteris & in Philosophia eximius habebatur, & elegantissima oratione pro defensione fidei suae in Senatu coram omnibus pronuntiata, capitali supplicio a Senatu, *Commodo* imperium Romanum moderante, damnatus fuit, ut scribit *Eusebius Lib. V. Hist. Eccles. Cap. XXI.* Sanctus autem Episcopus Ierosolymitanus & Martyr *Alexander* erga litteras optime adfectus fuit, ut probat insignis Bibliotheca, quam Ierosolymis construxerat, quamque memorat *Eusebius Lib. VI.* laudati operis *Cap. XX. Pionius* quoque Martyr multo studio & multa doctrina praestitisse indicatur in eius Actis, apud *Ruinartum* evolvendis. Sed iam procedat in medium *Apphianus* Martyr, qui Beryti liberalibus disciplinis operam dedit, & omnigenis litteris adprime instructus evasit, ac tandem anno CCCV. pro Christo interemtus fuit, ut apud *Eusebium Cap. IV. De Martyribus Palaestinae* legere est. *Capite* autem insequenti fratris eius *Aedesii* laudes merito ab eodem Historico celebrantur, qui & ipse Martyr, longius quam frater in disciplinis profecerat, utpote qui operam Philosophiae navavisset. *Capite* autem VIII. magnum illum & maxime memorandum Martyrem *Pamphilum*, omni eruditionis genere excultissimum, & eloquentiae copia disertissimum, laudibus iure optimo effert, qui martyrii coronam in eadem persequutione promeruit. Quid de Sancto Confessore *Ioanne* dixerim, qui adeo prae cunctis eius aetatis hominibus memoria valuit, ut non iam mortalis homo, sed prodigium quoddam videretur. Is certe coelestium oraculorum cognitione praesertim eminuit, eaque memoriter de divite pectoris penu proferens, quando voluit, veluti de scripto recitavit. Sed qui adeo vivida tenacique memoria praecellebat, & tantum in Sanctarum Scripturarum studio profecerat, illum aliarum doctrinarum, disciplinarumque, exsortem fuisse numquam existimaverim: licet a multo tempore iam luminibus orbatus fuisset, ut tradit *Eusebius* eiusdem *Libri Cap. XIII.* adeoque exemplo praeivisset *Didymo* Alexandrino, & *Euse-*

bio

bis cuidam, quorum doctissimorum, captorumque oculis, perhonorifica mentio apud *Hieronymum*, *Rufinum*, *Cassiodorum*. Quantum *Dorotheus* Antiochenae Ecclesiae Praesbyter doctrina & eruditione claruerit, indicavimus superius *pag.* 261. 324. *Anatolius* quoque domo Alexandrinus, Episcopus Laodicenus, ita scientia & liberalibus disciplinis excelluit, ut haec de eo *Eusebius Lib. VII. Cap. XXXII.* scripta reliquerit. *Hic tum in liberalibus disciplinis, tum in Philosophia, principem inter doctissimos nostri temporis viros locum sine controversia tenuit: quippe qui ad summum apicem Arithmeticae, Geometriae, atque Astronomiae: adhaec ad Dialecticae & Physicae, ac Rhetoricae, supremum fastigium pervenisset. Qua de causa rogatus fuisse dicitur ab Alexandrinis, ut Aristotelicae successionis scholam ibidem institueret...... Ceterum Anatolius non admodum multos composuit libros: verum ex iis, qui ad nos pervenerunt, eloquentiam simul & multiplicem eius eruditionem, abunde licet cognoscere; praecipue vero ex iis, in quibus suam de Pascha sententiam confirmat.* Hinc *Hieronymus* in *Catalogo* de eo scribit: *Anatolius Alexandrinus, Laodiceae Syriae Episcopus, sub Probo & Caro Imperatoribus floruit. Mirae doctrinae vir fuit, in Arithmetica, Geometria, Astronomia, Grammatica, Rhetorica, Dialectica; cuius ingenii magnitudinem de volumine, quod super Pascha composuit, & ex decem libris de Arithmeticae Institutionibus, intelligere possumus. Henr. Valesius* opinatur, hunc esse *Anatolium* illum, cuius meminit *Eunapius* in *Vita Iamblichi*, ubi dicit, *Iamblichum* auditorem initio fuisse *Anatolii*, qui tunc temporis in Philosophia secundum a *Porphyrio* locum obtinebat. Sed *Valesium* longe a vero aberrare, censet *Guillelm. Caveus*. Non aliter, quam de *Anatolio Eusebius* loquutus fuerit, de *Origene* scribit *Hieronymus* in *Catalogo*, *illud de immortali eius ingenio non tacens, quod Dialecticam quoque, & Geometriam, Arithmeticam, Musicam, Grammaticam, & Rhetoricam, omniumque Philosophorum sectas ita didicit, ut studiosos quoque saecularium litterarum sectatores haberet, & interpretaretur eis quotidie, concursusque ad eum miri fierent: quos ille propterea recipiebat, ut sub occasione saecularis litteraturae, in fide Christi eos institueret.* Et quidem profanae scientiae ab

Chri-

Christiano homine contemnendae non sunt, quum plurimum ad veram Scripturarum intelligentiam, & ad Ethnicos incredulosque revincendos, conferre possint. Quare *Augustinus Lib. II. De Doctrina Christiana* multis eiusmodi doctrinarum apud Christianos utilitatem ostendit, si vanas artes ac superstitiosas exceperis. Ceterum observandum est, multo plures fortassis eruditos doctosque homines Christianos, secundo & tertio saeculo, fuisse, quam heic recensere possim; ob Ecclesiae enim turbelas, & persequutiones saevissimas, non opera tantum sapientum Christianorum, sed nomina ipsa quoque pleraque, interciderunt. Id vel de suis ipsis temporibus testatur *Eusebius Lib. V. Hist. Eccles. Cap. XXVII.* ita, quum quorundam, qui sub saeculi secundi exitum floruere, lucubrationes commemorasset, scribens: *Et sexcentorum aliorum, quorum nec tempora litteris mandare, quum nullum nobis indicium, aut argumentum, subpetat; nec narrationem ullam libris nostris intexere, possumus. Multorum etiam lucubrationes ad nos pervenerunt, quorum ne ipsa quidem nomina possumus recensere. Qui Orthodoxi quidem & Ecclesiastici omnes fuere, ut sacrae Scripturae expositio a singulis eorum adlata testatur: obscuri tamen nobisque ignoti sunt, propterea quod libri ipsi auctorum non praeferant nomina.* Ex quibus tamen *Eusebii* verbis intelligere est, plerorumque illorum doctrinam intra coelestium Scripturarum cancellos se continuisse, nec ad aliarum disciplinarum spatia excurrisse, quod, quae *Capite* superiori prolixe dissertavimus, amplius uberiusque confirmat. Ceterum Christianum quemdam arte gemina & sophia nobilem exhibet Inscriptio apud *Gruterum pag. ML.* 1. quae quidem gemina ars in hominis vita, & secundum obitum statu, intelligendo fortasse versata fuerit.

AVLVS PALATINA EGNATIVS PRISCILLIANVS
ARTE SVPER GEMINA NOBILIS ET SOPHIA
DVM VIXI DIDICI QVAE MORS QVAE VITA HOMINI ESSET
AETERNA VNDE ANIMAE GAVDIA PERCIPIO

§. L

§. I.

I. ADVOCATI. De his agit Sanctus *Barnabas* in *Epistola*, quae sub eius nomine circumfertur, sequentibus verbis, dum increpat quosdam: *πλουσίων παράκλητοι, πενήτων ἄνομοι κριταὶ πανθαμάρτητοι*. *Divitum Advocati, pauperum iniqui Iudices per omnia peccatores*. Vide CAVSIDICI. ORATORES. PATRONI. IVRISCONSVLTI.

II. AMANVENSES. *Iaderem* Amanuensis vice functum memoravi superius *pag.* 258. & huc facere possunt, quae de *Exceptoribus* disserui *pag.* 162. De Amanuensibus autem, & Interpretibus Apostolorum, agemus peculiariter inferius *Capite XV.* Amanuensis proprie erat servus, qui excipiebat, cuius opera & manu in scribendo, perinde ac Scribarum, utebantur veteres.

III. ANATOMICI. *Lactantius Firmianus Libro De Opificio Dei* universae totius corporis humani fabricae se valde peritum ostendit. *Alcimus Avitus Lib I. Poematum pag.* 218. ita corporis humani structuram distincte describit ac pingit, ut anatomes consultissimus videatur. Eius versus sunt insequentes.

Sic Pater omnipotens victurum protinus arvum
Tractat, & in limo meditatur viscera caeno.
Hinc arcem capitis sublimi in vertice signat,
Septiforem vultum rationis sensibus aptans,
Olfactu, auditu, visu, gustuque potentem.
Tactus erit solus, toto qui corpore iudex
Sentiat, & proprium spargat per membra vigorem.
Flexilis arctatur recavo sic lingua palato,
Pressus ut in camera pulsantis verbere plectri
Percusso resonet modulatus in aere sermo.
Exin succiduum porrecto in corpore pectus
Spargit ramosas post brachia fortia palmas.
Succedit stomacho medius, qui tegmine molli
Inter utrumque latus foveat vitalia, venter.

Di-

Dividuam partem femur excipit, aptius ut se
Alternus moveat duplicato poplite gressus.
At parte ex alia, fingit quam conditor unus,
Occipiti submissa suo descendere cervix
Incipit, & vastos compagibus addere nervos.
Spina rigens crebris inter commercia nodis
Diffundit duplicem costarum ex ordine cratem.
Pars interna novos vitae formatur ad usus,
Naturale parans tegmen vitalia cordi,
Massaque congestis pendens absconditur extis.
Additur his tenui pascendus ab aere pulmo,
Qui, concepta trahens lenti spiramina flatus,
Accipiat reddens, reddat quas sumserit auras,
Inque vicem crebro pellatur anhelitus haustu.
Dextra tenet iecoris vegetandum sanguine fontem,
Quo clausum venae spargunt per viscera flumen.
Lienis laevam sortitur regula partem,
Qua crines perhibent unguesque recrescere sectos;
Nec concisa dolent. hinc nunc augmenta resumunt,
Quae vivunt sensuque carent in corporis usu.

Videtur hic *Avitus* nervorum originem a capite deducere, & sanguinis ex corde erumpentis per arterias venasque volubilem fluxum, instar fluminis, indicare. Vide MEDICI.

IV. ANTIQVARII, Graece Ἀρχειώται *Archeotae* dicebantur, & de his agit *Valentinianus* Imperator *Leg. II. Cod. Theodos. De Stud. Liberal. Vrb. Rom. Antiquarios*, ait, *ad Bibliothecae codices componendos, & pro vetustate reparandos, quatuor Graecos, & tres Latinos, scribendi peritos legi iubemus.* Antiquarii etiam erant, qui Antiquario, seu Archio, & scripturis praeficiebantur; atque iidem ac Graecorum χαρτοφύλακες esse videntur; & consulenda sunt, quae superius *pag.* 245. de *Chartariis* scripsimus. Ceterum Antiquarii illi, qui Bibliothecae codices scribebant, ἀρχαιογράφοι & καλλιγράφοι a Graecis adpellabantur. *Hieronymus Epistola VI. ad Florentium* scribit: *Ob hoc & ego obsecro, & tu, ut petas, plurimum quaeso, ut tibi Beati Rhetitii, Augustodunensis Episcopi, commenta-*

rios ad describendum largiatur, in quibus Canticum canticorum sublimiore sensu ille disserens. Scripsit mihi & quidam de patria supradicti fratris Rufini, Paullus senex, Tertullianum suum codicem apud eum esse, quem vehementer reposcit, & ex hoc, quaeso, ut eos libros, quos me non habere brevis subditus edocebit, librarii manu in charta scribi iubeas. Interpretationem quoque Psalmorum Davidicorum, & prolixum valde librum de Synodis Sancti Hilarii, quem ei apud Treveros manu mea ipse descripseram, aeque ut mihi transferas peto. Nosti hoc esse Christianae animae pabulum, si in lege Domini meditetur die ac nocte. Ceteros hospitio recipis, solatio foves, sumtibus iuvas. Mihi, si rogata praestiteris, cuncta largitus es. Et quoniam, largiente Domino, multis sacrae bibliothecae codicibus abundamus, impera vicissim; &, quodcumque vis, mittam. Nec putes mihi grave esse, si iubeas. Habeo alumnos, qui Antiquariae arti serviunt. Neque vero beneficium pro eo, quod polliceor, postulo. Horum verborum partem superius etiam *pag.* 334. in medium adduxi. Sanctus *Augustinus De Verbis Domini Serm. XLIV. Quemadmodum qui videt litteras in codice optime scripto, & non novit legere, laudat quidem Antiquarii manum, admirans apicum pulcritudinem.* Apud *Cassiodorum Lib. II. Histor. Tripart. Cap. XVI. Quinquaginta membranaceos codices, bene confectos, & ad usum habiles, ab artificibus Antiquariis, & perfecte artem scientibus, scribi praecipias.* Quae sumta sunt ex iis, quae habet *Eusebius Lib. IV. Vit. Constant. Cap. XXXVI. XXXVII.* ubi Epistolam *Constantini* Augusti refert, ad eum scriptam, in qua Imperator inter alia ita praecipit: *Visum est enim id significare Prudentiae tuae, ut quinquaginta codices divinarum Scripturarum, quarum adparatum & usum maxime necessarium Ecclesiae esse intelligis, in membranis probe adparatis, ab artificibus Antiquariis ὑπὸ τεχνιτῶν καλλιγράφων venuste scribendi peritissimis describi facias; qui & legi facile, & ad omnem usum circumferri possint &c.* Ac deinde subdit *Eusebius: Et haec quidem Imperator praecepit. Ceterum eius dicto continuo opus ipsum excepit, quum nos ei voluminibus magnifice exornatis terniones, & quaterniones, ad eum misissemus.* Antiquarium egisse videtur Sanctus *Eusebius*, Episcopus Vercellensis, qui sua manu Evange-

ge-

gestorum codicem descripsit, qui adhuc exstat; & quem publici juris fecerunt *Joannes Andreas Iricus* Tridinensis Mediolani anno MDCCXLVIII. & *Joseph. Blanchinius* Romae anno MDCXLIX. non secus ac *Hieronymum*, & *Florentium*, egisse paullo ante vidimus. Sed amplius cum *Hieronymo* nobis versandum; nam is in *Catalogo* innuit, *Epistola* vero XVIII. diserte scribit: *Ambrosius, quo chartas, sumtus, Notarios, ministrante, tam innumerabiles libros vere Adamantius & Chalcenterus noster explicavit, in quadam Epistola, quam ad eumdem de Athenis scripserat, refert, &c.* Hic *Ambrosius* ille Alexandrinus Diaconus est, quo de egi superius *pag.* 234. & qui Antiquarios etiam *Origeni*, ex illius verbis, ministrasse videatur. Sed & *Pamphilus* Presbyter Caesariensis Antiquaria arte praestabat, ut ex *Eusebio* constat, cuius verba ibidem protulimus. Deinde vero Monachi artem Antiquariam passim professi sunt, & describendis libris incubuerunt; quare *Cassianus* ita de iis scribit *Lib. IV. De Coenob. Institutis Cap. XII. Is, qui opus Scriptoris exercet, quam repertus fuerit inchoasse literam, finire non audeat, sed in eodem puncto, quo ad aures eius sonitus pulsantis advenerit, summa velocitate prosiliens, nec tantum quidem morae interponat, quantum coepti apicis consummet effigiem, sed imperfectas literae lineas derelinquens, non tam operis compendia lucrari sectetur, quam obedientiae virtutem exsequi toto studio atque aemulatione festinet.* In *Vitis Patrum Lib. III. n.* 143. narratur, quod Abbas *Silvanus* ingressus in *Cellam Marci*, *quoniam Scriptor erat, reperit quaternionem, quem scribebat, & invenit, quod in qua hora vocatus est, literam O, quam faciebat, mediam dereliquit, tantummodo ut obedientiam adimpleret.* Idem autem *Cassianus Lib. V. Cap. XXXIX.* tradit, *Simeonem* quemdam Italum ad Monachos Aegypti se contulisse, qui dixit, nihil se, nec posse, nec praevalere ex his, quae illic exercebantur a fratribus, operari, praeter librariam manum; quare Senex membranas & utensilia, quae ad scribendum necessaria erant, comportans, post codicem scriptum recepit. Ad quem *Cassiani* locum, ita commentatur vir eruditissimus *Alardus Gazaeus* Coenobita Vedastinus: „ Vides hic antiquam, „ & laudabilem Monachorum consuetudinem scribendi, &

 „ exscri-

„ exscribendi libros, praesertim sacros, in membranis: de
„ qua consuetudine meminit D. Hieronymus in Epistol. ad
„ Rusticum Monachum, ubi varia exercitia proponens, qui-
„ bus Monachi occupari debeant, inter cetera ait: *Scribantur*
„ *libri; ut & manus operetur cibum, & animus lectione satu-*
„ *retur*. Meminit & D. Chrysostomus de Monachis sui tem-
„ poris scribens Hom. 59. *Illi*, inquit, *quum matutinas oratio-*
„ *nes celebraverint, & hymnos; ad Scripturarum lectionem con-*
„ *vertuntur. Sunt autem & qui libros transcribere docti; adsi-*
„ *gnatum quisque sumens habitaculum, semper agit quiete, in-*
„ *quiete nemini, nemini quicquam dicens*. Cassianus eundem
„ morem haud obscure innuat Lib. IV. ubi ait. *Is qui opus*
„ *Scriptoris exercet, quum repertus fuerit inchoasse litteram, pu-*
„ *re non audeat; sed in eodem puncto, quo ad aures eius sonitus*
„ *pulsantis advenerit, imperfectas litterae lineas derelinquens, &c.*
„ Meminit denique Palladius Lausiac. 39. quem alibi referemus,
„ & Sophronius in Prato spirituali cap. 171. Fuisse vero hoc
„ exercitium Monachis Benedictinis perquam familiare, & u-
„ sitatum, testatur Trithemius Lib. De Vir. Illustr. Ord. Be-
„ nedict. Cap. 6. ubi diversa eorum exercitia, occupationes-
„ que pro cuiusque captu, & facultate, commemorans: *Alii*,
„ inquit, *libros scribebant, qui ad hoc erant idonei; & a do-*
„ *ctoribus edita ex schedis ad mundum redigebant; alii scriptos*
„ *codices artificiose conglutinabant; corrigebant alii; rubro minio*
„ *ceteri exornabant*. Haec ille. Praeclarum itidem de hac li-
„ brorum exscriptione testimonium exstat apud Gasparem Bru-
„ schium, ubi dum Coenobii Fuldensis incunabula, primique
„ Abbatis Sturmionis praeclara gesta, commemorat, haec de
„ eo verba interserit: *Habuit pius praeceptor quadringentos sum*
„ *monasticae disciplinae, discipulos, praeter sutores, & eos,*
„ *qui vilioribus officiis, excolendae videlicet terrae, plantandis*
„ *arboribus, pulsandis campanis, & hoc genus aliis, deputati e-*
„ *rant. Nam superiores illi describendis utriusque linguae Aucto-*
„ *ribus, omnium disciplinarum & professionum monumentis occu-*
„ *pati, tantae Bibliothecae, quae paullo post Philadelphicae illi*
„ *responsura erat, fundamenta iecerant*. Haec ille. Verum ni-
„ hil opus huiusmodi testimoniis, quum tot suppetant huius

„ rei

„ rei teſtes, quot manuſcripti codices, qui in Bibliothecis,
„ praeſertim illuſtrium monaſteriorum pro ingenti theſauro,
„ diligentiſſime, ut par eſt, adſervantur: quorum tamen do-
„ lendum eſt multo maximam copiam, ac ſupellectilem, bel-
„ lorum iniuria, praeſertim vero haereticorum rabie & im-
„ probitate, periiſſe, magno totius Reipubl. Chriſtianae detri-
„ mento. Ad hanc porro ſcriptionem, ſeu deſcriptionem, mo-
„ vebantur Monachi triplici ex cauſſa. Primo ad vitandum
„ otium, ut patet tum ex hoc capite, tum ex iis, quae
„ alias de opere manuum notavimus. Secundum ad quaeren-
„ dum, & lucrandum victum, & res neceſſarias, ubi bo-
„ na, & facultates, monaſteriorum non ſubpeterent, ut etiam
„ in hoc capite, & Hieronymi verbis innuitur. Tertio in
„ poenam, & ſatisfactionem, pro delictis: unde quidam Frater
„ in fine libri a ſe deſcripti poſuit hunc verſum pro co-
„ ronide:

„ *Explicit iſte liber; a poena ſum modo liber.*

„ Opportune vero hic ſe obtulit aliud eiuſdem argumenti le-
„ pidum ſane, & more vetuſto rythmicum carmen cuiuſdam
„ Vedaſtini Coenobitae (cuius & nomen, & cognomen, adſcri-
„ bitur) quod in Archivis noſtrae Bibliothecae ad calcem cu-
„ iuſdam pervetuſti codicis MS. repertum, in gratiam, &
„ oblectationem Lectoris, viſum eſt e tenebris, quibus latuit,
„ in lucem proferre: ex quo tum antiqua haec conſuetudo
„ deſcribendorum librorum in hoc percelebri monaſterio a
„ multis ſaeculis viguiſſe dignoſcatur: tum vero eius temporis
„ candor, & ſimplicitas pie toleranda, & excuſanda, depre-
„ hendatur. Sic igitur ille inſignis Poeta:

„ *Hunc ego Rodulphus, Monachus tantummodo dictus*
„ *Nomine, non merito; ſed fretus præſule Chriſto,*
„ *Conſcripſi librum coeleſti dogmate plenum.*
„ *Nec grave ſit cuiquam, libri ſi lucra capeſſam:*
„ *Magnum pro libro quia pignus, iam modo creſcens.*
„ *Cum librum ſcribo, Vedaſtus ab aethere ſummo*

Re-

„ *Respicit e coelis; notat & quot grammata nostris*
„ *Depingam calamis; quot aretur pagina sulcis:*
„ *Quot folium punctis hinc hinc laceretur acutis.*
„ *Tuncque favens operi nostro, nostroque labori:*
„ *Grammata quot, sulci quot sunt, quot denique puncta,*
„ *Inquit, in hoc libro, tot crimina iam tibi dono:*
„ *Hancque potestatem dat Christus habere perennem.*
„ *Nec labor iste tibi, Frater, iam proderit uni:*
„ *Sed quoiscumque velis, detur pars magna laboris.*
„ *Haec merces operis, quam dat Scriptoribus ipsis*
„ *Sanctus Vedastus, pater optimus, atque benignus:*
„ *Hac mercede librum perscripsi sedulus istum.*

„ Sic ille. Et hoc quidem antiquitatis monimentum etiam imagine expressum nobis nuper, Brugis dum ageremus, praeter spem, nec sine gaudio, videre contigit. Ibi enim in Collegiata Ecclesia S. Salvatoris pendet veteris picturae tabella exhibens in fundo B. Mariam, & S. Vedastum, & in fenestellis seu quadris circumpositis vitam, & miracula S. Vedasti; in quibus videre est S. Vedastum capite radiis coruscante superne librum e manibus cuiusdam Monachi ad eius tumulum geniculantis subspicientem, eique hoc nomine gratulantem. Porro quam utile, Deoque gratum, illud scriptionis officium exstiterit, insigni miraculo comprobatum scribit Caesarius Cisterciensis his verbis: *Quidam Monachus Praemonstratensis plurimos libros manu propria conscripserat, mercedem sui laboris praestolans in coelis: hic quum fuisset defunctus, & in loco notabili sepultus; post viginti annos, tumba eius aperta, manus eius dextra tam integra, & tam vivida est reperta, ac si recenter de corpore animato fuisset praecisa: reliqua carne in pulverem redacta.* Haec ille, addens in testimonium tanti miraculi manum eamdem usque hodie in monasterio adservari. „ Vide CALLIGRAPHI. LIBRARII.

V. ARITHMETICI. Tales fuerunt *Anatolius* & *Origenes*, de quibus superius *pag. 494.*

VI. ASTROLOGI. Astrologiam Apotelesmaticam a primitivis Christianis damnatam & detestatam fuisse, eminet ex

Cap.

Cap. XIX. Actor. Apostolic. iuxta virorum doctissimorum enarrationes, ubi dicuntur, qui fuerant curiosa sectati, aut operati, libros suos omnes flammis absumsisse, de quo egi superius *pag.* 483. Hinc in Conciliis frequenter prohibita fuit. Canone XXXVI. Concilii Laodiceni ita statutum fuit: Ὅτι οὐ δεῖ ἱερατικοὺς ἢ κληρικοὺς, μάγους ἢ ἐπαοιδοὺς εἶναι, ἢ μαθηματικοὺς ἢ ἀστρολόγους. *Quod non oportet Sacerdotes aut Clericos, Magos aut Incantatores esse, vel Mathematicos, vel Astrologos.* De huius Astrologiae vanitate pluribus agunt *Basilius Magnus Homil. I. & VI. in Hexaemeronem*, & *Gregorius Nyssenus Epistola contra Fatum*; & *Augustinus Libris De Civitate Dei* pluries & *Lib. II. De Doctrina Christiana*. Sed omnium disertissime *Tertullianus De Idololatria Cap. IX.* „ De Astrologis ne loquendum quidem est. Sed quoniam quidam „ istis diebus provocavit, defendens sibi perseverantiam pro- „ fessionis istius, paucis utar. Non adlego quod Idola ho- „ noret, quorum nomina coelo inscripsit, quibus omnem „ Dei potestatem addixit: quod propterea homines non „ putant Deum requirendum, praesumentes stellarum nos im- „ mutabili arbitrio agi. Vnum propono, Angelos esse illos „ desertores Dei, amatores feminarum, proditores etiam hu- „ ius curiositatis, propterea quoque damnatos a Deo. O di- „ vina sententia usque ad terram pertinax; cui etiam ignoran- „ tes testimonium reddunt! Expelluntur Mathematici sicut An- „ geli eorum. Vrbs & Italia interdicitur Mathematicis, sicut „ coelum Angelis eorum. Eadem poena est exilii discipulis & „ magistris. Sed Magi & Astrologi ab Oriente venerunt. Sci- „ mus Magiae & Astrologiae inter se societatem. Primi igi- „ tur stellarum Interpretes natum Christum adnuntiaverunt, „ primi muneraverunt. Hoc nomine Christum (opinor) sibi „ obligaverunt. Quid tum? Ideo nunc & Mathematicis pa- „ trocinabitur illorum Magorum religio? De Christo scilicet „ est Mathesis hodie, stellam Christi non Saturni & Martis „ & cuiusque ex eodem ordine mortuorum observat & prae- „ dicat. At enim scientia ista usque ad Evangelium concessa, „ ut Christo edito nemo exinde nativitatem alicuius de coelo „ interpretetur, &c. „ Itaque nihilo minus reperti sunt qui-

dam

dam Christiani, qui hanc scientiam seu potius falsitatem, profiterentur. & adridet modo hic aliam historiam referre, quam narrat Sanctus *Augustinus* in calce Enarrationis in *Psalmum LXI.* sequentibus verbis: *Ille Ecclesiae fuit, etiam istam, quam videtis, bibere vult. Simul etiam ut noveritis, quia multi in commissione Christianorum ore suo benedicant, & corde suo maledicant: iste ex Christiano & fideli poenitens redit, & territus potestate Domini, convertitur ad misericordiam Domini. Seductus enim ab inimico, quum esset fidelis, diu Mathematicus fuit, seductus seducens, deceptus decipiens, illexit, fefellit, multa mendacia loquutus est contra Deum, qui dedit hominibus potestatem faciendi quod bonum est, & non faciendi quod malum est. Iste dicebat, quia adulterium non faciebat voluntas propria, sed Venus: & homicidium non faciebat voluntas propria, sed Mars: & iustum non faciebat Deus, sed Iovis. & alia multa sacrilega non parva. Quam multis eum putatis Christianis nummos abstulisse? Quam multi ab illo emerunt mendacium, quibus dicebamus, Filii hominum usquequo graves corde, ut quid diligitis vanitatem & quaeritis mendacium! Modo, sicut de illo credendum est, horret mendacium, & multorum hominum interitum: sed aliquando a Diabolo sensit illectum, convertitur ad Deum poenitens. Putamus, fratres, de magno timore cordis accidisse. Quid enim dicturi sumus? Namque si ex Pagano converteretur Mathematicus, magnum quidem esset gaudium: sed tamen posset videri, quia sic conversus est Clericatum quaerere in Ecclesia. Poenitens est, non quaerit nisi solam misericordiam. Commendandus est ergo, & oculis & cordibus vestris. Eum, quem videtis, cordibus amate, oculis custodite. Videte illum, scitote illum, & quacumque ille transierit, fratribus ceteris, qui modo hic non sunt, ostendite illum, & ista diligentia misericordia est, ne ille seductor retrahat cor & oppugnet. Custodite vos, non vos lateat conversatio eius, via eius, ut testimonio vestro nobis confirmetur, vere illum ad Dominum esse conversum. Non enim silebat fama de vita eius, quoniam sic vobis & videndus & miserandus offertur. Nostis in Actibus Apostolorum esse scriptum, quia multi perditi, id est talium artium homines, & doctrinarum nefariarum sectatores, omnes codices suos ad Apostolos attulerunt, & incensi sunt libri tam* mul-

ti, ut pertineret ad Scriptorem aestimationem eorum facere, & summam precii conscribere. Hoc utique propter gloriam Dei, ne tales etiam perditi desperarentur ab illo, qui novit quaerere quod perierat. Perierat ergo, nunc quaesitus, inventus, adductus est: portat secum codices incendendos, per quos fuerat incendendus, ut illis in ignem missis, ipse in refrigerium transeat. Sciatis eum tamen, Fratres, olim pulsare ad Ecclesiam ante Pascha. Ante Pascha enim coepit petere de Ecclesia Christi medicinam, sed quia talis est ars, in qua exercitatus erat, quae supra se esset, de mendacio atque fallacia, dilatus est ne tentaret, & aliquando tamen admissus est, ne periculosius tentaretur. Orate pro illo Christum, prorsus hodiernam precem pro illo fundite domino Deo nostro. Scimus enim & certi sumus, quia oratio vestra delet omnes impietates eius. Dominus vobiscum. Sozomenus Lib III. Cap. VI. scribit, *Eusebium* quemdam Emisenum, Philosophum eruditissimum, ideo accusatum fuisse, quod *eam partem Astronomiae, quae μέρος ἀποτελεσματικὸν καλεῖ), & rerum eventus praedicit*, profiteretur. Eo nomine *Aquila*, ex Iudaeo Christianus, Ecclesia expulsus est, ut refert *Epiphanius Libro De Ponderibus & Mensuris*. Sed & ipse *Augustinus*, qui hanc Astronomiae partem adeo deinde damnavit, quum variis in iuventute erroribus implicaretur, Planetarios, quos Mathematicos vocant, consulere non desistebat; & libris Genethliacorum deditus erat, ut ipse fatetur *Lib. IV. Confession. Cap. III.* Hinc *Iulius Firmicus Maternus* Astrologus quidem fuit, & *De Mathesi* VIII. libros scripsit, sed forte dum in gentilitate permansit; si ex Ethnico Christianus effectus est. Superius *pag.* 325. Inscriptionem produxi, ex qua patet, Christianum hominem fallacia Astrologorum delusum diuturnam vitam sibi promisisse, quam tamen vivere non potuit, morte spem frustraneam intercipiente. Vide supra *pag.* 479.

VII. ASTRONOMI. *Origenem & Anatolium* Astronomos fuisse superius *pag.* 494. tempestive demonstravimus: Sed S. *Ambrosius* de Astronomia *Lib. I. Officiorum Cap. XXVI.* ita scribit: „ Quid tam obscurum, quam de Astronomia & Geo„ metria tractare, quod probant: & profundi aeris spacia „ metiri; coelum quoque & mare numeris includere; relin-

„ quere causam salutis, erroris quaerere? An non ille erudi-„ tus omni sapientia Aegyptiorum Moyses probavit ista? Sed „ illam sapientiam detrimentum & stultitiam iudicavit, & „ aversus ab ea intimo Deum quaesivit adfectu. „ Ast utilitatem Astronomiae probavit Synodus Nicaena, quum in *Alexandrum* Ecclesiae Alexandrinae Episcopum curam conieciτ, ut adhibitis secum viris computandi peritissimis Lunae cursum investigaret, & diem Paschalem quotannis indiceret, ut apud *Baronium ad Ann. CCCXXV. n. CX.* videre est.

§. II.

VIII. BIBLIOTHECARII. Consule superius *pag.* 233. 234. Sanctus *Alexander* Episcopus Ierosolymitanus, cuius superius *pag.* 233. 493. meminimus, Bibliothecam construxit, de qua ita *Eusebius Lib. VI. Cap. XX.* scribit: *Eadem tempestate multi Ecclesiastici viri doctrina excellentes florebant; quorum Epistolas, quas ad se vicissim scripsere, hactenus adservatas facile est reperire. Exstant enim nostra quoque aetate in Bibliotheca Aeliae urbis, ab Alexandro Ecclesiae illius Episcopo constructa: ex qua nos uberrimam materiam ad argumenti huius, quod prae manibus habemus, tractationem in unum collegimus.* Praeter autem illa, quae de *Pamphilo* Martyre superius attulimus, lubet nunc etiam haec de eodem ex *Epistola CXLI.* D. *Hieronymi* exscribere: *Beatus Pamphilus Martyr, cuius vitam Eusebius Caesariensis Episcopus, tribus ferme voluminibus, explicavit, quum Demetrium Phalereum & Pisistratum in Sacrae Bibliothecae studio vellet aequare; imaginesque ingeniorum, quae vera sunt & aeterna monumenta, toto orbe perquireret; tunc vel maxime Origenis libros impensius persequens, Caesariensi Ecclesiae dedicavit: quam ex parte corruptam, Acatius dehinc & Euzoius, eiusdem Ecclesiae Sacerdotes, in membranis instaurare conati sunt. Hic quum multa repererit, & inventorum nobis indicem reliquerit, &c.* Quaelibet autem Ecclesia propriam Bibliothecam habuisse videtur; nam in *Actis Proconsularibus Cyrthensibus* de Traditoribus, quae condita sunt sunt anno CCCIII.

scri-

scriptum est: *Quum ventum esset ad domum in qua Christiani conveniebant, &c. . . . . . posteaquam perventum est in Bibliothecam, inventa sunt ibi armaria inania: ibi protulit Silvanus capitula argentea, & lucernas argenteas, quod diceret se post arcam eas invenisse.* Usui scilicet Bibliothecae, & Lectorum, instrumenta illa erant. Bibliothecae autem custodia commissa erat, ut videtur, Lectoribus; quare in citatis *Actis* legimus: *Paullus Episcopus dixit: Scripturas Lectores habent, sed nos, quod hic habemus, damus.* Videntur autem Lectores aliquando ex Bibliotheca Codices in domos suas transtulisse, ut eos probe legere perdiscerent, paratosque ad legendum haberent; quare in iisdem *Actis* legitur: „ Ego (Nundinarius diaconus) sedebam cum Marte diacono, & Victor presbyter, quum ab „ eodem Marte quaererentur codices omnes, negavit se habe„ re. Tunc Victor dedit nomina omnium Lectorum . . . . . . „ Catulinus protulit codicem unum perniminm maiorem. „ Felix Flamen P. P. Curator Reipublicae Marcuclio & Silva„ no dixit: Quare unum tantummodo codicem dedistis? Pro„ ferte scripturas, quas habetis. Catulinus & Marcuclius di„ xerunt: Plus non habemus, quia Subdiacones sumus: sed „ Lectores habent codices. Felix F. P. P. Curator Reipubli„ cae Marcuclio & Catulino dixit: Monstrate nobis Lectores. „ Marcuclius & Catulinus dixerunt: Non scimus ubi maneant. „ Felix F. P. P. Curator Reip. Catulino & Marcuclio dixit: „ Si ubi manent, non nostis; nomina eorum dicite. Catuli„ nus & Marcuclius dixerunt: Nos non sumus proditores; „ ecce sumus, iube nos occidi. Felix F. P. P. Curator Reip. „ dixit: Recipiantur. Et quum ventum esset ad domum Eu„ genii Felix F. P. P. Curator Reip. dixit Eugenio: Profer „ scripturas, quas habes, ut praecepto parere possis. Et pro„ tulit codices quatuor. Felix F. P. P. Curator Reip. Silva„ no & Caroso dixit: Demonstrate ceteros Lectores. Silva„ nus & Carosus dixerunt: Iam dixit Episcopus, quia Edusius „ & Iunius Exceptores omnes noverunt. Ipsi tibi demonstrent „ ad domos eorum. Edusius & Iunius Exceptores dixerunt: „ Nos eos demonstramus, Domine. Et dum ventum fuisset ad „ domum Felicis Sarsoris, protulit codices quinque. Et quum

„ ventum esset ad domum Victorini, protulit codices octo.
„ Et quum ventum fuisset ad domum Proiecti, protulit codices quinque maiores, & minores duos. Et quum ad Grammatici domum ventum fuisset, Felix F. P. P. Curator Victori Grammatico dixit: Profer scripturas, quas habes, ut praecepto parere possis. Victor Grammaticus obtulit codices II. & quiniones quatuor. Felix F. P. P. Curator Victori dixit: Profer scripturas, plus habes. Victor Grammaticus dixit: si plus habuissem, dedissem. Et quum ventum fuisset ad domum Eutici Caesariensis, Felix F. P. P. Curator Euticio dixit: Profer scripturas, quas habes, ut praecepto parere possis. Euticius dixit: Non habeo. Felix F. P. P. Curator Euticio dixit: Professio tua Actis haeret. Et quum fuisset ad domum Caddeonis, protulit uxor eius codices sex, &c.

§. III.

IX. CALLIGRAPHI. Consule superius *pag.* 233. & voce ANTIQVARII. *pag.* 497.

X. CANTORES. Consule superius *pag.* 238. *Tertullianus Lib. II. ad Vxorem Cap. IX.* de coniugibus Christianis agens: *Sonant inter duos psalmi & hymni, mutuo provocant quis melius Deo suo cantet.* Sed ante eum *Iustinus* Martyr *Apolog. II.* scripserat, Christianos gratos se Deo exhibentes *rationales pompas & hymnos celebrare atque decantare*, & in omnibus, quas offerunt, oblationibus, benedicendo laudare factorem omnium per filium eius *Iesum Christum*, & Spiritum Sanctum. In *Actis* Sanctarum *Perpetuae* & *Felicitatis*, legitur *Perpetua* divinos hymnos cantasse, licet ex carcere prodiens, nec coetui reliquorum Christianorum solemni intermixta. Plura de hoc ipso legere est apud D. *Cyprianum De Oratione; Hieronymum in Danielem Lib. I. Cap. IV. & Epistola XXXVI. Ioan. Chrysostomum in Acta Apostolorum Cap. XII. Homil. XXVI.* Psalmodia in funeribus ipsis usitata fuit, sed laeta & hilaris, & qualis Christianos non mortuos sed dormientes decet. Nam D. *Hie-*

D. *Hieronymus* in *Epitaphio Paullae* testis est, Christianos in suorum funere, & exsequiis, cecinisse *Alleluia*, quae vox non lugentis, sed gratulantis est; de quo consulendi etiam *Ioannes Chrysostomus Homil. IV. in Epistol. ad Ebraeos*, & *Victor Vitensis De Persequutione Vandalica*. Ad rem *Corippus Lib. III.* de exsequiis *Iustiniani* Imperatoris agens canit:

Omnis in exsequias sexus convenit, & aetas.
Quis memorare potest tantae miracula pompae?
Hinc Levitarum venerabilis ordo canentum,
Virgineus tonat inde chorus: vox aethera pulsat.

Cantus autem isti concinni, & numerosi, & suaves erant, & arte magistra modulati; quare D. *Augustinus Libro IX. Confessionum* scribit, eorum suavitate mirum in modum captum delinitumque fuisse. „ Quantum flevi in hymnis & canticis „ tuis, suave sonantis Ecclesiae tuae vocibus commotus acri„ ter? Voces illae influebant auribus meis, & eliquabatur „ veritas tua in cor meum: & exaestuabat inde adfectus pie„ tatis, & currebant lacrimae, & bene mihi erat cum eis. „ Non longe coeperat Mediolanensis Ecclesia genus hoc con„ solationis & exhortationis celebrare, magno studio fratrum „ concinentium vocibus & cordibus. Nimirum annus erat, „ aut non multo amplius, quum Iustina Valentiniani Regis „ pueri mater, hominem tuum Ambrosium persequeretur hae„ resis suae caussa, qua fuerat seducta ab Arianis. Excuba„ bat pia plebs in Ecclesia, mori parata cum Episcopo suo „ servo tuo. Ibi mater mea, ancilla tua, solicitudinis & „ vigiliarum primas partes tenens, orationibus vivebat. Nos „ adhuc frigidi a calore Spiritus tui, excitabamur tamen civi„ tate attonita atque turbata. Tunc hymni & psalmi ut ca„ nerentur, secundum morem Orientalium partium, ne po„ pulus moeroris taedio contabesceret, institutum est: & ex „ illo in hodiernum retentum, multis iam ac paene omnibus „ gregibus tuis, & per ceteras orbis, imitantibus. „ De *Nepote* autem Aegypti Episcopo psalmorum hymnorumque auctore ita scribit *Eusebius Lib. VII. Histor. Ecclesiast. Cap. XXIV.*

im-

immo apud *Eusebium* S. *Dionysius* Alexandrinus: „ In plurimis „ quidem aliis rebus laudo Nepotem ac diligo, quum pro- „ pter fidem, tum ob diligentiam & studium Scripturarum: po- „ stremo ob psalmorum cantus multiplices ἐπὶ τῆς πολλῆς ψαλ- „ μῳδίας, quibus plerique ex fratribus etiamnum magnopere „ delectantur. „ *Baronius* autem ad *An. CCLXIV. n. VII.* ita scri- bit „ Quod vero spectat ad sacros hymnos a Nepote conscri- „ ptos, imitatus eum quoque fuit idem Apollinaris (Laodi- „ cenus) qui quamplurimos scripsit hymnos Ecclesiasticos. „ Sed, & quem Bardesanis Syri fuisse filium Harmonium supe- „ rius diximus, itidem hymnos elaborasse, adfirmat Theodore- „ tus atque Sozomenus. Quum vero iidem essent haeretici, „ atque in hunc modum aureo calice Babylonis malae doctri- „ nae venena fidelibus propinarent; excitavit Deus spiritum „ Sanctorum suorum, ut ad pietatem homines instituentes, „ longe praestantiores conscriberent sacros hymnos. Nam, ut „ iidem testantur, ad explodendos illos impietate refertos hy- „ mnos Harmonii, Sanctus Ephraem contrarios illis scribens, „ Syris canendos tradidit. Sed & Gregorius Nazianzenus cy- „ gnaeo plane cantu Apollinarium impium stridentem silere „ fecit. Nec his caruit Occidentalis Ecclesia: complures enim „ habuit gravissimos viros, qui divino adflati Spiritu, cecí- „ nere in Ecclesia sacros hymnos, ut Damasus Papa, Ambro- „ sius, Paullinus, Prudentius, Marius Victorinus, Prosper „ Aquitanus, Alcimus Avitus, Sidonius Apollinaris, Venan- „ tius Fortunatus, &c. Vide MVSICI. POETAE.

XI CAVSIDICI. Consule superius *pag. 478. Martyro- logium Romanum XIII. KL. Ianuarii. Antiochiae natalis Sancti Philogonii Episcopi, qui ex Causidico ad eam Ecclesiam regendam Dei nutu arcessitus, adversus Arium una cum Sancto Alexandro Episcopo & sociis primum pro fide Catholica certamen iniit, clarusque meritis quievit in Domino; cuius annuam festivitatem Sanctus Ioannes Chrysostomus praeclaro encomio celebravit.* Antiquior tamen *Minucius Felix*, de quo ita *Hieronymus* in *Catalogo: Minucius Felix Romae insignis Causidicus, scripsit Dialogum Christiani & Ethnici disputantium, qui Octavius inscribitur.* Vide IVRISCONSVLTI.

XII.

XII. CENSORES LIBRORVM. Talis fuit *Origenes*. Cur enim non crediderim, cum saepe illa codicum exemplaria non correxisse, quae sancto studio conquisierat, & inter se comparaverat? An non, quae abundant, in vera coelestium literarum versionibus adnotare, & indicare quae desunt, accurati diligentisque Censoris munus est? Istud igitur *Origenes* praestitit, nam *Epistola CVII.* ita *Hieronymus* de eo scribit: *Origenes non solum exemplaria composuit quattuor editionum, e regione singula verba describens, ut unus dissentiens, statim, ceteris inter se consentientibus, arguatur, sed, quod maioris audaciae est, in editione Septuaginta Theodotionis editionem miscuit, asteriscis videlicet designans, quae minus fuerant, & virgulis, quae ex superfluo videbantur, adposita.* Haec aequa prope habet *Epistola CIV. ad Desiderium*. Sed ipsum *Origenem* in *Epistola ad Africanum* loquentem audiamus: *Et haec quidem dico, non quod prae desidia recusem scrutari Scripturas, quae apud Iudaeos sunt, illasque cum omnibus nostris comparare, ac videre quid inter eas sit discriminis. Hoc enim graviter, nisi adrogans dictu est, pro viribus fecimus, collatis magna cura inter se editionibus, & observatis earum differentiis, ita tamen ut aliquanto plus laboris impenderimus Septuaginta interpretationi, ne quid adulterinum inducere videremur in Ecclesias, quae sub coelo sunt, & praetextum daremus illis, qui occasiones captant, voluntque tum eos, qui sunt in medio, calumniari; tum eos, qui in communi praelucent, criminari.* Sed luculentius & expressius suum censorium munus explicat in Epistola quadam de *Ambrosio*, & de eius contento studio, loquens: ὅστις ἐπὶ πολύ με παρελήλυθεν, ὥστε κινδυνεύειν ἀπαυδᾶν πρὸς τὰς αὐτοῦ προτάσεις· οὔτε γὰρ δειπνῆσαι ἔστιν ἡμῖν ἀντιβάλλουσιν, οὔτε δειπνήσαντα ἔξεστι περιπατῆσαι καὶ διαναπαῦσαι τὸ σῶμα· ἀλλὰ καὶ ἐν τοῖς καιροῖς ἐκείνοις φιλολογεῖν καὶ ἀκριβοῦν τὰ ἀντίγραφα ἀναγκαζόμεθα. *Tanto enim me post se reliquit intervallo, ut parum absit, quin de exsequendis iis, quae mihi iniunxit, desperem. Namque vel inter coenandum exemplaria nobis conferenda sunt; neque a coena ambulare, aut corpus quiete relaxare, datur; sed illo etiam tempore literis vacare, & emendare exemplaria, cogimur.* Et ecce alium Censorem indicatum, *Ambrosium* videlicet. Censores libro-

brorum egerunt etiam *Pamphilus* Martyr, & *Eusebius*, nam praeter quam quod *Pamphilus* Antiquariam artem exercebat, adeoque scripta sua interdum recensuisse probabile est, *Tillemontius Tom. V. Monument. Ecclesiast.* testatur, *Pamphilum* & *Eusebium* aliorum exemplaria & ἀντίγραφα recensuisse; & in Bibliotheca Iesuitarum Parisiensium exstat Ieremiae Prophetae exemplar ex alio antiquiore descriptum, in cuius fine ita scriptum est: *Pamphilus & Eusebius emendaverunt.* Nec forte aliud innuunt illa *Hieronymi Epist. CVII.* verba: *Alexandria & Aegyptus in Septuaginta suis Hesychium laudat Auctorem. Constantinopolis usque Antiochiam Luciani Martyris exemplaria probat. Mediae inter has provinciae Palaestinae codices legunt, quos ab Origene elaboratos Eusebius & Pamphilus vulgaverunt.* Qui vulgabant, etiam recensebant, quod & *Lucianus & Hesychius* fecisse, ex istis *Hieronymi* verbis comprobantur. Sanctus *Hieronymus* quoque Criticum Censoremque agebat, ut indicat in *Epist. CVII. ad Chromatium*, de divinae Scripturae exemplaribus loquens: *Nunc vero, quum pro varietate regionum diversa ferantur exemplaria; & germana illa antiquaque translatio corrupta sit, atque violata: nostri arbitrii putas, aut e pluribus iudicare quid verum sit, aut novum opus in vetere opere cudere.* Et *Epist. CVIII. Denique, quum a me nuper flagitassetis, ut vobis Paralipomenon Latino sermone transferrem, de Tiberiade quendam legis doctorem adsumsi, & contuli cum eo, a vertice, ut aiunt, usque ad extremum unguem: & sic confirmatus, ausus sum facere quod iubebatis. Libere enim vobis loquor: ita in Graecis & Latinis codicibus hic nominum liber vitiosus est, ut non tam Ebraea, quam Barbara quaedam & Sarmatica, nomina conjecta arbitrandum sit.* Epistola autem CXXIII. *ad Damasum* ita scribit. *Novum opus me facere cogis ex veteri, ut, post exemplaria Scripturarum, toto orbe dispersa, quasi quidam arbiter sedeam; & quia inter se variant, quae sint illa, quae cum Graeca consentiant veritate, decernam. Pius labor, sed periculosa praesumtio, iudicare de ceteris ipsum ab omnibus iudicandum, senis mutare linguam, & canescentem iam mundum ad initia retrahere parvulorum. Quis enim doctus pariter vel indoctus, quum in manus volumen adsumserit, & a saliva, quae semel imbibit, viderit discrepare quod lectitat; non statim eru-*

erumpat in vocem, me falsarium, me clamitans esse sacrilegum, qui audeam aliquid in veteribus libris addere, mutare, corrigere? Adversus quam invidiam duplex caussa me consolatur: quod & tu, qui summus Sacerdos es, fieri iubes: & verum non esse quod variat, etiam maledicorum testimonio comprobatur. Si enim Latinis exemplaribus fides est adhibenda, respondeant quibus: tot enim sunt exemplaria paene, quot codices. Sin autem veritas est quaerenda de pluribus, cur non, ad Graecam originem revertentes, ea, quae vel a vitiosis interpretationibus male reddita, vel a praesumtoribus imperitis emendata perversius, vel a librariis dormitantibus aut addita sunt, aut mutata, corrigimus? Neque vero ego de Veteri disputo Instrumento ...... de Novo nunc loquor Testamento, quod Graecum esse non dubium est, excepto Apostolo Matthaeo, qui primus in Iudaea Evangelium Christi Ebraicis litteris edidit. Hoc certe, quum in nostro sermone discordat, & in diversos rivulorum tramites ducit, uno de fonte quaerendum est. Praetermitto eos codices, quos a Luciano & Hesychio nuncupatos paucorum hominum adserit perversa contentio: quibus utique neque in toto Veteri Instrumento post Septuaginta Interpretes emendare quid licuit, nec in Novo profuit emendasse: quum multarum gentium linguis Scriptura ante translata doceat falsa esse, quae addita sunt. Igitur haec praesens Praefatiuncula pollicetur quatuor tantum Evangelistas, quorum ordo est iste, Matthaeus, Marcus, Lucas, Ioannes, codicum Graecorum emendata collatione, sed & veterum; quae ne multum a lectionis Latinae consuetudine discreparent, ita calamo temperavimus, ut iis tantum, quae sensum videbantur mutare, correctis, reliqua manere pateremur, ut fuerant. De hac autem *Hieronymi* emendatione consulenda Epistola *Philippi Garbelli* in *Prolegomenis*, quae *Ios. Blanchinius* ad suum *Evangeliarium Quadruplex* compilavit; consulenda etiam *Historia Critica Novi Testamenti* a *Richardo Simone* elaborata *Cap. VII. VIII. IX.* ubi de Critices quoque necessitate ad divinorum codicum emendationem perficiendam prolixe agitur. Claudat paragraphum codicis *Virgilii* Medicei-Laurentiani Censor & Criticus *Turcius Rufius Apronianus Asterius*, qui in fine *Bucolicorum* ita scripsit:

TVRCIVS RVFIVS APRONIANVS ASTERIVS VC ET INL · EX COMITE DOMEST · PROTECT · EX COM PRIV LARGIT EX PRAEF VRBI PATRICIVS ET CONSVL ORDIN LEGI ET DISTINCXI CODICEM FRATRIS MACHARII VC NON MEI FIDVCIA SET EIVS CVI SI ET AD OMNIA SVM DEVOTVS ARBITRIO XI KAL · MAII ROMAE.

DISTINCXI EMENDANS GRATVM MIHI MVNVS AMICI
SVSCIPIENS OPERI SEDVLVS INCVBVI.
TEMPORE QVO PENACES CIRCO SVBIVNCXIMVS, ATQVE
SCENAM EVRIPO EXTVLIMVS SVBITAM.
VT LVDOS CVRRVSQVE SIMVL · VARIVMQVE FERARVM
CERTAMEN · IVNCTIM ROMA TENERET OVANS ·
TERNVM QVIPPE SOPHOS MERVI. TERNA AGMINA VVLGI.
PER CAVEAS PLAVSVS CONCINVERE MEOS ·
IN QVAESTVM FAMAE CENSVS IACTVRA CVCVRRIT ·
NAM LAVDIS FRVCTVM TALIA DAMNA FERVNT ·
SIC TOT CONSVMPTAS SERVANT SPECTACVLA GAZAS ·
FESTORVMQVE TRIVM PERMANET VNA DIES ·
ASTERIVMQVE SVVM VIVAX TRANSMITTERET AEVVM
QVI PARCAS TRABEIS TAM BENE DONAT OPES.
QVISQVE LEGIS · RELEGAS FELIX · PARCASQVE BENIGNE
SI QVA MINVS VACVVS PRAETERIIT ANIMVS.

XIII. CHORAVLAE. Vide ſuperius *pag.* 245.
XIV. CITHAROEDI. Vide ſuperius *pag.* 247.
XV. COMOEDI. Conſule ſuperius *pag.* 249.
XVI. CRITICI. Sunt iidem ac Cenſores librorum, ſeu Grammatici, quorum nomen conſule inferius.

§. IV.

§. IV.

XVII. DIALECTICI. Consule superius *pag.* 494. & inferius voce PHILOSOPHI. *Pierius* Alexandrinae Ecclesiae Presbyter, sub Caro & Diocletiano Principibus, mirae ἀσκήσεως, & adpetitor voluntariae paupertatis, scientissimusque Dialecticae, & Rhetoricae, Artis, fuit, ut in *Catalogo Hieronymus* scribit. D. *Augustinum* Dialectica mirabiliter praestitisse, eius opera luculenter evincunt, & praecipue, quae contra Academicos scripsit, de quibus ita *Lib. I. Retractat. Cap. I.* loquitur: *Quum ergo reliquissem, vel quae adeptus fueram in cupiditatibus huius mundi, vel quae adipisci volebam, & me ad Christianae vitae otium contulissem, nondum baptizatus contra Academicos, vel de Academicis, primum scripsi, ut argumenta eorum, quae multis ingerunt veri inveniendi desperationem, & prohibent cuiquam rei adsentiri, & omnino aliquid, tamquam manifestum certumque sit, adprobare sapientem, cum eis omnia videantur obscura & incerta, ab animo meo, quia & me movebant, quantis possem rationibus amoverem.* Capite autem VI. haec habet: *Per idem tempus, quo Mediolani fui, baptismum percepturus, etiam disciplinarum libros conatus sum scribere, interrogans eos, qui mecum erant, atque ab huiusmodi studiis non abhorrebant: per corporalia cupiens ad incorporalia quibusdam quasi passibus certis vel pervenire vel duci. Sed earum solum de Grammatica librum absolvere potui, quem postea de armario nostro perdidi, & de Musica sex volumina, quantum adtinet ad eam partem, quae rythmus vocatur. Sed eosdem sex libros iam baptizatus, iamque ex Italia regressus in Africam, scripsi. Inchoaveram quippe tantummodo istam apud Mediolanum disciplinam. De aliis vero quinque disciplinis illic similiter inchoatis, de Dialectica, de Rhetorica, de Geometria, de Arithmetica, de Philosophia, sola principia remanserunt, quae tamen etiam ipsa perdidimus.* Et quidem inter *Augustini* opera *Dialecticae Principia* & *Categoriae ex Aristotele decerptae*, occurrunt; & *Lib. I. contra Crescomium Grammaticum Cap.* XIII. ita scribit: „ Quid est enim aliud Dialectica, quam peritia dispu-

„ tandi? quod ideo aperiendum putavi, quia etiam ipsam
„ mihi obiicere voluisti, quasi Christianae non congruat veri-
„ tati, & ideo me Doctores vestri velut hominem Dialecticum,
„ merito fugiendum potius & cavendum, quam refellendum,
„ revincendumque, censuerunt. Quod quum tibi non persuase-
„ rint, nam te adversus nos etiam scribendo disputare non
„ piguit; tu tamen in me Dialecticam criminatus es, quo
„ falleres imperitos, illosque laudares, qui disputando mecum
„ congredi noluerant. Sed tu videlicet non Dialectica uteris
„ quum contra nos scribis, ut quid te ergo in tantum dispu-
„ tandi periculum proiecisti, quum disputare non noveris? Aut
„ si nosti, cur Dialecticus Dialecticam criminaris, ita vel te-
„ merarius vel ingratus, ut aut imperitiam qua vinceris non
„ refraenes, aut doctrinam qua iuvaris accuses? Inspicio ser-
„ monem tuum, istum ipsum, quem ad me scripsisti, video te
„ quaedam copiose ornateque explicare, hoc est, eloquenter;
„ quaedam vero subtiliter arguteque disserere, hoc est Diale-
„ ctice; & tamen Eloquentiam Dialecticamque reprehendere.
„ Si noxia sunt, quare hoc facis? si non sunt, cur arguis?
„ Sed ne etiam nos verbi controversia torqueat, quum res ipsa
„ intelligatur, minus laborandum est quid hominibus eam vo-
„ care placuerit. Proinde si eloquens ille adpellandus est, qui
„ non solum copiose & ornate, sed etiam veraciter, dicit; i-
„ temque si Dialecticus ille adpellandus est, qui non solum
„ subtiliter sed veraciter etiam disserit; nec eloquens es, nec
„ Dialecticus; non quia ieiuna & inordinata est dictio tua,
„ nec quia obtusa & crassa est disputatio tua, sed quia ipsa
„ facundia atque solertia ad defensionem abuteris falsitatis.
„ Si autem non in sola veritate, sed etiam quum mala causa
„ disseritur, vel verbose agitur, recte potest Eloquentia vel
„ Dialectica nominari, & eloquens es, & Dialecticus, quia &
„ facunde dicis vana, & acute disputas falsa: sed de te videro.

„ Stoici certe maxime Dialectici fuerunt. Cur Apostolus
„ Paulus, ne conferrent cum illo, non eos cautissime devitavit,
„ & vestros Episcopos laudas, quod nobiscum velut cum Dia-
„ lecticis nolint habere sermonem? Aut si Paulus Dialecticus
„ erat, & ideo conferre cum Stoicis non timebat, quia non

„ so-

„ solum acute disputabat, sicut & illi; sed etiam veraciter, „ quod non illi; iam cave ne cuiquam Dialecticam pro cri„ mine obieceris, qua usos Apostolos contiteris. Neque enim „ quum hoc mihi obiicis, imperitia te falli puto, sed fallere „ astutia. Nomen quam prope Graecum est Dialectica, quae, „ si usus admitteret, fortasse Latine Disputatoria vocaretur, si„ cut Grammaticam Graece, Literaturam Latine, viri doctis„ simi adpellaverunt. Sicut enim a literis denominata est Gram„ matica, quoniam Graece grammata literae dicuntur; sic a di„ sputatione Dialectica nomen accepit, quoniam Disputatio Grae„ ce Dialoge vel Dialexis adpellatur. Sicut autem Grammaticus „ a veteribus Latine dictus est Literator: ita Graece Dialecti„ cus multo usitarius & tolerabilius Latine dicitur Disputa„ tor. Puto iam quod Apostolum Disputatorem non neges, „ etiam si Dialecticum neges. Improbare ergo in vocabulo „ Graeco, quod adprobare cogeris in Latino, quid est aliud „ quam indoctis praetentare fallaciam, doctis facere iniuriam? „ Aut si & Disputatorem Apostolum negas, qui tam adsidue, „ tam egregie disputabat, nec Graece nosti nec Latine; vel „ quod est credibilius & in verbo Graeco fallis eos qui Grae„ ce nesciunt, & in Latino qui nec Latine sciunt. Quid enim „ est, non dico imperitius, neque enim tu ista non nosti; sed „ omnino fallacius, quam, quum audias & legas tam multos „ multiplicesque sermones Apostoli adserentes veritatem, con„ vincentes falsitatem; negare quod soleat disputare, quum „ hoc fieri nisi disputando non possit?„ Idem *Augustinus* Dialecticam in Christiano homine probat etiam *Lib. II. De Doctrina Christiana Cap. XXXI.* ubi scribit: *Disputationis disciplina ad omnia genera quaestionum, quae in Literis Sanctis sunt penetranda & dissolvenda, plurimum valet.* Vide LOGICI.

XVIII. DOCTORES. Doctores heic non intelligo eos, quibus de agit Apostolus *Epist. I. ad Corinth. Cap. XII.* v. 28. qui Evangelii dogmata mortales homines docuerunt, & enarraverunt, quales omnes Ecclesiae Patres, & Scriptores, fuere. Sed Doctores intelligo disciplinarum aliarumque liberalium Artium professores, qui publice vel privatim scientias & disciplinas docebant. Talis fuit *Ammonius* Alexandrinus, qui Philo-

losophiam professus est, ut apud *Eusebium Lib. VI. Cap. XIX.* legimus; talis *Origenes*, qui iuventutem disciplinis etiam Graecanicis imbuebat, ut scribit idem *Eusebius Lib.* citato *Cap. XVIII.* his verbis: *Alii quoque complures eruditi homines, pervulgato ubique Origenis nomine illecti, ad eum confluebant, periculum de eius viri in sacris Literis peritia facturi. Innumeri praeterea haeretici, nec pauci ex illustribus Philosophis, studiose eum auscultabant: & praeter rerum divinarum scientiam, Graecanicae quoque Philosophiae praecepta, quasi discipuli, ex illo percipiebant. Quoscumque enim ex discipulis solertia & acumine ingenii praeditos animadverterat, eos in Philosophiam introducebat, Geometriam illis tradens & Arithmeticam aliasque praevias disciplinas: inde ad varias Philosophorum sectas eos perducens, & libros a veteribus Philosophis conscriptos exponens: commentarios quoque in singulos scribens, & reconditos sensus penitus inquirens: adeo ut apud ipsos etiam Gentiles summus Philosophus pronuntiaretur. Ex rudioribus vero, atque hebetioris ingenii discipulis, multos ad humaniorum artium studia cohortabatur: asserens non mediocrem illos facultatem ex huiusmodi studiis percepturos esse ad sacrarum Scripturarum intelligentiam. Quocirca saecularis literaturae & Philosophiae studia sibi quoque in primis necessaria esse existimavit.* Eadem confirmat ex ipso *Origene* idem Historicus *Capite insequenti*. Talis *Tatianus* fuit, qui primum Oratoriam docens non parvam sibi ex arte Rhetorica gloriam comparaverat. Talis fuit *Heracles*, *Origenis* socius & adiutor, qui & pallio Philosophico utebatur, ut idem *Eusebius* citati *Libri Cap. XV.* & *XIX.* memoriae prodidit. Talis *Anatolius*, qui sectam Aristotelicam Alexandriae instauravit, ut superius *pag.* 494. vidimus. Talis *Cyprianus*, qui in Africa, talis *Malchion*, qui Antiochiae, Rhetoricam professi sunt, & sub *Claudio* & *Valeriano* claruere. Talis *Arnobius*, qui sub *Diocletiano* Principe Siccae apud Africam florentissime Rhetoricam docuit. Talis fuit *Lactantius Firmianus*, qui *Crispi* Caesaris, *Constantini* filii, Praeceptor & Doctor fuit, quique Nicomediae Rhetoricam professus est. Talis fuit *Prohaeresius* Sophista Christianus, cuius vitam apud *Eunapium* legere est, & cuius meminit in *Chronico Hieronymus*. Talis *Victorinus*

Afer,

Afer, qui Romae sub *Constantio* Principe Rhetoricam docuit, & de quo ita *Augustinus Lib. VIII. Confessionum Cap. II. Victorinum ipsum recordatus est (Simplicianus) quem Romae quum esset familiarissime noverat; deque illo mihi narravit, quod non silebo. Habet enim magnam laudem gratiae tuae confitendam tibi, quemadmodum ille doctissimus senex, & omnium liberalium doctrinarum peritissimus, quique Philosophorum tam multa legerat, & diiudicaverat, & dilucidaverat, Doctor tot nobilium Senatorum, qui etiam ob insigne praeclari magisterii, quod cives huius mundi eximium putant, statuam in Romano foro meruerat & acceperat, &c.* Talis & *Augustinus ipse*, qui Romae & Mediolani Rhetoricam pariter docuit, ut ipse *Lib. V. Confess. Cap. VIII. XII. XIII.* scriptum reliquit. Vide GRAMMATICI. MAGISTRI. PHILOSOPHI. PRAECEPTORES. RHETORES.

§. V.

XIX. EPISTOLOGRAPHI. Omnes illi dici possunt, qui Epistolas scripsere, quos inter ipsi Apostoli, & *Iesus* ipse, si quae de eius ad *Abgarum* epistola traduntur vera consistunt, de qua consulendum superius *pag.* 364. Sed *Clemens* Romanus, & *Ignatius* Antiochenus, & *Origenes*, ac *Dionysius* Alexandrini, & *Cyprianus* Carthaginiensis, ut *Anonymum* ad *Diognetum* scribentem silentio praeteream, inter alios celeberrimi ob scriptas Epistolas exstiterunt.

XX. Ab EPISTVLIS. Vide superius *pag.* 257.

XXI. ERVDITI. Tales omnes fere erant illi, de quibus in hoc Capite agimus; & de Christianorum quorumdam eruditione huius ipsius Capitis initio multa generaliter loquuti fuimus. Sed lubet nunc producere, quae de *Theodoti Coriarii* eruditione scribit S. *Epiphanius Adversf. Haeres. Lib. II. Tom. I. Haeres. XXXIV.* apud eum enim πολυμαθὴς τῷ λόγῳ audit, & quem ἕνεκεν τῆς πολυμαθείας passim homines mirarentur. Vide GNOSTICI. PHILOLOGI.

XXII. EXCEPTORES. Consule superius *pag.* 262. Talis fuit S. *Genesius* Martyr Arelatensis; ita enim in eius apud

Rui-

Ruinartium Actis: Sanctus itaque Genesius in iuventutis flore primaevo, provincialis militiae tirocinia subscepit (eam officii partem studio & arte complexus, quae patronorum verba, vel nova signorum velocitate, vel dexterae, sonum vocis aequaret, spiritalem futurae gloriae imaginem praefigurans, ut qui praecepta divina celeriter audiret, ea fidelibus notis piae mentis exciperet) Accidit autem ut eodem ante tribunal Iudicis Exceptoris munus implente, impia atque sacrilegae mandatae persequutionis iussa legerentur; quae quum devotus Deo repudiaret auditus, & imprimere ceris manus sancta respueret. Abiectis ergo ante pedes Iudicis tabulis, triste ministerium sacrata iam Deo mens refugit. Vide NOTARII.

§. VI.

XXIII. FIDICINES. Vide superius *pag.* 267.

§. VII.

XXIV. GEOMETRAE. Consule superius *pag.* 494. & tales videntur fuisse *Hippolytus* & *Eusebius* Caesariensis, de quibus ita *Hieronymus* in *Catalogo*: *Hippolytus cuiusdam Ecclesiae Episcopus (nomen quippe urbis scire non potui) rationem Paschae, temporumque Canones, scripsit usque ad primum annum Alexandri Imperatoris, & sedecim annorum Circulum, quem Graeci ἑκκαιδεκαετηρίδα vocant reperit; & Eusebio, qui super eodem Pascha Canonem, decem & novem annorum Circulum, idest, ἐννεακαιδεκαετηρίδα composuit, occasionem dedit.* Talis etiam fuit *Didymus*, talis *Augustinus*, ut *pag.* 515. videre est.

XXV. GNOSTICI. Licet Gnosticorum nomen in invidiam venerit, quod illud impii quidam haeretici per magnam superbiam sibi adrogaverint, de quibus S. *Irenaeus Advers. Haeres. Lib. I.* qui *Lib. II. Cap. XLV.* de iisdem intelligendus scribit: *Melius ergo & utilius idiotas parum scientes exsistere, & per caritatem proximum fieri Deo, quam putare multum sci-*

re,

re, & multum expertos in suum Deum blasphemos invenire, alterum Deum Patrem fabricantes, & ideo Paullus clamavit: Scientia inflat, caritas autem aedificat. Non qui veram scientiam de Deo culparet: alioquin seipsum primum accusaret; sed quia sciebat quosdam sub occasione scientiae elatos excidere a dilectione Dei. De iisdem S. *Epiphanius Advers. Haeres. Lib. I. Tom. II. Haeres. VI. & VII. & XXXI.* Sanctus *Augustinus Lib. De Haeres.* & Sanctus *Philastrius Libro* pariter *De Haeresibus*, prolixe agunt. Nihilo tamen minus ita etiam viri boni & orthodoxi adpellati fuerunt; & *Gnostici* veri Christiani a *Clemente* Alexandrino passim nuncupantur. Ille enim *Stromat. VIII.* scribit: *Γνωστικὸν νοοῦμεν, ᾧ μηδὲν λείπει τῆς ἐπιστημονικῆς εἰδήσεως. Per cognitione praeditum eum intelligimus, cui nihil deficit cognitionis, quae est ex scientia.* Vide ERVDITI. PHILOLOGI.

XXVI. GRAMMATICI. Confule superius *pag.* 479. 494. 508. De Grammaticis *Arnobius Lib. II. Advers. Gentes*, de Gentilibus ad Christum confluentibus agens, ita scribit: *Tam magnis ingeniis praediti Oratores, Grammatici, Rhetores, Consulti iuris, & Medici, Philosophiae etiam secreta rimantes, magisteria haec expetunt, spretis, quibus paullo ante fidebant.* Grammaticam docuit *Origenes*, auctore *Eusebio Lib. VI. Histor. Eccles. Cap. II.* qui de eo ita scribit. *Porro quum Graecanicis disciplinis primum a patre imbutus fuisset, & post eiusdem obitum totum se liberalibus studiis vehementius addixisset, adeo ut sufficientem usum ac peritiam artis Grammaticae adsequutus videretur: paullo post patris mortem eam artem professus, necessaria vitae subsidia abunde, ut in illa aetate, sibi comparavit. Apollinarius* quoque Laodicenus Syriae Episcopus Grammaticis in adolescentia operam dedit. Librum quoque de Grammatica scripsit Hipponensis *Augustinus*, qui adhuc exstat. Grammaticus dici potuit etiam S. *Cassianus* Martyr, qui pueros scribendi peritia instituebat. De eo ita *Prudentius Hymn. IX.*

Praefuerat studiis puerilibus, & grege multo
Stipatus, Magister literarum sederat.
Verba notis brevibus comprendere cuncta peritus,
Raptimque punctis dicta praepetibus sequi.

Aspera nonnumquam praecepta, & tristia visa,
Impube vulgus moverant ira & metu.
Doctor amarus enim discenti semper ephebo,
Nec dulcis ulli disciplina infantiae est.
Ecce Fidem quatiens tempestas saeva, premebat
Plebem dicatam Christianae gloriae.
Extrahitur coetu e medio moderator alumni
Gregis, quod aris supplicare spreverat.
Poenarum artifici quaerenti, quod genus artis
Vir nosset, alto tam rebellis spiritu.
Respondent: Agmen tenerum & puerile gubernat
Fictis notare verba signis imbuens.

In *Actis Cirthensibus* apud *Baronium ad Ann. CCCIII.* Grammaticus vocatur Magister Clericorum in Ecclesia. *Sexto Thamugudiensi inducto, & adplicito Victore Grammatico, adsistente etiam Nundinario Diacono, Zenophilus Vir Clarissimus Consularis dixit. Quis vocaris? Respondit: Victor. Zenophilus V. C. Consularis dixit: Cuius conditionis es? Victor dixit: Professor sum litterarum Romanarum, Grammaticus Latinus, &c.* Reliqua de hoc *Victore* Grammatico vide superius *pag.* 507. nam ibi ex iisdem *Actis* adlata sunt; & adeundum est superius, ubi de Dialecticis egimus. Grammatici deinde dicti sunt etiam, qui prius Critici nuncupabantur, de quibus consule superius in CENSORES LIBRORUM.

§. VIII.

XXVII. HERMENEUTAE. Vide INTERPRETES.

XXVIII. HISTORICI. Tales fuerunt, qui res gestas Christi Domini litteris consignarunt, Evangelistae *Matthaeus*, *Marcus*, *Lucas*, *Ioannes*, quorum *Lucas* non Evangelium solum, sed & πράξεις Apostolorum diligenti cura conscripsit. Apocryphos Scriptores non commemoramus in praesens, quum in operis decur-

cursu omnes recensere decreverimus. Post divinos Scriptores illos, *Hegesippus vicinus Apostolicorum temporum, omnes a passione Domini usque ad suam aetatem, Ecclesiasticorum actuum texens historias, multaque ad utilitatem legentium pertinentia hinc inde congregans, quinque libros composuit, sermone simplici, ut quorum vitam sectabatur, dicendi quoque exprimeret characterem*, ut scribit *Hieronymus* in *Catalogo*, quo pariter auctore, *Iudas Chronographiam superiorum temporum usque ad decimum Severi perduxit annum*. *Iulius Africanus* quinque de temporibus scripsit volumina, & sub Imperatore *Marco Aurelio Antonino*, qui *Macrino* successerat, floruit. *Pontius* Diaconus *Cypriani* usque ad diem passionis eius cum ipso exsilium sustinens, egregium volumen vitae & passionis *Cypriani* reliquit. S. *Dionysius* Alexandrinus suis Epistolis varia martyria sub *Valeriano* Principe facta narravit. Quid autem de *Eusebio* Caesariensi dixerim, qui luculentos Historiae Ecclesiasticae libros, & quatuor de Vita *Constantini* volumina, & Chronicorum Canonum omnimodam Historiam, & Acta Martyrum simul collecta, reliquit? Sed silentio praetereundi non sunt quidam Actorum Martyrum Scriptores, qui rebus, quas scribebant, σύγχρονοι fuerunt, ut qui martyrium S. *Ignatii* Episcopi Antiocheni scripsere; Ecclesia Smyrnensis, quae Epistola data S. *Polycarpi* passionem celebravit; Ecclesiae Viennensis & Lugdunensis, quae alia pariter Epistola S. *Pothini* & aliorum plurimorum Martyrum clara certamina praedicavit; *Perpetua* ipsa Martyr & *Saturus*, qui sua acta suamque passionem ex parte scripserunt; *Nilus*, qui S. *Theodoti* Ancyrani, & septem Virginum, pugnam & de crudelitate victoriam posterorum memoriae transmisit. Sunt qui dicant, Notarios quosdam a *Fabiano* Romano Pontifice constitutos, ut Acta Martyrum scriberent; at de his agemus inferius, ubi de Notariis a nobis loquendum erit.

§. XIX.

XXIX. INTERPRETES. Interpretes intelligo eos, vel qui enarrant alicuius Scriptoris commentarios paullo

ſcuriores, & altiores ſenſus abſcondentes; vel qui ex una lingua in aliam aut ſermones & colloquia, aut libros & lucubrationes, convertunt. Prioris generis plurimi fuerunt apud primorum ſaeculorum Chriſtianos, qui profundiora coeleſtium Oraculorum myſteria libris compoſitis dedita opera ediſſeruerunt, ut *Theophilus* Antiochenus Epiſcopus, cui in Evangelium & in Proverbia Salomonis commentarii attributi fuerunt, *Rhodon* Aſianus, qui in Hexaemeron elegantes tractatus compoſuit, ſicut *Heraclius* in Apoſtolum. *Candidus* itidem in Hexaemeron pulcherrimos tractatus edidit, non aliter ac *Appion* ſub *Severo* Principe fecerit. *Iudas* de Septuaginta apud *Danielem* hebdomadibus pleniſſime diſputavit; *Tertullianus* Dominicam Orationem expoſuit. De *Origene* ſuperfluum eſt loqui, cuius auditor *Tryphon* librum compoſuit de Vacca rufa in *Numeris*, & Dichotomematibus, quae cum Columba & Turtura Abraham ponuntur in Geneſi. *Hippolytus* in Scripturas commentarios ſcripſit, ut in ἑξαήμερον, & in Exodum, & in Canticum Canticorum, in Geneſin, & in Zachariam, de Pſalmis, & in Eſaiam, de Daniele, de Apocalypſi, de Proverbiis, de Eccleſiaſte, de Saul, de Pythoniſſa, de Antichriſto. *Gregorius* Neocaeſarienſis μετάφρασιν in Eccleſiaſten, brevem quidem, ſed valde utilem, ſcripſit. *Victorini* Petavionenſis Epiſcopi commentarii ſunt in Geneſim, in Exodum, in Leviticum, in Eſaiam, in Ezechielem, in Abacuc, in Eccleſiaſten, in Cantica Canticorum, in Apocalypſim Ioannis. Audio modo in Bibliotheca Vaticana eius commentarios in Epiſtolas D. *Paulli* repertos eſſe, & ab V. Cl. *Petro Franciſco Fogginio* publici iuris quamprimum factum iri. Sed hi minus ad rem meam faciunt: nam de Interpretibus potius loquuturus ſum, qui libros ex uno idiomate in aliud, & linguam in linguam tranſtulerunt. Et de Interpretibus quidem librorum Novi Teſtamenti, qui Apoſtolorum aetate fuerunt, peculiari Capite inferius agam; quare de aliis modo mihi dicendum ſupereſt. Primumque ſeſe offert *Aquila* Ponticus, qui Chriſtianus quum eſſet aliquatenus, Vetus Teſtamentum ex Ebraica veritate in Graecam linguam convertit, cuius mentionem ſuperius egimus *pag.* 505. Sed & *Symmachus* & *Theodotio* Chri-

ſtia-

ftiani forsitan, licet haeretici, dicendi sunt, quum eos *Hieronymus* in *Catalogo*, ubi de *Origene* agit, Ebionaeos fuisse dicat. De horum transferendi interpretandique ratione ita idem Pater Epistola CXIII. scribit: *Quasi non & apud Graecos Aquila, Symmachus, & Theodotio, vel verbum e verbo, vel sensum e sensu, vel ex utroque commixtum, & medie temperatum genus translationis expresserint*. Multos autem alios fuisse Graecos divinarum Scripturarum Interpretes, Hexapla, & Octapla, Origeniana docere possunt; & ad huiusmodi Interpretum multitudinem respiciebat *Sophronius*, ad quem ita scribit *Hieronymus Epist. CXXXIV. Aiebas enim te magis Interpretum varietate turbari, & amorem tuum, quo laberis, vel translatione, vel iudicio meo, esse contentum*. Multi autem fuerunt primis Ecclesiae saeculis, qui divinas Scripturas ex Graeco in Latinum converterent, ut scribit *Augustinus Lib. II. De Doctrina Christiana Cap. XI.* & *Theodoretus Serm. VIII. De Curandis Graecorum Adfect.* auctor est, in omnes prope omnium populorum linguas coelestes literas suo tempore translatas fuisse. De Apostolis enim loquens ait: *Postquam vero ad illum se receperunt, a quo missi fuerant; omnes illis continue perfruuntur. Non solum Romani, quique Romanorum iugum amant, & ab illis gubernantur, sed & Persae, & Scythae, & Massagetae, & Sarmatae, & Indi, & Aethiopes, atque ut semel dicam, omnes fines terrae. Horum namque scripta simplicia illa, Graecique nitoris expertia, tam pauca numero & exigua, cunctis hominibus carissima sunt, &c.* Istuc ipsum antea *Eusebius* dixerat apud *Ernestum Grabium Tom. II. Spicileg. Patr. pag.* 253. illis verbis: διὰ τῆς αὐτοῦ παραδοθείσης τοῦ εὐαγγελίου γραφῆς, παντοίᾳ γλώττῃ, ἑλληνικῇ τε καὶ βαρβάρῳ μεταβληθείσης, εἰς ἐξάκουστον πᾶσι τοῖς ἔθνεσιν ἐφ' ἑκάστης ἡμέρας κηρυττομένης. *Tradita eius Evangelii scriptura, quae in omnem linguam, Graecam pariter ac Barbaram, translata est, & ut omnes gentes eam exaudiant, quotidie praedicatur*. Sanctus *Epiphanius Lib. I. Advers. Haeres. Tom. II.* scribit: *Nec defuere, qui de Ioannis Evangelio confirmarent, illud Ebraice translatum Tiberiade in Iudaeorum Gazophylaciis adservari, & in secretioribus quibusdam penetralibus recondi . . . . . . Immo*

& Apostolorum Actus in Ebraicum Sermonem perinde conversos Graeco iisdem in Thesauris haberi, multorum sermone percrebuit. Multa antiquorum Patrum in Graecum, vel Latinum, translata primis Ecclesiae saeculis perhibentur, ut *Irenaei* Lugdunensis Episcopi adversus haereses libri Latine a vetusto Interprete redditi. *Archelaus*, Episcopus Mesopotamiae, librum disputationis suae, quam habuit adversus *Manichaeum*, exeuntem de Perside, Syro sermone composuit, qui translatus in Graecum habetur a multis, ut *Hieronymus Catalogo* memoriae prodidit. S. *Antonius* Monachus misit Aegyptiace ad diversa Monasteria Apostolici sensus sermonisque Epistolas septem, quae in Graecam linguam translatae sunt, ut idem Historicus scribit; qui eodem opere testatur, se legisse *Ephraem* Syri de Spiritu Sancto Graecum volumen, quod quidam de Syriaca lingua verterat, & acumen sublimis ingenii etiam in translatione cognovisse. Multa vero sunt, quae *Ruffinus* Aquileiensis de Graeco *Eusebii* Caesariensis, & *Origenis*, in Latinum convertit; & *Evagrius* Antiochiae Episcopus Vitam Beati *Antonii* de Graeco *Athanasii* in eundem sermonem transtulit. *Sophronius* Graece vertit *Hieronymi* librum *De Viris illustribus*, ubi de eo ipse *Hieronymus* scribit: *De Virginitate quoque ad Eustochium, & Vitam Hilarionis Monachi, opuscula mea, in Graecum eleganti sermone transtulit; Psalterium quoque & Prophetas, quos nos de Ebraeo in Latinum vertimus.* *Eusebius* multa Latina in Graecam linguam interpretatus est, ut ex eius Ecclesiastica Historia, & ex Vita *Constantini*, patet. S. *Hieronymus* praeter Scripturas divinas ex Ebraico fonte, & ex Graeco Septuaginta, in Latinam linguam translatas, *Origenis* & *Didymi* quaedam Latine reddidit. Sanctus *Eusebius* Vercellensis Episcopus edidit in Psalmos commentarios *Eusebii* Caesariensis, quos de Graeco in Latinum verterat, ut *Hieronymus* scriptum reliquit; qui pariter auctor est, S. *Hilarium* Pictaviensem tractatus in Iob de Graeco *Origenis* ad sensum transtulisse. Alterius generis Interpretes erant ii, de quibus agit Apostolus *I. Ad Corinthios Cap. XII.* qui Scripturas scilicet in Ecclesiasticis coetibus interpretabantur, vel enucleatius edisserebant, qualis fuit Sanctus *Procopius* Martyr, qui quum Aelensis es-

esset, conversatione autem vel habitatione Scythopolitanus, Ecclesiae tria ministeria praebebat, unum in legendi officio, alterum in Syri interpretatione sermonis, dum Graeca lingua Scripturas in Ecclesia lectas Syra lingua exponebat, ut observat *Henr. Valesius*; & tertium adversus Daemones manus impositione consummans, ut in eius Actis apud *Ruinartum* videre est. Huiusmodi Interpretes memorat *Epiphanius Exposit. Fid. num. XXI.* apud quem audiunt *ἑρμηνευταὶ γλώσσης εἰς γλῶσσαν, ἢ ἐν ταῖς ἀναγνώσεσιν ἢ ἐν ταῖς προσομιλίαις. Interpretes linguae in linguam, vel in lectionibus, vel in adloquutionibus.*

XXX. IVDICES. Consule superius *pag.* 477. 478. ubi quales iudices velit Apostolus inter Christianos esse, disseruimus. Iudex ex Ethnico Christianus & Martyr effectus exstat apud *Rufinum De Vitis Patrum Cap. XIX.* De Iudicibus autem Christianis agit *Commodianus pag.* 49. ubi non tam canit quam stridet his verbis:

Intuite dicta Salomonis, Iudices omnes,
Vno verbo suo qualiter vos ille detractat;
Dona quam & xenia corrumpunt Iudices: inde,
Inde ius sequitur, datores semper amatis.
Cumque erit causa, victoriam tollit iniqua.
Innocens sic ego sum, nec vos incuso pusillus,
Blasphemium tollit Salomon quia aperte.
Vobis autem Deus est venter & praemia iura.
Subgerit hoc Paullus Apostolus, non ego pulex.

XXXI. IVRISCONSVLTI. Consule superius *pag.* 369. ubi de Curia Romana iam Christiana ex *Prudentio* egimus; & *pag.* 489. ubi de quibusdam Iuris Ebraeorum peritis breviter loquuti fuimus, & *pag.* 521. *Tertullianum* Iurisconsultum fuisse censuerunt quidam, & cum *Tertyliano* illo confudere, cuius quaedam in *Pandectis* habentur; sed probabiliter falsi sunt; nec in eorum sententiam discessit *Iacobus Pamelius* eruditissimus, in *Tertulliani Vita*; quamquam eum Iuris consultum fuisse, & verborum iuris retinentissimum, inficias non it. At de *Minu-*

nutio Felice minime dubitandum, de quo vide supra in CAVSIDICI. Inscriptiones apud *Gruterum pag. MCLXII.* 8. *MCLXVII.* 5.

FELIX · VITA · VIRI · FELICIOR · EXITVS · IPSE
CATANI · CRESCAT · SEMPER · PER · SECVLA · NOMEN
NESCIT · FAMA · MORI · SED · SEMPER · VIBIT · VBIQVE
ADVENIT · HOSPES · PRINCEPS · ROMANVS · AD · VRBEM
QVI · FVIT · HIC · PRIMVM · IVRIS · CONSVLTVS · AMICVS
QVIESCIT · IN · PACE · DEPOSITVM · QVARTO · NONAS · AVGVSTAS
FLAVIO · PHILIPPO · ET · FLAVIO · SALLEA · CONSVLIBVS
PATER · SERVATIVS · FECIT

INGENII LEGVMQVE POTENS CONSTANTIVS ATRA
MORTIS SORTE IACENS CONDITVR HIS TVMVLIS
HINC GEMAT HVNC PROBITAS TRISTIS SVSPIRET HONESTAS
ET COMITIS FVNVS PLANGAT AMICA FIDES
QVIS PER BELLA FORI TOTIENS DE IVRE TRIVMPHVM
RETTVLIT ET SAEVOS PERCVLIT ORE REOS
ORNAVIT PROPRIO SEMPER FVLGORE TOGATVS
ELOQVIO MORES MORIBVS ELOQVIVM
NON MVLTVM MORS DIRA NOCES IN FVNERE IVSTI
NIL TVA TELA GRAVANT POSSIDET ASTRA PIVS.

§. X.

XXXII. LIBRARII. De his, qui libros exscribebant, & scripturas notis involutas in integram extensamque orationem explicabant, quaedam superius *pag.* 233. in an-

anteceſſum delibavimus; & multa, ubi paullo ante de Antiquariis egimus, diſſertavimus. Nunc quaedam aut latius exponenda, aut uberius elucidanda ſunt. Itaque Librarii multi inter Chriſtianos uſque ab Eccleſiae initio eſſe debuerunt, quum paſſim ſacrarum Scripturarum libri, & Patrum Eccleſiaſticorum volumina, deſcriberentur, & ex iis inſtruerentur Bibliothecae, ut ſuperius in voce *Bibliothecarii* vidimus. Quam multos autem Scripturarum codices primis illis ſaeculis Chriſtiani exſcripſerint, vel ex eo exſtare poteſt, quod nulla Eccleſia eſſet, quae illos non haberet; & quod *Diocletianus* ſaeviſſimus Chriſtianorum perſequutor, quum in Scripturas omnes Chriſtianorum inquireret, & ſibi tradi cunctas iuberet, ac deinde flammis abſumi; non tamen omnes coeleſtium Eloquiorum codices perdere valuit, exemplarium numero eius curioſam & diligentem crudelitatem ſuperante quamplurimum. Adde quod antiqui Chriſtiani Phylacteriorum etiam loco Evangelia habuerunt, adeo ut ſecum ſemper deferrent, & morbis ſanandis remediorum vice adhiberent; atque ita, libros, aut quaterniones, innumeros haberent, neceſſe erat. Sed mihi adridet in hanc rem proferre & heic adſcribere, quae *Ant. Dadinus Alteſerra* in *Adnotationibus & Obſervationibus ad Epiſtolas Gregorii Magni Lib. XII. Epiſt. VII.* commentatur ad ea verba: „ *Excellentiſſimo autem filio veſtro Adulovaldo Regi tranſmittere Phylacteria curavimus, id eſt Crucem cum ligno ſanctae Crucis Domini, & lectionem ſancti Evangelii theca Perſica incluſam*. Gratulatur „ Theodelindae Reginae Langobardorum de nato filio, eiuſque „ optima educatione in fide Catholica: huic nomen fuit Adolovaldus, eique tranſmittit duo Phylacteria, ideſt, Amuleta „ adverſus maleficia, ſeu Lamiarum incantationes, quae pueris „ maxime nocent, nimirum Crucem cum ligno ſanctae Crucis, „ & ſacrum Evangelium theca Perſica incluſum. Mulieres & „ pueri ſolebant geſtitare Evangelium, collo adpenſum Phylacterii, ſeu Amuleti, vice. Ioann. Chryſoſtom. Hom. 19. ad „ Antiochenos: οὐχ ὁρᾷς ἂν γυναῖκες καὶ τὰ μικρὰ παιδία ἀντὶ „ φυλακῆς μεγάλης εὐαγγέλια ἐξαρτῶσι τοῦ τραχήλου καὶ πανταχοῦ „ περιφέρουσιν ὅπου περ ἂν ἀπίωσιν. *Non cernis ut mulieres & „ parvi pueri, pro magna cuſtodia Evangelia collo ſubſpendunt, &*

„ *ubique circumferunt, quocumque abierint*. Idem in Matth. Hom.
„ 73. in haec verba: *Phylacteria sua dilatant*. τὰ φυλακτήρια ἐκάλουν
„ ὡς πολλαὶ νῦν τῶν γυναικῶν εὐαγγέλια τῶν τραχήλων ἐξαρτῶσαι
„ ἔχουσι. *Haec Phylacteria idest Conservatoria vocabant, sicuti*
„ *multae mulieres modo faciunt Evangelia ex collo dependentes*.
„ Idem Isidorus Pelusiot. Lib. 2. Epistol. 150. Hieronym. in
„ Matth. Lib. 4. Cap. 23. Aegris Evangelium ad caput ad-
„ poni solebat, curationis caussa. Augustin. in Ioan. Capite
„ 7. *Quid ergo, quum caput tibi dolet, laudamus si Evangelium ad*
„ *caput tibi posueris, & non ad ligaturam cucurreris. Gaude-*
„ *mus quando videmus hominem in lectulo suo constitutum iactari*
„ *febribus & doloribus, nec alicubi spem posuisse, nisi ut Evan-*
„ *gelium ad caput poneret, non quia ad hoc factum est, sed*
„ *quia praelatum est Evangelium ligaturis*. Moris erat quoque
„ sacrum Evangelium custodiri in singulis aedibus, Daemonis ar-
„ cendi caussa. Io. Chrysostom. in Ioan. Cap. 31. εἰ γὰρ ἐν
„ οἰκίᾳ ἔνθα εὐαγγέλιον ᾖ κείμενον οὐ τολμήσει προσελθεῖν ὁ διά-
„ βολος. *Nam, si in quacumque domo Evangelium est, illuc Dia-*
„ *bolus ingredi non audet*. Sacrum Evangelium praesens reme-
„ dium adversus incendia. Gregor. Turon. de Vit. Patrum
„ Cap. 6. de S. Gallo Arvernensi Episcopo. *Sergensque Evan-*
„ *geliis comprehensis, apertisque, obviam se igni committit*. Evan-
„ gelium inter insignia Imperii fuit. Lotharius a Ludovico Pio
„ patre suo. Imperator designatur, traditione coronae, ensis, &
„ Evangelii. In vita Ludovici Pii. *Lothario coronam ensem Evan-*
„ *gelium auro gemmisque redimitum ea lege habendam misit, ut*
„ *fidem Carolo, & Iudith, servaret*. „ Si autem apocryphis
libris fides adhibenda esset, *Abdias Libro III. §. XXVI.* i-
ta scribit. *Trophima vero ex qua die lupanar erat ingressa,*
prostrata humi assidue orabat. Quumque venissent, qui eam con-
tingerent, ponebat Evangelium, quod secum habebat, ad pe-
ctus suum, & statim omnes vires perdebant. & §. XXXIII.
Lactante igitur conscientia mea, accepi Evangelium & oravi, ut
haec aliquando me faceret oblivisci. Itaque post paucos dies obli-
tus Evangelii, quod super me erat, inflammante cogitatione per-
versa, abii iterum in lupanar. Ast non adeo antiquus hic
mos gestandi secum Evangelium videtur fuisse, ut ipsis Apo-
sto-

stolorum temporibus invaluerit; vis enim haec mirabilis codicibus Evangelicis adscribi posteriori coepit aetate, ut *Andreae Scmidii De Cultu externo Evangeliorum* Exercitatio demonstrat. Non omittenda autem, quae *Io. Ciampinus Par. I. Veter. Monum. Cap. XVI.* scribit; sunt autem sequentia: *Et post sancta crescebat amor tam sacri pignoris,* (*Evangelii*) *quare & cum eo thecis argenteis, aeneisque, aut plumbeis, pro facultate cuiusque obsignato, sepulchris mandari iubebant: quod plurima cadavera, seu loculi, confirmant, in pervetustae Basilicae Vaticanae demolitione, cum iis reperta.* Et quidem nulla prope occupatio Christiano homine dignior, quam sacros libros describere, quum illi Librarii Evangelii praedicatoribus aequiperandi sint, nec forte minus utilitatis Ecclesiae, quam de praedicatione, inde proveniret. Hinc ea fuit sanctorum virorum exercitatio: hoc Ascetarum & Monachorum opus; illud doctorum hominum negotium; ut superius in ANTIQVARII late copioseque demonstravimus. Quoniam vero heic quaedam supplenda sunt, quae in voce ANTIQVARII praetermisimus, observandum est, ideo etiam tam multa fuisse secundo Ecclesiae saeculo coelestium literarum exemplaria, quod Haeretici eas audacter corrumperent, & adulteratos codices disseminarent. Nam vetustus Auctor apud *Eusebium Lib. V. Histor. Eccles. Cap. XXVIII.* de *Artemonis* sectatoribus ita scribit: *Hinc est quod divinis Scripturis audacter manus intulerunt, eas a se emendatas esse dicentes. Atque id a me non falso eis obiici, quisquis voluerit, facile cognoscet. Nam si quis exemplaria illorum undique conquisita simul inter se contulerit, inveniet profecto illa inter se plurimum dissentire. Certe Asclepiadis exemplaria non conveniunt cum illis quae sunt Theodoti. Multa porro huiusmodi exemplaria nancisci licet, propterea quod discipuli illorum studiose perscripserunt ea, quae a Magistris suis, ut ipsi dicunt, emendata, hoc est, corrupta, fuerant. Iam Hermophili exemplaria cum illis, quae dixi, minime consentiunt. Ea vero, quae dicuntur Apolloniadis, ne secum quidem ipsa concordant. Nam illa, quae prius ediderat, cum illis, quae postea invertit atque luxavit, conferre quilibet potest, atque inter se dissonantia deprehendere, &c.* Sed de Librariis Haereticis divinarum Scriptura-

rarum corruptoribus alibi fortasse, si Deus faxit, opportunius disseremus. Plura tamen erant exemplaria incorrupta & intacta, primo ipso saeculo exeunte, vel incipiente secundo, exscripta, quae se consuluisse S. *Irenaeus* apud *Eusebium Lib. V. Cap. VIII.* luculenter indicat de Revelatione B. *Ioannis* Evangelistae ita scribens: *Τούτου δὲ οὕτως ἔχοντος, καὶ ἐν πᾶσι δὲ τοῖς σπουδαίοις καὶ ἀρχαίοις ἀντιγράφοις τοῦ ἀριθμοῦ τούτου κειμένου κ. τ. λ. Quum igitur haec ita se habeant, & in omnibus probis ac vetustis exemplaribus numerus hic exstet, &c.* S. *Hieronymus* in *Catalogo* ubi de *Hippolyto* agit: *In huius aemulationem Ambrosius, quem de Marcionis haeresi ad veram fidem correctum diximus, cohortatus est Origenem, in Scripturas commentarios scribere, praebens ei septem & amplius Notarios, eorumque expensas, & Librariorum parem numerum, &c.* S. *Lucianus* Presbyter Antiochenus, si *Simeoni Metaphrasti* credendum est, libros exscribendo Librarius vitam tolerabat, antequam ad Presbyteratus ordinem promoveretur. Sed multos fuisse, ut diximus, Librarios Christianos antiquis saeculis arguere est ex iis, quae superius de Bibliothecis disseruimus, & de copia librorum, quae in iis adservabantur. Illis addere nunc lubet, quae de S. *Irene* Martyre in eius *Actis* apud *Ruinartum* scripta habentur. *Quum rursus Sancta Irene ad Praesidem ducta fuisset, Dulcetius sic illam adfatus est: Tuae insaniae propositum ex his, quae facis, manifeste adparet, quae tot membranas, libros, tabellas, codicillos, & paginas, scripturarum, quae sunt impiorum Christianorum, qui unquam fuerunt, ad hodiernum usque diem servare voluisti. Quae, quum prolata essent, ea agnovisti, quamvis quotidie negaveris, vel eiusmodi scripta possidere, &c.*

XXXIII. LITERATORES. Qui primis literis pueros imbuebat, Literator dicebatur; *primus informator literarum* audit *Tertulliano De Pallio*. Grammaticus erat elementorum magister. Vide GRAMMATICI. *Hieronymus* in *Matthaeum*: *Literator erat, qui Grammaticus Graece dicitur.* Sic *Augustinus*, cuius verba superius producta fuerunt, *pag. 517. Sicut autem Grammaticus a veteribus Latine dictus est Literator.*

XXXIV. LOGICI. Licet de his multa in DIALECTICI disseruerimus, insignis quoque locus vetusti Auctoris, qui se-

secundo saeculo floruit, apud *Eusebium Lib. V. Hist. Eccl. Cap. XXVIII.* silentio minime praetereundus est, etsi in eo non de Christianis Orthodoxis, sed de impiis *Artemonis* sectatoribus agatur. *Quod si quis aliquem divinae Scripturae locum iis obiiciat, examinant utrum connexum an disiunctum syllogismi genus ex eo confici possit. Relictisque atque abiectis sacris Dei Scripturis, Geometriae student: quippe qui terrestres sint & loquantur terrena, & illum, qui de coelo advenit, ignorent. Euclidis igitur Geometria apud nonnullos eorum studiose excolitur. Aristoteles vero & Theophrastus summa admiratione subspiciuntur: Galenus autem a quibusdam etiam adoratur.* Antiqui Christiani Aristoteleas & dialecticas tricas non multum probabant, ut ostendi libro illo, quem *De Recta Patrum Nicaenorum Fide* inscripsi *Cap.* ultimo.

XXXV. LVDIMAGISTRI. Hi cum Doctoribus, Grammaticis, Literatoribus, Praeceptoribusque, confunduntur, quare ea nomina consulantur. Vide quae habeat *Tertullianus Lib. De Idololatria*, cuius verba superius *pag.* 479. protulimus.

§. XI.

XXXVI. MAGI. De *Simone* Mago quaedam superius attigimus *pag.* 291. 401. 489. & de eo, eiusque discipulis, Magiae studiosis & deditis, aliisque huiusmodi Haereticis, SS. *Irenaeus*, & *Epiphanius*, aliique Ecclesiastici Scriptores, copiose agunt; sed hi ad argumentum meum non spectant. Siqui sapientes Magorum nomine veniunt, non vero γοηταὶ & Praestigiatores, quos semper ut Diaboli ministros & familiares plebs Christiana detestata est, ut superius *pag.* 292. 489. & 503. dicebamus, de iis modo differendum esset; quamquam de iis quaedam locis indicatis iam praelibavimus. Tales fuere Magi illi, qui ad Christum puerum ex Oriente venere, ut *pag.* 490. prodidimus, quicquid *Tertullianus* e contrario censuerit; & quicumque Magiam, quam Naturalem vocant, professi sunt. Non diffitendum tamen, Christianos quosdam sive superstitiosa ignorantia ductos, sive ex insolitis Gentilitatis reliquiis, sive alio errore deceptos, a Ma-

a Magicis praestigiis non omnino abstinuisse. Hinc *Iulius Africanus* in suis *Cestis*, ubi Tacticen tractat, quaedam intermiscet, quae superstitionem Magicam redolent, de quibus ita eruditissimus Editor Parisiensis. *Africani sunt haud dubie ea capita, quae ad Pharmaciam, Chymiam, Magiamque naturalem, pertinent. Nam hisce de rebus scripsisse eum, tradunt Eusebius, Syncellus, Suidas, & alii .... Utrum autem hic ipse Africanus, quem Cestos contexuisse dicimus, idem sit, qui & Christianus fuit, & de Chronologia libros quinque scripsit, dubitabunt fortasse ii, qui singulas huius Cestorum fragmenti paginas vanis superstitionibus Magicisque praestigiis plenas viderint. Sed ambigere, ut puto, iidem desinent, postquam testimonia a Lambecio in eam rem adlata legerint. Addam unum, ex ipsius Africani Cestis depromtum. Nam quae Geoponico operi de Iulio Africano inserta sunt, ea probabilissimum est excerpta esse ex Cestorum libris. Ait Africanus Libro Geoponicorum VII.* Ἀμήχανον ὀξυνθῆναι τὸν οἶνον, ἐὰν ἐπιγράψῃς ἐν τῷ ἀγγείῳ· ἢ ἐν τοῖς πίθοις ταῦτα τὰ θεῖα ῥήματα· γεύσασθε καὶ ἴδετε ὅτι χρηστὸς ὁ κύριος. καλῶς δὲ ποιήσεις καὶ εἰς μῆλον οὕτω γράψας, ἐμβάλλων τὸ μῆλον εἰς τὸν οἶνον. *Hoc est:* Fieri non potest, ut vinum vertatur, si inscripseris vasi, aut doliis, divina haec verba: Gustate & videte, quoniam bonus est Dominus. Recte item feceris, si haec in pomo scribas, & pomum in vinum inicias. *Ex his verbis adparet, Cestorum auctorem legisse sacras Scripturas, easque, ut ab ipso Deo dictatas, veneratum fuisse. Quid si dicamus nondum hunc, quum haec scriberet, profanas Ethnicorum superstitiones penitus eiurasse, sed veram religionem iam tum quidem cognovisse, non tamen per omnia amplexum fuisse? ..... Sane in hoc libro, qui unicus ex illis novem hodie superest, multa traduntur, quae homo vere Christianus ne cogitare quidem potuit, & quae ne in lucem quidem edi publice intererat, si ea, quae illic traduntur, eiusmodi essent, ut sortiri effectum, & alicuius in bello utilitatis esse, possent. Sed quum omnes illae Magicae, maleficaeque, artes futiles sint, hoc est, nullius efficaciae, nullius plane usus; contineatque aliunde hic liber quaedam scitu digna, quorum & gravissimi Auctores in suis libris meminerunt, non male ii de re literaria meruere, qui ut antiquissimum illud monumentum publici* iu-

iuris fieret curaverunt. Ipse quidem opinor, quum Christiani ex Paganismo venientes, Ethnicarum superstitionum omnino oblivisci non possent, non eas omnino abiicere voluisse, sed potius, ut inculpate retinerent, sanctificare conatos esse; & quae ad falsa numina, & barbara & portentosa vocabula, referrentur, vel Dei veri invocatione, vel coelestium literarum verbis & oratione mutavisse, ut de Evangeliis Phylacteriis superius vidimus. Ceterum multas superstitiones, Magicasque praestigias, inter Christianos perseverasse, vel persuadeat, quod quidam ut superius *pag.* 434. animadvertimus, ab Idolis & templis recedere, & sacrificiis abstinere, satis esse, ut Christiani dicerentur & essent, perperam existimabant; alii vero Ethnicis ritibus, superstitiosisque operibus, adhuc inhaerebant. Persuadeat etiam *Eligius* saeculi VII. Auctor, Tractatu *De Rectitudine Catholicae Conversationis*, qui inter *Augustini* opera circumfertur, Christianos sui temporis admonendos esse putans, ne huiusmodi praestigiis & fallaciis animum adplicarent, quod in his multos labi & peccare animadverteret; quemadmodum & in praesens multos non sine stupore videmus, stultis huiusmodi credulitatibus & observationibus implicatos, quae certa sunt primitivae Gentilitatis vestigia, & deplorandae reliquiae, quas ex simpliciorum animis stirpitus evellere & eradicare non possumus. *Ante omnia*, inquit, *illud denuncio atque obtestor, ut nullas Paganorum sacrilegas consuetudines observetis, non Caraios, non Divinos, non Sortilegos, non Praecantatores; nec pro ulla causa, aut infirmitate, eos consulere & interrogare praesumatis. Qui hoc malum facit, perdit Baptismi Sacramentum. Similiter auguria, vel sternutationes, observare nolite, nec in itinere positi aliquas aviculas cantantes attendatis; sed sive iter, sive quodcumque opus adripiatis, signate vos in nomine Christi, & Symbolum & Orationem Dominicam cum fide & devotione dicite, & nihil vobis nocere poterit inimicus. Nullus observet qua die domum exeat, vel qua revertatur, quia omnes creavit Dominus. Nullus ad inchoandum opus diem vel Lunam attendat. Nullus in Calendis Ianuarii, nefanda & ridiculosa. Vetulas, aut Cervulos, aut Iotticos, faciat, neque mensas super noctem componat, nec coenas, aut bibitiones exerceat superfluas. Nullus in pyras credat,* ne-

neque in cantham sedeat, quia opera diabolica sunt. Nullus in festivitate Sancti Ioannis aut Sanctorum solemnitatibus, solstitia aut vallationes, vel saltationes aut cantica diabolica exerceat. Nullus nomina Daemonum, aut Neptunum, aut Dianam, aut Herculem, aut Minervam, aut Genium, aut cetera eiusmodi inepta, credere aut invocare praesumat. Nullus diem Iovis absque solemnitatibus sanctis, nec in Maio, nec in ullo tempore, in ocio observet; nec tinearum, vel murorum, vel aliquem diem omnino, nisi tantum diem dominicam. Nullus ad fana, vel ad petras, vel ad fontes, vel ad arbores, aut ad cellas, vel per trivia luminaria votum faciat, vel votum reddere praesumat. Nullus ad colla hominis, vel alicuius animalis ligamina dependere praesumat; & si a Clericis fiat & dicatur quod res sancta sit, & in divina lectione contineatur, non essent digni nomine Clericorum, sed Haereticorum; quia non est in eis remedium Christi, sed venenum Diaboli. Nullus praesumat lustrationes facere, nec herbas incantare, neque pecora per cavam arborem, vel terram transilire foratam, quia per hoc Diabolo videtur consecrare. Nulla mulier praesumat succinos dependere: nec in tela, sive in tinctura, sive in quolibet opere, Minervam, vel ceteras infaustas personas, nominare; sed in omni tempore Christi gratiam adesse, & in virtute nominis eius toto corde confidere. Nullus, quando Luna obscuratur, vociferare praesumat, quia certis temporibus Deo iubente obscuratur: nec per Lunam novam timeat aliquid operis adripere, quia Deus ad hoc Lunam fecit, ut tempora designet, & noctium tenebras temperet; non ut alicuius corpus custodiat, aut dementem hominem faciat, sicut stulti putant, qui a Daemonibus vexatos, a Luna pati putabant. Nullus dominos Solem aut Lunam vocet, neque per eos iuret, quia creaturae Dei sunt, & necessitatibus hominum iussu Dei inserviunt. Nullus sibi praeponat Fortunam aut Genium, quod Nascentia dicitur: quia Deus vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, atque in sapientia omnia dispensat, sicut disposuit ante mundi constitutionem. Propterea quotiens aliqua infirmitas occurrerit alicui, non quaerantur Praecantatores, non Divini, non Sortilegi, non Caragii, neque per fontes, aut arbores, aut bivia, phylacteria exerceantur: sed qui

aegro-

aegrotat, in sola Dei misericordia confidat, & Eucharistiam cum fide & devotione accipiat; oleumque benedictum fideliter ab Ecclesia petat, unde corpus suum ungatur, & secundum Apostolum oratio fidei salvabit infirmum, & adlevabit eum Dominus.

XXXVII. MAGISTRI. Vide supra *Doctores*, *Grammatici*, *Literatores*. Inscriptio apud *Ioannem Marangonium De rebus Ethnicis ad Ecclesiae usum translatis Cap. LXXXII. pag. 455.*

ISPIRITO SANTO BONO
FLORENTIO QVI VIXIT ANIS XIII·
CORITVS MAGITER · QVI PLVS AMAVIT
QVAM SI FILIVM SVVM · ET COIDEVS
MATER FILIO BENEMERENTI FECERVNT

Sanctus Martyr *Flavianus* Diaconus, Magister fuisse videtur, ad quem ipsi gentiles discipuli confluebant, ut ex eius *Actis* apud *Ruinartium* colligitur. *Eulogii* disciplinarum liberalium Scholastici meminit in *Historia Lausiaca Palladius Cap. XXVII.* Scholastici enim deinde dicti sunt, qui in scholis exercebantur, ac docebant. Sanctus *Augustinus Lib. V. Confess. Cap. XII.* de se ipso loquens: *Sedulo ergo agere coeperam, propter quod veneram, ut docerem Romae artem Rhetoricam: et prius docui congregare aliquos, quibus, & per quos innotescere coeperam: & ecce cognosco alia Romae fieri, quae non patiebar in Africa. Nam revera illas eversiones a perditis adolescentibus ibi non fieri, manifestatum est mihi. Sed subito, inquiunt, ne mercedem Magistro reddant, conspirant multi adolescentes, & transferunt se ad alios, desertores fidei, & quibus prae pecuniae caritate iustitia vilis est.*

XXXVIII. MATHEMATICI. Iidem erant apud Romanos ac Astrologi, de quibus superius egimus in ASTROLOGI. Consule *pag.* 179. 479. 503. 504. 505. Si vero hoc nomine intelligimus eos, qui disciplinis eruditi sunt, multa suis locis de illis vel diximus, vel dicturi sumus. Hic tantum adnotare volo, quod D. *Hieronymus*, in *Catalogo*, de *Didymo* scribit: *Didymus Alexandrinus, licet captus a parva aetate oculis,*

& ob id elementorum quoque ignarus, tantum miraculum sui omnibus praebuit, ut Dialecticam quoque & Geometriam, quae vel maxime visu indiget, usque ad perfectum didicerit.

XXXIX. MEDICI. Vide superius *pag.* 178. 241. 308. 521. *Paullus* Apostolus *Epist. ad Colossenses Cap. IV. vers.* 14. *Salutat vos Lucas Medicus carissimus. Hieronymus* in *Catalogo*, *Lucam* Evangelistam Medicum adgnoscit, & in *Esaiae Caput VI.* scribit: *Evangelistam Lucam tradunt veteris Ecclesiae tractatores, Medicinae artis fuisse scientissimum. Eusebio* quoque *Lib. III. Cap. IV.* τὴν ἐπιστήμην ἰατρὸς dicitur. Sanctus *Alexander* Martyr natione Phryx, professione Medicus fuit, cuius laus in *Epistola Ecclesiae Lugdunensis & Viennensis* apud *Eusebium Lib. V.* qui *Libro VIII.* Sancti *Zenobii* Presbyteri Sidonii, & Martyris, Medicorum omnium praestantissimi, meminit. Alius *Zenobius* Episcopus Aegiensis in Cilicia, Medicinam pariter professus est, & in persequutione Diocletiani sanguinem pro Christo fundere meruit. *Theodotus* Episcopus Laodicenus, Medicinae, quae in corporibus curandis consistit, omnium sine controversia peritissimus fuit, laudato *Eusebio* teste *Lib. VII. Cap. XXXII. Martyrologium Romanum VI. KL. Augusti. Nicomediae passio Sancti Pantaleonis Medici, qui a Maximiano Imperatore pro fide Christi tentus &c.* & *XVII. KL. Septembris: Nicaeae in Bithynia Sancti Diomedis Medici, qui in persequutione Diocletiani pro Christi fide gladio caesus Martyrium complevit.* Sancti quoque Martyres *Cosmas* & *Damianus* Arabes, Medicinam professi esse feruntur, & in eadem persequutione martyrio coronati fuerunt. De iis inscriptio apud *Gruterum pag. MCLXIV.* 16.

AVLA DEI CLARIS RADIAT SPECIOSA METALLIS
IN QVA PLVS FIDEI LVX PRETIOSA MICAT.
MARTYRIBVS MEDICIS POPVLO SPES CERTA SALVTIS
VENIT ET EX SACRO CREVIT HONORE LOCVS
OBTVLIT HOC DOMINO FELIX ANTISTITE DIGNVM
MVNVS VT AETHERIA VIVAT IN ARCE POLI.

Me-

Medicus quoque fuit Sanctus *Cyrus* Aegyptius, qui pariter sub *Diocletiano* principe passus est. Sunt qui Sanctum *Eusebium* Pontificem Romanum, Graecum & Medicum, fuisse perhibeant apud *Tillemontium Tom. V. Rufinus Lib. VIII. Cap. XVIII.* memoriae prodidit, Medicum Christianum a *Galerio Maximiano* phthiriasi laborante advocatum, in caussa fuisse, cur Princeps ille edicto proposito Christianorum persequutionem inhiberet, iisque pacem & tranquillitatem restitueret. *Iulium Africanum* Iatrosophisten fuisse, quicumque eius Cestos legerit, dubitare non potest. Inscriptiones, apud *Reinesium pag.* 898. *n.* V.

ΕΝΘΑΔΕ ΚΕΙΤΑΙ ΑΛΕΞΑΝ
ΔΡΟϹ · ΙΑΤΡΟϹ · ΧΡΙϹΤΙΑΝΟϹ
ΚΑΙ ΠΝΕΥΜΑΤΙΚΟϹ

Et *pag.* 945. *num. CCV.*

LOCVS TIMOTHEI ARCHIATRI
ET PAVLINAE

Inscriptiones apud *Gruterum pag. MCLXXIII.* 3.

HIC LEVITA IACET DIONYSIVS ARTIS HONESTAE
FVNCTVS ET OFFICIO QVOD MEDICINA DEDIT
HVIVS DIGNA MANVS FAMAE DVLCEDINE CAPTA
DESPEXIT PRETII SORDIDA LVCRA SEQVI
SAEPE SALVTIS OPVS PIETATIS MVNERE IVVIT
DVM REFOVET TENVES DEXTERA LARGA VIROS.
OBTVLIT AEGROTIS VENIENTIBVS OMNIA GRATIS
INPLEVIT FACTIS QVOD DOCVIT MONITIS.

LAVDIBVS AETHERIIS FAMVLATVS MENTE FIDELI
DESTITIT ILLICITIS ACTIBVS ESSE REVS.
AMISSIS OPIBVS ROBVR NON PERDIDIT VLLVM
QVO PATIENS PRAEDAE TEMPORE DIVES ERAT
ARS VENERANDA FIDEM FIDEI DECVS EXTVLIT ARTEM
HAEC STVDII TITVLOS ALTERA MENTIS HABET
CIVIBVS AC SOCIIS QVALIS FVIT INDE PROBATVR
QVEM POTVIT VICTOR HOSTIS AMARE SVVS
POSTQVAM ROMANA CAPTVS DISCESSIT AB VRBE
MOX SIBI IAM DOMINOS SVBDIDIT ARTE GETAS
HOS SERVIS MANIBVS VITAM COMMITTERE FECIT
QVORVM MORTIFEROS PERTVLIT ANTE METVS.

Et *pag. MCLXXVI.* 12.

HAEC QVAECVMQVE LEGIS DEVOTO PECTORE MATER
DA LACRIMAS ET ME SIC PEPERISSE DOLE
HIC IACET EXTINCTVS CRVDELI FVNERE NATVS
VLTIMA VIVENDI QVO MIHI CAVSA FVIT
MAXIMA PRAESTABAT MISERAE SOLACIA MATRI
CONSILIO FRATRES ET PIETATE COLENS
PLVRIMA RESTITVIT CVRANDO CORPORA VITAE
QVEM MIHI TAM SVBITO MORS PROPERATA TVLIT.

Apud *Muratorium pag. MDCCCXXV.* 1.

ALISGINI MEDICO
QVI VIXIT ANNIS · XX
V · MINSIS SI · DIEBVS

Mr

Et *pag. MDCCCLVIII.* 3.

ΕΝΘΑΔΕ ΚΕΙΤΕ ΔΟΜΕ
CΤΙΚΟC Ο ΕΓΜΑΘΗC
ΧΡΙSΤΙΑΝΟC ΚΑΙ ΙΗΤΡΟC
ΕΖΗCΕΝ ΕΤΗ ΘΓ
ΑΝΕΠΑΥCΑΤΟ ΤΗ..........
ΚΑΛΑΝΔ ΦΕΒΡC

Et *pag. MDCCCCLXXI.* 10.

LOCVS SABINIANETIS
HIC REQVIESCIT SILBANVS
............VRSA IN PACE
PRIMA · Q · F.............
DEP · EST IPSA.......
ARCHIATER.......
KAL. SEPTEMB.....
LOCVS FELICITATES

Celeber *Thom. Mar. Mamachius Tom. III. Origin. & Antiquit. Christianor. Lib. III. Cap. IV. §. V. pag.* 316. ita scribit: *Exstant praeterea Inscriptiones quaedam sepulcrales in Coemeteriis veterum Christianorum repertae, ex quibus constat, Medicam vel artem, vel facultatem, probatam maioribus nostris fuisse. In Coemeterio Gordiani inventa haec est, quam refert Boldettus pag.* 416.

LIMENIO MEDICO FRATRI CA
RISSIMO Q · VIXIT ANNOS XXXIII
MNES . III · DIE

Bol.

Boldettus Lib. II. Cap. XIX. pag. 387.

XP ω · HIC RE
Q · ESCIT · ME
DICVS MR X
CVM PLVRIB·
I · P · C · Q · E · S ·
T · B · A · M ·

Quod Epithaphium sic equidem interpretarer: Hic requiescit Medicus Martyr Christi cum pluribus in pace quiescentibus aliis Martyribus. Hactenus *Mamachius* eruditissimus, qui merito dubitat an Martyr ille, praenomen, aut nomen *Medici* sortitus sit, an contra ei se facultati dediderit. Ipse puto hic *Medicus* nomen esse proprium Martyris illius, quod quidem nomen usurpatum fuit etiam sequioribus saeculis, & praecipue in Mucillo Tusciae regione, ut antiquae Chartae testantur, unde *Medicorum* Florentinorum gens cognomen adscivit.

XL. MVSICI. Consule superius pag. 494. 515. ubi *Origenem* & *Augustinum* Musicos peritissimos noveris. Huius de Musica libros exoptans *Licentius*, ita in suo carmine ad *Augustinum* scribit:

Praesentem ipsa mihi te, reddent, si mihi morem
Gesseris, & libros, quibus in se lenta recumbit
Musica, tradideris, nam ferveo totus in illos.

Quare ad *Licentium* ita scripsit *Paullinus* Nolanus *Epist.* VIII. *Sed in mentem venit Epistola tua, qua te Musicis familiarem modis intellexi. A quo studio ego aevi quondam tui non abhorrui.* S. *Cyprianus* Libro *de Zelo & Livore* non multum Musicae favere videtur. Nam de Diabolo agens, *Aures*, inquit, *per canorem Musicum tentat, ut soni dulcioris auditu solvat, & molat Christianum vigorem.* Sed cantus, & musicae harmoniae, stu-

ſtudium, & muſicorum inſtrumentorum uſum apud veteres Chriſtianos fuiſſe, cum ea, quae ſupra in *Cantores pag.* 238. 508. *Choraulae pag.* 245. *Citharoedi pag.* 247. praemiſimus; tum ea, quae *Caeſ. Baronius* ad *Ann. LX.* n. XXIV. & XXXVI. *& ſequent.* & *Io. Bona De divina Pſalmodia Cap. XVII.* erudite diſſeruere, luculente demonſtrant.

§. XII.

XLI. NOTARII. Conſule ſuperius *pag.* 234. 326. 499. Notarii erant ii, quos Graeci ταχυγράφους & ὀξυγράφους adpellabant; excipiebant enim verba dictantis, & mira, immo incredibili, velocitate ſcribebant, quibusdam ſignis & notis, pro litteris uſi; quarum Notarum ſpecimen exhibet *Ian. Gruterus* in calce ſui *Theſauri Inſcriptionum*, eas proferens, quae ſub *Tullii Tironis* nomine circumferuntur. *Caeſar Baronius* in *Prolegomenis Martyrologii Romani Cap. I.* ita ſcribit: „ Nihil antiquius apud S. R. Eccl. Praeſules fuiſſe videtur, quam ut „ Chriſtianorum acta fortia, ipſae Sanctorum Martyrum res „ praeclariſſime geſtae, perpetuae memoriae monumentis conſignarentur. Cui rei egregiam navatam operam primum fuiſſe a S. Clemente Romano Pontifice, teſtatum habetur in „ libro de Pontificibus Romanis, qui a quibusdam recentioribus „ citari conſuevit nomine Damaſi, ubi haec in Clemente leguntur: Hic fecit ſeptem regiones dividi Notariis fidelibus „ Eccleſiae, qui geſta Martyrum ſolicite & curioſe, unusquiſque per regionem ſuam, perquirerent. Haec ibi. Licet vero „ teſtimonio antiquorum Scriptorum Taciti, Plinii, Sex. Rufi, „ Publii Victoris, & aliorum, exploratiſſimum ſit, Romanam „ Vrbem, illis temporibus in regiones quatuordecim fuiſſe diviſam: tamen olim a Romanis Pontificibus in ſeptem tantum regiones fuiſſe partitam, ſecundum numerum ſeptem „ Diaconorum, qui Regionarii dicebantur, docent veteres Romanae Eccleſiae monumenta. Perſeveraſſe diutius, ut in Romana Eccleſia non niſi ſeptem Diaconi ordinarentur, auctor eſt „ Sozomenus Hiſt. Lib. 7. c. 19. His ergo ſeptem quum diviſae di-

„ cantur a Fabiano Papa regiones Vrbis; quatuordecim illas „ in septem fuisse conflatas, fatendum necessario videtur. Porro sicut septem erant Diaconi, sic & totidem Subdiaconi: „ his par numerus Notariorum, qui iisdem Subdiaconis & Diaconis subiecti erant. Vnde in eodem Lib. De Rom. Pont. „ haec leguntur in Fabiano: Hic regiones divisit Diaconibus „ & fecit septem Subdiacones, qui septem Notariis imminerent, qui gesta Martyrum in integrum colligerent. Habetur „ de his recentius exemplum ex Paullino S. Ambrosii Notario, „ qui & vitam eius conscripsit, in qua ait, se fuisse sub cura „ Casti Diaconi, ad quem cuncta referret. Ex his perpende, „ quam diligens studium olim adhibitum fuerit, ut Acta Sanctorum Martyrum pure ac sincere conscriberentur, cum „ non modo Notarii in id opus gnaviter incumberent; sed & „ qui praeerant Notariis Subdiaconi, ac Diaconi; iidemque „ iure dicti, Oculi Episcopi, quorum esset munus cuncta „ ex ἔτε pervestigare, ac Pontifici nota facere; qui a Notariis scripta, qualia ea demum essent, probaret, atque inter „ Ecclesiastica monumenta reconderet. Id est enim, quod de „ Antero Papa scriptum habes in hunc modum: Hic gesta „ Martyrum diligenter a Notariis exquisivit, & in Ecclesia „ recondidit. Haec ille. Ad haec, non tantum Acta Martyrum scribere, sed & cetera quae ad Ecclesiam pertinerent, „ eorum muneris fuisse, expressum est in eodem Lib. De Rom. „ Pont. in Iulio. „ Hic vero idem in *Annalibus ad Ann. CCXXXVIII. num. III.* ita scriptum reliquit: *Ceterum ipsas notas olim a Tirone Ciceronis Liberto primum fuisse excogitatas, Eusebius in Chronico Olympiade CXCIII. anno IV. tradit, quibus non verba tantum, sed etiam sententiae integrae, continerentur. Sed id Dio Lib. LV. tribuit Mecenati, qui per Aquilam libertum eas alios docuerit. At de horum mira in scribendo velocitate, est Martialis Lib. XIV. Distichon:*

Currant verba, licet, manus est velocior illis;
Nondum lingua suum, dextra peregit opus.

Eſt & elegans Auſonii Epigramma ad Notarium ſuum velociter excipientem, in quo & hi verſus:

Quam praepetis dextrae fuga!
Tu me loquentem praevenis.
Quis, quaeſo, quis me prodidit?
Quis iſta, iam dixit tibi,
Quae cogitabam dicere?
Quae furta corde in intimo
Exercet ales dextera?
Quis ordo rerum tam novus,
Veniat in aures ut tuas
Quod lingua nondum abſolverit? &c.

Quae quidem haud otioſe hic voluimus recitaſſe, &c. Huc transferenda quoque ſunt, quae *Ioſeph. Binghamus Lib. III. Originum Eccleſiaſticarum Cap. XIII. §. V.* de Notariis commentatur. Nam quum de Notariis a *Fabiano* inſtitutis loquutus eſſet „ Sequentibus, *inquit*, temporibus hi Notarii ad ſcribenda Conciliorum acta, & excipiendas orationes & diſputationes, & quaecumque in Synodis gererentur, adhibebantur. „ Ita Euſebius diſputationem Malchionis cum Paullo Samoſatenſi in Concilio Antiocheno a Notariis, cuncta ex eorum „ ore excipientibus, in commentarios relatam eſſe, adnotat. „ Et Socrates de diſputatione inter Baſilium Ancyranum, & „ Photinum, in Concilio Sirmienſi, idem memoriae prodidit. „ Legimus etiam de quodam genere Notariorum in Conciliis, „ quorum id erat officii, tabulas publicas, citata teſtimonia, „ petitorias diſceptationes, libellos ſupplices, & quaecumque „ id genus alia in Concilio obferri legive ſolebant, recitare. „ Et hi vulgo erant Diaconi, & interdum Presbyter eorum „ caput erat, hinc Primicerius Notariorum adpellatus; uti in „ actis Conciliorum generalium Epheſini, & Chalcedonenſis, „ frequens Aëtii Diaconi & Notarii, & Petri Presbyteri Alexandrini, Primicerii Notariorum, fit mentio. Erant enim Notarii, qui ad ſermones ex celebrium & facundorum Concionatorum ore excipiendos adhibebantur. Quo pacto mul-

„ tas Chrysostomi, & nonnullas etiam Attici successoris eius, „ conciones conservatas esse, auctor est Socrates. Episcopi „ etiam privatos suos habebant ὑπογραφεῖς, quos nonnulli No„ tarios adpellant: Valesius autem in censum Lectorum eos re„ fert. Quicumque autem fuerint, Athanasius in hoc munere „ tamquam ὑπογραφεὺς Alexandro, & Proclus Attico, operam „ suam, uti narrat Socrates, praestiterunt. „ Notarii quidam indigitantur in antiquis Inscriptionibus apud *Muratorium pag. MDCCCXLVII.* 10.

M · CALEPODIVS NOTAR
ANNIS XLVIII DEPOSIT

Et *pag. MDCCCCXVII.*

PAVLVS NOT·
ET DIVGENIA
CVM SVIS
VOTVM SOL
VENT

Et *pag. MDCCCCXXVIII* 11.

PROBINAE
ET FILIO SVO
THOMATE NOTARIO
VOTVM SOLVIT

Pagina autem *CCCCXII.* 1.

HIC REQVIESCIT ANDREAS NOTAR QVI VIXIT
ANN· XXV · DEPOSITVS IN PACE SVB DIE
VENANTIO VC CONS

Arin-

Aringhius Tomo I. Romae Subterran. Lib. II. Cap. X. & *Reinesius pag. 912. num. LXII.* prolixam Inscriptionem proferunt, quae est *Eugenii Notarii* Epitaphium; sed quia longa nimis est, & saeculi VI. illam lubenter omitto, contentus indicasse loca, ubi legi & considerari potest. Consule superius ACTVARII *pag.* 185. & ANTIQVARII. & LIBRARII, de quorum saltem genere Notarii sunt. *Gaius*, *Socrates* Corinthius, & *Pionius*, magis Librarii, quam Notarii, fuisse videntur. In fine enim Epistolae Ecclesiae Smyrnensis de S. *Polycarpi* martyrio ita scriptum est: Ταῦτα μετεγράψατο μὲν Γάϊος ἐκ τῶν Εἰρηναίου μαθητοῦ τοῦ Πολυκάρπου, ὃς καὶ συνεπολιτεύσατο τῷ Εἰρηναίῳ. Ἐγὼ δὲ Σωκράτης ἐν Κορίνθῳ ἐκ τῶν Γαΐου ἀντιγράφων ἔγραψα. Ἡ χάρις μετὰ πάντων. Ἐγὼ δὲ πάλιν Πιόνιος ἐκ τοῦ προγεγραμμένου ἔγραψα, ἀναζητήσας αὐτά, κατὰ ἀποκάλυψιν φανερώσαντός μοι Πολυκάρπου, καθὼς δηλώσω ἐν τῷ καθεξῆς, συναγαγὼν αὐτὰ ἤδη σχεδὸν ἐκ τοῦ χρόνου κεκμηκότα, ἵνα κἀμὲ συναγάγῃ ὁ Κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς μετὰ τῶν ἐκλεκτῶν αὐτοῦ. *Atque haec ex Codice Irenaei, discipuli Polycarpi, descripsit Gaius, qui etiam cum Irenaeo versatus est. Ego vero Socrates Corinthi ex Gaii exemplari scripsi. Gratia sit cum omnibus. Et post haec ego Pionius ex suprascripto exaravi, quum exemplaria perquisivissem, & illa mihi per revelationem manifestasset Polycarpus, ut in sequentibus declarabo: eaque iam propemodum ex temporis diuturnitate fatiscentia collegissem; ut me quoque cum electis suis colligat Dominus Iesus Christus, &c.* Quae codicem Graecum Bibliorum Alexandrinum descripsit, *Thecla* nobilis femina Aegyptia, circa Concilii Nicaeni tempora, si *Patricio Iunio* credimus, floruit; sed Libraria magis seu Antiquaria dicenda est quam ὀξυγράφος. At Notarius vere ille fuit, de quo ita *Hieronymus* in *Catalogo*, ubi de *Tertulliano* agit, scribit: *Vidi ego quemdam Paullum Concordiae, quod oppidum Italiae est, senem, qui se Beati Cypriani, iam grandis aetatis Notarium, quum ipse admodum esset adolescens, Romae vidisse diceret, referreque sibi solitum, nunquam Cyprianum absque Tertulliani lectione unum diem praeteriisse, &c.*

§. XIII.

XLII. ORATORES fere omnes Scriptores antiqui Ecclesiastici fuerunt; & ipse *Paullus* Apostolus, *Augustino* iudice, non sine quodam naturali orationis fluxu, vi, & ordine loquutus est: immo ob eloquentiam *Mercurius* habitus est a Lystrensibus; quod quomodo intelligendum sit, alibi opportunius edisseremus. Itaque, quaecumque de Rhetoricae Doctoribus superius in DOCTORES attulimus; quaecumque inferius in RHETORES disputaturi sumus; huc faciunt. Sed & Advocati, & Causidici, universi Oratores erant, pro priscae aetatis more & consuetudine; quare huc quoque transferenda, quae in ADVOCATI & CAVSIDICI diximus. De Oratoribus Christianam legem amplexis testimonium perhibet *Arnobius* superius *pag.* 521. Oratores primis Ecclesiae saeculis illi praecipue fuerunt, qui pro Christianis Apologias scripsere, ut *Iustinus* Martyr, *Quadratus* Episcopus Atheniensis, *Aristides* Philosophus, *Apollonius* Senator, *Melito* Sardensis Episcopus, *Theophilus* Antiochenus, *Apollinarius* Hierapolitanus, *Tatianus*, *Athenagoras*, *Tertullianus*, *Clemens* Alexandrinus, *Origenes Adamantius*, *Cyprianus*, *Minucius Felix*, *Arnobius*, *Lactantius Firmianus*, *Constantinus* Augustus, ut copiam Oratorum, quae deinde sequuta est, immensam silentio praeteream, quales *Basilius*, *Gregorius* Nazianzenus, *Ioannes Chrysostomus*, *Hieronymus*, *Augustinus*, *&c.* De stilo & eloquentia quorumdam Scriptorum Latinorum, qui eum praecesserunt, ita *Lactantius Lib. V. Divinar. Instit.* scribit: *Ex iis, qui mihi noti sunt, Minutius Felix non ignobilis inter Causidicos loci fuit. Huius liber, cui Octavio titulus est, declarat, quam idoneus veritatis adsertor esse potuisset, si se totum ad id studium contulisset. Septimius quoque Tertullianus fuit omni genere literarum peritus: sed in eloquendo parum facilis, & minus comtus, & multum obscurus fuit. Ergo ne hic quidem satis celebritatis invenit. Vnus igitur praecipuus & clarus exstitit Cyprianus, quoniam & magnam sibi gloriam ex artis oratoriae professione quaesierat, & admodum multa conscripsit in suo genere miranda. Erat enim in-*

ge-

genio facili, copioso, suavi, & (quae sermonis maxima est virtus) aperto, ut discernere nequeas, utrumne ornatior in eloquendo, an felicior in explicando, an potentior in persuadendo, fuerit. D. quoque *Hieronymus* in *Epistola ad Paullinum* iudicium suum ita de quibusdam profert: *Si haberes hoc fundamentum, immo si quasi extrema manus operi tuo induceretur, nihil pulcrius, nihil doctius, nihil dulcius, nihilque Latinius, tuis haberemus voluminibus. Tertullianus creber est in sententiis, sed difficilis in loquendo. Beatus Cyprianus instar fontis purissimi, dulcis incedit, & placidus; & quum totus sit in exercitatione virtutum, occupatus persequutionum angustiis, de Scripturis divinis nequaquam disseruit. Inclito Victorinus martyrio coronatus, quod intelligit, eloqui non potest. Lactantius quasi quidam fluvius eloquentiae Tullianae, utinam tam nostra confirmare potuisset, quam facile aliena destruxit. Arnobius inaequalis & nimius est, & absque operis sui partitione confusus. Sanctus Hilarius Gallicano cothurno attollitur, &, quum Graeciae floribus adornetur, longis interdum periodis involvitur, & a lectione simpliciorum fratrum procul est. Taceo de ceteris, vel defunctis, vel etiam adhuc viventibus, super quibus in utramque partem post alii iudicabunt. Ad te ipsum veniam symmysten, sodalem meum, & amicum: amicum inquam meum antequam notum; & precabor ne adsentationem in necessitudine subspiceris: quin potius vel errare me existimato, vel amore labi, quam amicum adulatione decipere. Magnum habes ingenium, & infinitam sermonis supellectilem: & facile loqueris & pure; facilitasque ipsa, & puritas, mixta prudentiae est, &c.* Hactenus *Hieronymus*. Illos autem omnes inter Oratores recensui, non quod causas defenderent, & pro Rostris dicerent, & Oratores profiterentur; sed quia tanta sermonis copia, & eloquentiae volubilitate praediti essent, ut, si voluissent, Oratores disertissimi, seu dicendo, seu causas patrocinando, fuissent. Inscriptio apud *Gruterum pag. MCLXXVI.* 10.

HIC IACET HERACLIVS NIMIVM DILECTVS AMICVS

ELOQVIO PRIMVS NVLLI PIETATE SECVNDVS

§. XIV.

§. XIV.

XLIII. **P**HARMACOPOEI. Multa ad Pharmaciam pertinentia scripta reliquit *Iulius Africanus*, de quo vide superius *pag.* 534.

XLIV. PHILOLOGI. Consule superius ERVDITI. De varia *Valentini* Haeretici eruditione Sanctus *Epiphanius Lib. I. Advers. Haeres. Tom. II. Haeres. XXXI.* testimonium perhibet, dum ait, eum *πεπαιδεῦσθαι τὴν τῶν ἑλλήνων παιδείαν.* Sed heic mihi subficiet, quae *Hieronymus* de multiplici doctrina, & varia literatura, Scriptorum Ecclesiasticorum, in *Epistola ad Magnum* dissertat, tempestive proferre, quae ita habent: „ Quod autem quaeris in calce epistolae, cur in opu-
„ sculis nostris, saecularium litterarum interdum ponamus e-
„ xempla, & candorem Ecclesiae, Ethnicorum sordibus pollua-
„ mus, responsum breviter habeto. Numquam hoc quaereres,
„ nisi te totum Tullius possideret, si Scripturas sanctas legeres,
„ si Interpretes earum, omisso Volcatio, evolveres. Quis enim
„ nesciat, & in Moyse, & in Prophetarum voluminibus, quae-
„ dam adsumta de Gentilium libris, & Salomonem Philosophis
„ Tyri & nonnulla proposuisse, & aliqua respondisse: unde in
„ exordio Proverbiorum commonet, ut intelligamus sermones
„ prudentiae, versutiasque verborum, parabolas, & obscurum
„ sermonem, dicta sapientium, & aenigmata, quae proprie Dia-
„ lecticorum, & Philosophorum sunt? Sed & Paullus Aposto-
„ lus Epimenidis Poetae abusus versiculo est, scribens ad Ti-
„ tum: *Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργοί*, id
„ est, Cretenses semper mendaces, malae bestiae, ventres pi-
„ gri: cuius heroici hemistichium postea Callimachus usurpa-
„ vit. Nec mirum, si apud Latinos metrum non servet ad
„ verbum expressa translatio, quum Homerus, eadem lingua
„ versus in prosam, vix cohaereat. In alia quoque epistola
„ Menandri ponit senarium. *φθείρουσιν ἤθη χρηστὰ ὁμιλίαι κακαί.*
„ id est, Corrumpunt mores bonos colloquia mala. Et apud
„ Athenienses in Martis Curia disputans, Aratum testem vo-
„ cat: Ipsius enim & genus sumus: quod Graece dicitur: τοῦ

„ γάρ

„ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν. Et est clausula versus heroici. Ac ne
„ parum hoc esset, Ductor Christiani exercitus, & Orator invi-
„ ctus pro Christo causam agens, etiam Inscriptionem fortui-
„ tam arte torquet in argumentum fidei. Didicerat enim a
„ vero David, extorquere de manibus hostium gladium, &
„ Goliae superbissimi caput proprio mucrone truncare. Lege-
„ rat in Deuteronomio Domini voce praeceptum, mulieris ca-
„ ptivae radendum caput, supercilia, omnes pilos, & ungues,
„ corporis amputandos, & sic eam habendam in coniugio.
„ Quid ergo mirum, si & ego sapientiam saecularem propter
„ eloquii venustatem, & membrorum pulcritudinem, de an-
„ cilla atque captiva Israelitidem facere cupio? Et si quic-
„ quid in ea, mortuum est idololatriae, voluptatis, erroris,
„ libidinum, vel praecido, vel rado; & mixtos purissimo
„ corpori vernaculos ex ea genero Domino Sabaoth? Labor
„ meus in familiam Christi proficit: stuprum in alienam au-
„ get numerum conservorum. Osee accepit uxorem fornica-
„ riam Gomer filiam Debelaim: & nascitur ex meretrice filius
„ Iezrael, qui vocatur semen Dei. Esaias novacula acuta bar-
„ bam & crura radit peccantium. Et Ezechiel in typo for-
„ nicationis Ierusalem tondet caesariem suam: ut, quicquid
„ in ea absque sensu & vita est, auferatur. Cyprianus, vir
„ eloquentia pollens, & martyrio, Firmiano narrante, morde-
„ tur, cur adversus Demetrianum scribens testimoniis usus sit
„ Prophetarum, & Apostolorum, quae ille ficta & commen-
„ titia esse dicebat; & non potius Philosophorum & Poeta-
„ rum, quorum auctoritati ut Ethnicus contraire non poterat.
„ Scripserunt contra nos Celsus, atque Porphyrius: priori O-
„ rigenes, alteri Methodius, Eusebius, & Apollinarius fortissi-
„ me responderunt, quorum Origenes octo scripsit libros:
„ Methodius usque ad decem millia procedit versuum: Euse-
„ bius, & Apollinarius viginti quinque & triginta volumi-
„ na condiderunt. Lege eos, & invenies, nos, compara-
„ tione eorum, imperitissimos; & post tanti temporis otium,
„ vix quasi per somnium, quod pueri didicimus, recorda-
„ ri. Iulianus Augustus septem libros, in expeditione Par-
„ thica, adversum Christum evomuit, & iuxta fabulas Poe-

„ ta-

„ tarum, suo se ense laceravit. Si contra hunc scribere ten-
„ tavero, puto interdices mihi, ne rabidum canem, Philoso-
„ phorum & Stoicorum doctrinis, id est, Herculis clava, re-
„ percutiam: quamquam Nazarenum nostrum, &, ut ipse so-
„ lebat dicere, Galilaeum, statim in praelio senserit, & mer-
„ cedem linguae putidissimae conto in ilia perfossus acceperit.
„ Iosephus antiquitatem adprobans Iudaici populi, duos libros
„ scripsit contra Appionem Alexandrinum Grammaticum, &
„ tanta saecularium litterarum profert testimonia, ut mihi mira-
„ culum subeat, quo modo vir Ebraeus, & ab infantia sacris
„ litteris eruditus, cunctam Graecorum bibliothecam evolverit.
„ Quid loquar de Philone, quem vel alterum, vel secundum
„ Iudaeum Platonem Critici pronunciant? Curram per singu-
„ los. Quadratus, Apostolorum discipulus, & Atheniensis Pon-
„ tifex Ecclesiae, nonne Hadriano Principi, Eleusinae sacra in-
„ visenti, librum pro nostra religione tradidit? Et tantae ad-
„ mirationi omnibus fuit, ut persequutionem gravissimam, illius
„ excellens sedaret ingenium? Aristides Philosophus, vir elo-
„ quentissimus, eidem Principi Apologeticum pro Christianis
„ obtulit, contextum Philosophorum sententiis: quem imita-
„ tus postea Iustinus, & ipse Philosophus, Antonino Pio, &
„ filiis eius, Senatuique, librum contra Gentiles tradidit, defen-
„ dens ignominiam crucis, & resurrectionem Christi tota prae-
„ dicans libertate. Quid loquar de Melitone, Sardensi Episco-
„ po, quid de Apollinario, Hierapolitanae Ecclesiae Sacerdo-
„ te, Dionysioque Corinthiorum Episcopo, & Tatiano, &
„ Bardesane, & Irenaeo, Photini Martyris successore: qui
„ Origenis haereseon singularum venena, ex quibus Philosopho-
„ rum fontibus emanarint, multis voluminibus explicarunt?
„ Pantaenus, Stoicae sectae Philosophus, ob praecipuae erudi-
„ tionis gloriam, a Demetrio, Alexandriae Episcopo, missus
„ est in Indiam, ut Christum apud Brachmanas, & illius gen-
„ tis Philosophos praedicaret. Clemens Alexandrinae Ecclesiae
„ Presbyter, vir meo iudicio omnium eruditissimus, octo scri-
„ psit Stromatum libros, & totidem ὑποτυπώσεων, & alium
„ contra Gentes, Paedagogi quoque tria volumina. Quid in
„ illis indoctum, immo quid non e media Philosophia est?

„ Hunc

„ Hunc imitatus Origenes, decem scripsit Stromateas, Christia-
„ norum & Philosophorum inter se sententias comparans, &
„ omnia nostrae Religionis dogmata de Platone, & Aristotele,
„ Numenio, Cornutoque, confirmans. Scripsit & Melciades
„ contra Gentes volumen egregium. Hippolytus quoque, &
„ Apollonius Romanae urbis Senator, propria opuscula condi-
„ derunt. Extant & Iulii Africani libri, qui temporum scri-
„ psit Historias: & Theodori, qui postea Gregorius adpella-
„ tus est, viri Apostolicorum signorum atque virtutum, &
„ Dionysii Alexandrini Episcopi: Anatolii quoque Laodice-
„ nae Ecclesiae Sacerdotis, nec non Presbyterorum Pamphili,
„ Pierii, Luciani, Malchionis, Eusebii Caesariensis Episcopi,
„ & Eustathii Antiocheni, & Athanasii Alexandrini; Eusebii quo-
„ que Emisseni, & Thryphilli Cyprii, & Asterii Scythopolitae,
„ & Serapionis Confessoris: Titi quoque Bostrensis Episcopi:
„ Cappadocumque Basilii, Gregorii, & Amphilochii: qui om-
„ nes in tantum Philosophorum doctrinis atque sententiis suos
„ refarciunt libros, ut nescias quid in illis primum admirari
„ debeas, eruditionem saeculi, an scientiam Scripturarum. Ve-
„ niam ad Latinos: quid Tertulliano eruditius, quid acutius?
„ Apologeticus eius & contra Gentes libri cunctam saeculi con-
„ tinent disciplinam. Minutius Felix Causidicus Romani Fori,
„ in libro, cui titulus Octavius est, & in altero contra Ma-
„ thematicos, si tamen inscriptio non mentitur auctorem, quid
„ gentilium scripturarum dimisit intactum? Septem libros ad-
„ versus gentes Arnobius edidit, totidemque discipulus eius
„ Lactantius, qui de ira quoque & opificio Dei duo volumi-
„ na condidit: quos si legere volueris, dialogorum Ciceronis
„ in eis *exemplar* reperies. Victorino Martyri in libris suis li-
„ cet desit eruditio, tamen non deest eruditionis voluntas.
„ Cyprianus, quod idola dii non sint, qua brevitate, qua Hi-
„ storiarum omnium scientia, quorum verborum & sensuum
„ splendore, perstrinxit? Hilarius meorum Confessor temporum
„ & Episcopus, duodecim Quinctiliani libros & stilo imitatus
„ est, & numero: brevique libello, quem scripsit contra Dio-
„ scorum Medicum, quid in litteris possit, ostendit. Iuvencus
„ Presbyter, sub Constantino Historiam Domini Salvatoris ver-

„ sibus explicavit: nec pertimuit Evangelii maiestatem sub me-
„ tri leges mittere. De ceteris vel mortuis vel viventibus ta-
„ ceo: quorum in scriptis suis & vires manifestae sunt, & vo-
„ luntas. Nec statim prava opinione fallaris, contra Gentes hoc
„ esse licitum, in aliis disputationibus dissimulandum: quia om-
„ nes pene omnium libri, exceptis iis, qui cum Epicuro lit-
„ teras non didicerunt, eruditionis doctrinaeque plenissimi sunt.
„ Quamquam ego illud magis reor, quod dictanti venit in
„ mentem, non te ignorare, quod semper a doctis viris usur-
„ patum est, sed per te mihi proponi ab alio quaestionem,
„ qui forte propter amorem Historiarum Salustii, Calphurnius
„ cognomento Lanarius sit. Cui, quaeso ut suadeas, ne ve-
„ scentium dentibus edentulus invideat, & oculos caprearum
„ talpa contemnat. Dives, ut cernis, ad disputandum mate-
„ ria: sed iam epistolaris angustia finienda est.

XLV. PHILOSOPHI. Consule superius *pag.* 116. 489. 490. 493. 494. 505. 515. 518. Philosophi fuerunt *Aristides* Atheniensis, *Iustinus* Martyr, *Hammonius Saccas*, Stoicus *Pantaenus*, *Origenes* Alexandrinus, *Heraclas*, *Anatolius*, aliique, quorum mentionem fecimus indicatis locis. Sanctus *Apollonius* Philosophus celebris est apud *Eusebium Lib. V. Hist. Ecclesiast. Cap. XXI.* Sanctus *Epiphanius Lib. II. Advers. Haeres. Tomo I. Haeres. LVI.* tradit, *Bardesanem* Syrum adversus *Abidam* Astrologum contra fatum pluribus disputavisse. *Theodorus*, qui postea *Gregorius* adpellatus est, Philosophiae penetralia, *Origene* duce, subivit, ut scribit *Hieronymus* in *Catalogo*. *Athenogenes* Philosophus apud *Baronium Anno CXCVI. n. VII.* occurrit ex *Basilio*, de quo in POETAE inferius agemus. *Phileas* Martyr, Ecclesiae Thmuitarum Episcopus, Philosophus fuit praestantissimus, ut laudatus *Eusebius Lib. VIII.* memoriae prodidit. Sed tandem agmen prodeat Philosophorum ex *Origenis* schola, qui omnes martyrio clarissimi exstitere, & Philosophiam atque eruditionem sapientiamque insigni Christi confessione perfecerunt. Hos nobis recenset *Eusebius Lib. VI. Histor. Eccles.* suntque, *Plutarchus*, *Heraclas* frater, illo Chaeronensi melior, atque praestantior; *Serenus*, qui nomine ipso Philosophiam εὐθυμίας parentem praeferebat; *Heraclides*, ve-

re

re Herculeus, & *Heron.* Sed & sequior sexus in Martyre *Heraide* ob Philosophiam illustratus est; & *Basilides*, qui celeberrimam illam *Potamiaenam* ad supplicium abduxit, ac deinde sanguinem pro Christo fundere meruit. Nam, ut *Eusebius* scribit, Philosophicae vitae exempla omnibus spectanda *Origenes* praebens plures ex discipulis ad imitationem sui merito provocavit; ita ut multi ex Gentilibus, tum in omni genere doctrinae, tum in Philosophia praestantissimi, eius se magisterio submitterent: qui quum fidem Christi sincere atque intimo mentis adfectu ab ipso accepissent, persequutionis illius tempore inclaruerunt: usque adeo, ut quidam ex ipsis comprehensi, martyrio perfuncti sint. Hinc non mirum, si apud Christianos Philosophorum Ethnicorum libri adservarentur, quod *Ioan. Chrysostomus Oratione de Sancto Babyla* scriptum reliquit. *Lucianus* de morte *Peregrini* Philosophi Cynici, qui Christianus primum factus est, deinde ad Ethnicam superstitionem iterum descivit, libellum scripsit, nosque de eo superius *pag.* 107. verba fecimus. *Porphyrius* primum Christianis sacris adhaesisse a quibusdam perhibetur apud *Tillemontium Tom. XX. pag.* 68. *Origenes* Platonicus cum *Origene Adamantio* confundendus non est, ut *Daniel Huetius* in *Origenianis* demonstravit, cui ceteri deinde adstipulati sunt. Sed antiquos Ecclesiae Patres fere omnes fuisse Platonicos, nostrorum temporum Socinianorum criminatio est, a qua eos *Baltbus* Iesuita eruditis editis commentariis vindicare conatur. Portentum vero monstrumque eorumdem est, *Ioannem* ipsum Evangelistam Platonicorum dogmatum rudem omnino & inscium non fuisse, eaque saltem ex *Philonis* lectione hausisse; quam calumniam late confutavi iis libris, quos *De recta Christianorum in eo, quod ad Divinam Trinitatem adtinet, sententia*, in vulgus prodidi; quique huic commentario occasionem dedere, ut superius *pag.* 1. & alibi, in antecessum ostendimus. Helpisticorum Philosophorum nomine antiquos Christianos a *Plutarcho* indicatos fuisse, contendit *Leuschenus* Hirschbergensis Professor, syngrammate anno MDCCL. publici iuris facto, confutatque *Iacobum Bruckerum*, qui Helpisticos Stoicae sectae adiudicavit; & improbat pariter *Iacobo-*

rum, qui eos Cynicos fuisse opinatus est. Philosophos Christianorum temporum, & Platonicos, Eclecticosque praecipue, ex Christianae sapientiae fontibus consulta nonnulla in suos libros derivavisse, existimant quidam. Eos saltem Christianorum litteras evolvisse, quicumque contra Christianam Religionem scripsere, *Celsus* Epicureus, & *Porphyrius*, evincunt; & consulendum est *Caput XV. Libri V.* illius operis, quod *De recta Christianorum in eo, quod ad Divinam Trinitatem attinet, sententia* dudum inscripsi. A *Numenio Platonem*, *Mosen* atticissantem, adpellatum fuisse ferunt. *Longinianus* Platonicus *Augustinum* consuluit, ut ex eius Epistola constat. De Philosophis Semi-Christianis eruditam Dissertationem adornavit eruditus *Heineccius*. Sed quam castigata & ad Evangelii normam exacta esset Philosophia memoratorum Christianorum, ostendit *Sidonius Libro IX. Epistol. IX. Fausto* Papae, seu Episcopo, ita scribens: *Igitur his animi literarumque dotibus praeditus, mulierem pulcram, sed illam Deuteronomio adstipulante habentem, domine Papa, tibi iugasti: quam tu adhuc iuvenis inter hostiles conspicatus catervas, atque illis in acie contrariae partis adamatam, ubi per obstantes repulsus praeliatores, desiderii brachio vincente rapuisti. Philosophiam scilicet, quae violenter e numero sacrilegarum artium exemta, raso capillo superstitiae religionis, ac supercilio scientiae saecularis, amputatisque pervetustarum vestium rugis, id est, tristis dialecticae flexibus falsa morum & illicita velantibus, mystico amplexu iam defaecata tecum membra connectit. Haec ab annis vestra iamdudum pedissequa primoribus; haec tuo lateri comes inseparabilis, sive in palaestris exercereris urbanis, sive in abstrusis maceraretis solitudinibus; haec Athenei consors, haec monasterii, tecum mundanas abdicat, tecum supernas praedicat disciplinas. Huic copulatum te matrimonio qui lacessierit, sentiet Ecclesiae Christi Platonis Academiam militare, teque nobilius philosophari. Primum ineffabilem Dei Patris adserere cum Sancti Spiritus aeternitate Sapientiam. Tum praeterea non caesariem pascere, neque pallio aut clava, velut sophisticis insignibus, gloriari; aut adfectare de vestium discretione superbiam, nitore pompam, squalore iactantiam, &c.* De Philosophia veterum Chri-

ſtianorum conſulendus omnino eſt eruditiſſimus *Iacobus Bruckerus Hiſtor. Philoſ. Tom. III. Period. II. Lib. I.* De Philoſophia vero Chriſtiana ſincera, quae rerum coeleſtium amor, & divinae ſapientiae ſtudium eſt, & cum profana Philoſophia nil prope commune habet, alibi opportunius agemus.

XLVI. PHYSICI. Vide ſupra *pag.* 494.

XLVII. PICTORES. Multa de his egimus ſuperius *pag.* 313. & 479. Nunc quaedam illis addenda. Nam pictas *Petri* & *Paulli* imagines memorat *Euſebius Lib. VII. Hiſtor. Eccleſiaſt. Cap. XIV. XVIII.* De ſacris picturis agit D. *Auguſtinus Lib. I. De conſenſu Evangeliſtarum Cap. X. Lib. XXII. contra Fauſtum Cap. LXXIII. Lib. V. contra Iulianum Pelagianum Cap. II. & Sermone II. de Sancto Stephano*. Picturae in Eccleſiis occurrunt apud D. *Paulinum Poemat. XXVII.* Picturas in vitreis Chriſtianorum vaſculis contemplari licet apud *Aringhium Lib. IV. Romae ſubterran. Cap. XXXVII. pag.* 265. *& Cap. XLVII. pag.* 403. 405. & *Mamachium Tom. III. Origin. & Antiquitat. Chriſtian. pag.* 86. 87.

XLVIII. POETAE. Conſule ſuperius *pag.* 500. 510. & in CANTORES, *pag.* 238. & 508. Nunc addere lubet Carmina quaedam circumferri cum *Tertulliano*, tum *Cypriano*, tributa, quae ſaltem prope illis contemporalia eſſe videantur. Chriſtianos veluti Poetas extemporales nobis exhibet idem *Tertullianus* in *Apologetico Cap. XXXIX.* cuius verba ſuperius *pag.* 207. retulimus. Vetuſtus Auctor, qui ſub *Commodo* Principe floruit, apud *Euſebium Lib. V. Hiſt. Eccleſ. Cap. XXVIII.* memoriae prodidit, Pſalmos & Cantica Fratrum iampridem a Fidelibus conſcripta fuiſſe, in quibus Chriſtum Verbum Dei concelebrabant, divinitatem ei tribuendo. Sanctus *Epiphanius Lib. I. Adverſ. Haereſ. Tom. II. Haereſ. XXVI.* de Gnoſticis tradit, adulterinum quoddam adſcititiumque Poema venditaſſe, quod *Evangelium Perfectionis* inſcipſerant, quum revera non Evangelium, ſed doloris ac luctus perfectio eſſet. *Athenogenes* Martyr Poeta fuit, & de eo ita *Io. Alb. Fabricius Tomo V. Bibliothecae Graecae pag.* 195. *Hymnum adſtantibus tam ad ignem feſtinans reliquiſſe traditur, in quo Spiritum Sanctum Deum celebravit, teſte Baſilio de Spiritu Sancto Cap. XXXIX. Ab hoc*

Athenogenis Hymno diserte eodem loco distinguit Basilius Hymnum antiquissimum vespertinum, cuius auctorem ait se ignorare, &c. Nil de saeculi quarti Poetis dixerim; illa enim aetate celeberrimi pluresque fuere, licet *Claudianum* non Christianum, sed Paganum, Poetam adgnoscam. Eorum nomina & opera notiora sunt, quam ut nunc commemorare opus sit. Ignotos potius indigitem: en ex Inscriptione apud *Gruterum pag. MCLXXVI.* 2.

SPES GENERIS CLARI MAGNORVM GLORIA PATRVM
SOLLERS INGENIO CARMINE DOCTILOQVVS
INLVSTRIS SAPIENS HVMILIS MODERATVS HONESTVS
COMMVNIS GRATVS PLVS BONITATE PIVS
ANTE ANNOS ANIMVMQVE GERENS AETATIS AVITAE
CLARIOR IN PATRIA NOBILITATE PROBVS
NIL TIBI MORS NOCVIT CVM HIC VIVIS LAVDE PERENNI
ET CHRISTI IN REGNO DVM SINE FINE MANES
HAEC TIBI QVAE CECINI NON SVNT PRAECONIA FALSA
PRO MERITIS FAMA EST TESTIS VBIQVE TVA

Et apud *Muratorium pag. CCCLXXIX.* 2.

ΤΟΝ · ΠΑΣΗΣ · ΑΡΕΤΗΣ · ΕΙΔΗΜΟΝΑ · ΦΩΤΑ · ΦΙΛΙΠΠΟΝ
ΠΡΕΣΒΥΝ · ΑΟΝΙΗΣ · ΕΝΠΕΡΑΜΟΝ · ΣΟΦΙΗΣ
ΑΥΣΟΝΙΩΝ · ΥΠΑΤΟΥ · ΠΑΤΕΡΑ · ΚΑΥΤΟΝ · ΑΝΤΙΓΟΝΟΙΟ
ΘΡΕΨΕ · ΜΑΚΗΔΟΝΙΗ · ΔΕΞΑΤΟ Δ' ΕΙΤΑΛΙΗ

Hoc ita Latine reddo:

Ornatum quavis hominem virtute Philippum,
Excultum Aonia nec minus arte senem,
Consulis Antigoni praeclarum laude parentem,
Eduxit Macedum, ast Italis ora tenet.

Quam-

Quamplurima Epigrammata numeris adstricta, cum Graeca, tum Latina, sepulchris, & aliis monumentis, a Christianis inscripta, quae apud huiusmodi vetustarum reliquiarum Collectores leguntur, Poeseos studium inter Christianos antiquitus floruisse, luculenter evincere possunt.

XLIX. POLYGLOTTI. Quacumque lingua Apostolos loquutos fuisse, & quomodo id exsequerentur, inferius Capite peculiari demonstrabimus. Linguarum charisma memorat Apostolus *Epist. I. Ad Corinth. Cap. XII.* Plurium linguarum periti fuerunt omnes, qui Interpretes egerunt, de quibus diximus voce INTERPRETES. Consule superius *pag.* 524. 525. 526. 527. Sunt qui putent B. *Irenaeum* sua opera Latine scripsisse, non Graece; quibus ipse adsentiri non possum. De se enim apud S. *Epiphanium* ita scribit *Lib. I. Advers. Haeres. Tom. II. Enimvero nihil eris, cur a nobis, qui inter Gallos degimus, atque in barbarae linguae meditatione plurimum occupati sumus, orationis exigas facultatem, quam nunquam didicimus; neque scribendi peritiam, cui nunquam studuimus; neque dictionis ornatum ac fucum, quem penitus ignoramus. Dorotheum* Ebraicas litteras calluisse vidimus superius *pag.* 261. *Origenes* earum peritissimus fuit. *Bardesanes* Syrus plurium linguarum cognitione praestabat, ut tradit S. *Epiphanius Lib. II. Tomo I.* nam ab eo dicitur λόγιός τις ὢν ἐν ταῖς δυσὶ γλώσσαις, Ἑλληνικῇ τε διαλέκτῳ καὶ τῇ τῶν Σύρων φωνῇ. qui pari scientia praeditum *Hieracem* nobis exhibet, ita *Lib. II. Tom. II.* scribens: *Hic in oppido Aegypti Leontone vixit, humanioribus literis in primis eruditus, ac Graecorum disciplinis, praesertimque medicina, & aliis artibus imbutus: ad quas Aegyptiorum quoque doctrinam adiunxerat: at nescio an & Astronomiae ac Magicarum artium scientiam attigerit. Fuit certe variis artibus instructus, atque explicandi peritus, ut ex illius commentariis adparet: sed Aegyptiorum linguam potissimum calluit, utpote genere Aegyptius. Nec vero Graecae linguae scientia mediocriter est perpolitus, vir acutissimo in omnibus ingenio. Hieronymus* in *Catalogo* Latinae linguae peritum fuisse adfirmat *Theodorum*, seu *Gregorium* Thaumaturgum. S. *Epiphanium* Ebraice eruditum fuisse, ex eius scriptis satis exstare videatur. *Tertullianus*, S. *Cyprianus*, *Ar-*

nobius, *Lactantius*, & omnes alii Latini eruditi illorum temporum, Grecarum litterarum peritissimi fuerunt, quare consulendum superius vocibus ERVDITI. GRAMMATICI. PHILOLOGI. ORATORES. POETAE. Sed quid de Getis ipsis dicam? Certe *Juniam* & *Fretelam*, quibus *Hieronymus Epistolam CXXXV.* scribit, Graecae & Latinae & forte etiam Ebraicae Linguae cognitione instructas fuisse, ex ea Epistola satis constat, nam ita eis loquitur: *Quis hoc crederet ut barbara Getarum lingua Ebraicam quaereret veritatem, &, dormitantibus, immo contendentibus Graecis, ipsa Germania Spiritus Sancti eloquia scrutaretur.* Quare multa Graeca & Ebraica in hac Epistola profert. Ceterum Africani fere omnes Latine sciebant; & Romani una cum victricibus armis linguam suam gentibus subiugatis intulerant. Romanis vero Graecus sermo communis omnibus erat; quare ad eos *Paullus* & *Ignatius* Graece scripsere; & ipse luculenter evici iis Commentariis, quos *De Recta Christianorum in eo, quod ad divinae Trinitatis Mysterium adtinet, sententia* inscripsi, *Lib. II. Cap. IV.*

L. PRACEPTORES. Consule superius *pag.* 219. & DOCTORES. MAGISTRI.

LI. PROPHETAE. Si Prophetiae nomine charisma illud intelligimus, quo Sanctus Spiritus viris iustis futura praesentire & praedicere dat, certe Prophetae ad meum argumentum non pertinent. Si vero Prophetarum nomine veniunt illi, qui coelestes litteras interpretabantur, & edisserebant, aliosque instituebant, hymnosque ac divinas laudes canebant, praecinebantque, verbaque in canoro coetu praeibant, ut apud Ebraeos moris erat huiusmodi adpellare, de his profecto nobis agendum esset. Sed iam haec partim praeoccupavimus in CANTORES. DOCTORES. INTERPRETES. Non enim nobis agere proposuimus de antiquis Ecclesiae Doctoribus, qui alios divinis consultis, arcanisque litteris, & coelitus lapsa Theologia, erudiebant, quare vocem THEOLOGI consulto omisimus. Nam passim, qui sapientia & doctrina praestabant, & alios imbuebant, Prophetae dicebantur; quare *Iesus*, *Matthaei XIII.* 47. *Marci VI.* 4. *Lucae IV.* 24. *Ioannis IV.* 44. *Non est Propheta sinehonoratus, nisi in patria sua.* Hoc sensu etiam

Paul-

Paullus Apostolus *Epimenidem* Cretensium Prophetam in *Epistola ad Titum* adpellavit. Non alio sensu *Lucianus* Christianorum Prophetam *Peregrinum* vocavisse videtur, ut inferius in SCRIBAE patebit.

§. XV.

RHETORES. Consule superius *pag.* 494. 219. 515. 517. 518. 521. & DOCTORES. ORATORES. SCHOLASTICI. Inscriptio antiqua memorat *Victorinum*, quo de iam egimus *pag.* 518. apud *Reinesium pag.* 1005. n. CCCLII.

AVIA VEL MARIA EST NOMEN MIHI TVLLIANE
VICTORINVS AVVS QVO TANTVM RHETORE ROMA
ENITVIT QVANTVM NOSTER SVB ORIGINE SANGVIS
BIS NONAM CAPTVRA ROSAM MIHI DECIDIT AETAS
HEV DOLOR ET VERNVM MACVLAVIT FVNVS APRILEM
NVLLVS INOFFENSO VITAE MIHI TRAMITE LAPSVS
MENS MORVM MATVRA BONO NIL DEBVIT ANNIS
CONIVGII SCIT CARA FIDES HAERESQVE MARITVS
RITE QVOD AETERNO MIGRARIM DEDITA CHRISTO
EMERITAMQVE FERAT MELIOR MIHI VITA CORONAM
HAEC OMNIA FACTA PIE CVRANTE MARITO
ARTORIO IVLIANO MEGETHIO V · C ·
D · IIII · ID · AP ·
HAEC PATER INSONTI FILIAE SVPREMA PEREGIT
D · TVLLIANA · IVN · KAL · SEPT ·

LIII. RVSTICAE REI SCRIPTORES. Talis dici po-

potuit etiam *Iulius Africanus*, de quo superius egimus in MAGI.

§. XVI.

LIV. SCHOLASTICI. Consule superius pag. 537. *Martyrologium Romanum VIII. Idus Februar. Caesareae in Cappadocia natale Sanctae Dorotheae Virginis & Martyris, quae sub Sapricio illius provinciae Praeside, primum equulei extensione vexata, deinde palmis diutissime caesa, ad ultimum capitali sententia punita est: in cuius confessione Theophilus quidam Scholasticus ad Christi fidem conversus, & mox equuleo acerrime tortus, novissime gladio caesus est.* Scholastici autem nuncupati sunt Rhetores & Declamatores litium fictarum, qui deinde ad veras tractandas transeunt; qualis fuit etiam D. *Hieronymus*, ut ipse testatur in *Epist. ad Galat. Cap. II.* Consulatur *Caesar Baronius* ad illum *Martyrologii* locum.

LV. SCRIBAE. Christianorum Scribas commemorat *Lucianus De morte Peregrini.* En eius verba: καὶ τὴν θαυμαστὴν σοφίαν τῶν χριστιανῶν ἐξέμαθε περὶ τὴν Παλαιστίνην τοῖς ἱερεῦσι, καὶ Γραμματεῦσιν αὐτῶν ξυγγενόμενος. καὶ τί γὰρ ἐν βραχεῖ παῖδας αὐτοὺς ἀπέφηνε προφήτης καὶ θιασάρχης καὶ ξυναγωγεὺς, καὶ πάντα μόνος αὐτὸς ὤν. καὶ τῶν βίβλων τὰς μὲν ἐξηγεῖτο, καὶ διεσάφει, πολλὰς δ' αὐτὸς καὶ ξυνέγραφε. *Et mirificam illam Christianorum sapientiam perdidicit, circa Palaestinam Sacerdotibus & Scribis illorum conversans. Ac sane brevi tempore pueros illos prae se ostendit, Propheta, ac sacrificiorum Princeps, & Synagogeus, breviter, omnia solus existens. Praeterea librorum nonnullos exposuit & declaravit, multos vero ipse etiam conscripsit.* Consule superius pag. 319.

LVI. SCRIPTORES. Sunt iidem ac *Librarii* & *Notarii*.

LVII. SCVLPTORES. Consule superius pag. 319. 479. 480. De his *Mamachius Tomo III. Origin. & Antiquit. Christian. pag.* 319. recte ac sapienter animadvertit, nisi antiqui Christiani etiam Sculptores fuissent, futurum fuisse ut tot non exstarent in Coemeteriis Christiana monumenta, atque tot Sarco-

cophagi quot videmus. *Boldettus* in *Observat. Coemeter. Lib. I. Cap. LX.* plures Inscriptiones producit, quibus insunt etiam instrumenta, quibus Sculptores utuntur.

LVIII. SIGNARII. Consule superius *pag.* 480.

LIX. SOPHISTAE. Christum Sophistae nomine traducit impius *Lucianus De Morte Peregrini* de Christianis dicens, quod *θεοὺς μὲν τοὺς Ἑλληνικοὺς ἀπαρνήσωνται, τὸν δὲ ἀνεσκολοπισμένον ἐκεῖνον Σοφιστὴν αὐτὸν προσκυνῶσι, καὶ κατὰ τοὺς ἐκείνου νόμους βιῶσι. Graecos Deos abnegent, & crucifixum illum Sophisten eorum adorent, & secundum illius leges vivant.* Nam Philosophum quemdam callidum & secretum, qui ritu magico Deos coleret, adeoque prodigia & miracula ederet, Gentiles Philosophi per calumniam sacrilegam vociferabantur. Circumferebatur enim & illud Milesii Apollinis oraculum, quod *Lactantius Lib. IV. Divin. Instit. Cap. XIII.* refert:

> Θνητὸς ἦν κατὰ σάρκα σοφὸς τερατώδεσιν ἔργοις
> Ἀλλ' ὑπὸ χαλδαίων κριτῶν ὅπλοις συναλωθείς,
> Γόμφοις καὶ σκολόπεσσι πικρὴν ἀνέτλησε τελευτήν.
>
> *Vtpote homo mortalis erat miracula patrans*
> *Chaldaei sapiens comprensus Iudicis armis,*
> *Clavis & palis mortem perpessus amaram.*

Sed de his late disserentem vide *Iac. Bruckerum Histor Philos. Period. II. Part. I. Lib. I. Cap. II. Sect. IV. §. XIV. & Part. II. Lib. I. Cap. I.* Christum quoque veluti Sophisten aliquem variae eruditionis, & Graecanicae doctrinae adparatu instructum nobis exhibet fabula apocryphi *Evangelii de Infantia Christi §. LI.* quae merito ab omnibus exsibilatur exculcaturque. Christianis autem ea Sophistarum adpellatione insultat Auctor Philopatridis; ait enim stomachum sibi commovisse ea, quae audierat *παρὰ τῶν τρισκαταράτων ἐκείνων Σοφιστῶν*, Christianis videlicet. *Prudentius Hymno Sancti Romani* ita *Asclepiadem* loquentem inducit:

> *Quis hos Sophistas error invenit novus,*
> *Qui non colendos esse Divos disputent?*

Mal-

Malchion Sophiſta eſt apud *Euſebium Libro VII. Hiſtor. Eccleſ. Cap. XXIX. Miltiades* Eccleſiarum *Sophiſta* dicitur *Tertulliano Adverſus Valentin. Cap. V.* Haeretici Sophiſtae malo ſenſu occurrunt apud *Irenaeum Lib. V. Adverſ. Haereſ. Cap. XX. Proaereſius* Sophiſta Chriſtianus ab *Eunapio* celebratur, dum vitam eius litteris mandat, & eum commemoravimus ſuperius *pag.* 518. Sed Apoſtolos & primitivos Chriſtianos, neque Philoſophos neque Sophiſtas proprio ſenſu fuiſſe, cum hic totus liber meus evincit, tum laudatus *Bruckerus* citatis locis oſtendit. Conſulatur *Mamachius Tomo I. Origin. & Antiquit. Chriſtian. Lib. I. Cap. II. §. V.*

LX. STATVARII. Vide ſuperius *pag.* 336.


LXI. SYMBOLAEOGRAPHI. Conſule ſuperius *pag.* 337.

§. XVII.

LXII. TACTICI. Talis fuit *Iulius Africanus*, qui Ceſtos ſcripſit, quorum novam locupletiorem inſtructioremque editionem adornavi inter opera *Ioannis Meurſii Tomo VII.* Conſule ſuperius in MAGI.

LXIII. TIBICINES. Conſule ſuperius *pag.* 345.

TOMI PRIMI FINIS.





K